








DE REGNO DIVINO

LIBER

EXEGETICUS HISTORICUS

QUATUOR EVANGELISTARUM DOCTRINAM COMPLECTENS

AUCTORE


Florens

FERDINANDO FLORENTE FLECK

PROF. LIPS.

Τὸ πνεῦμά ἐστι τὸ ζωοποιοῦν, ἡ σὰρξ οὐκ ὠφελεῖ οὐδέν.

LIPSIAE
SUMTIBUS AUGUSTI LEHNHOLDI.
MDCCCXXIX.


SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE

'90 gold

Ezra Abbot

June 1, 1870.

DE REGNO DIVINO

LIBER

EXEGETICUS HISTORICUS

QUATUOR EVANGELISTARUM DOCTRINAM

COMPLECTENS

AUCTORE

Florens

FERDINANDO FLORENTE FLECK

PROF. LIPS.

Τὸ πνεῦμά ἐστι τὸ ζωοποιοῦν, ἡ σάρξ οὐκ ὠφελεῖ οὐδέν.

LIPSIAE

SUMTIBUS AUGUSTI LEHNHOLDI.

MDCCCXXIX.

VIRO ILLUSTRISSIMO

IOH. AUG. FUERCHTEG. DE GLOBIG,

DYNASTAE GIESSENSTEIN. AUGUSTISS. SAX. REGIS CONSISTORIANO PRINCIPI SENATUS SACRI CONSISTOR. SUPREMI IN SAX. PRAES. CUBICULAR. ORDINIS VIRTUT. CIVIC. SAXON. DUCI ORD. BORUSS. AQ. RUBR. SUMMIS INSIGNIBUS ORNATO ETC.

VIRO ILLUSTRI

IOH. LUDOV. VALER. L. B. DE FISCHER,

DYNASTAE REICHENBRAND. ET GRUENAV. AUGUSTISS. SAX. REG. IN SENATU SACRO ET CONSISTOR. SUPREMO PRAES. VICES SUSTINENTI, ORD. VIRT. CIV. SAXON. EQUITI ETC.

VIRO ILLUSTRI ET VENERABILI

CHRISTOPH. FRIDERICO DE AMMON,

THEOL. D. AUGUST. SAX. R. CONCIONAT. AUL. SUPREMO, SUMMI SENATUS SACRI ET CONSIST. REG. CONSILIARIO, EQUIT. ORD. REG. SAX. BENE MERITORUM PRAEF. ORD. R. BORUSS. AQ. R. EQUITI ETC.

ET

VIRO VENERABILI

CAROL. CHRISTIANO SELTENREICH,

THEOL. D. SUMMI SEN. SACRI ET CONSIST. REG. CONSILIARIO, DIOECES. DRESD. EPHORO ET SUPERINTENDENTI ETC.

TANTIS NOMINIBUS

HOS QUALESCUNQUE STUDIORUM SACRIS SCRIPTURIS
IMPENSORUM FRUCTUS

INSCRIBI IUSSIT

VENERABUNDI PIETAS SCRIPTORIS.

PRAEFATIO.

Quum libellus a me ante aliquot annos emissus *) publice privatimque benigne exceptus esset, saepiusque ego admonitus fuissem, ut ea, quam legissem, via ex instituto pergerem, obstiterunt interna et externa impedimenta, quae recensere singula nihil attinet, ne telam inchoatam citius pertexerem.

A quo tempore ad Scripturarum sacrarum interpretationem toto animo me contuli, intellexi, Iesu de regno coelorum disputatione arcem theologiae *Evangelicae* (strictissimo sensu) contineri. Sed lectis multorum et antiquiorum recentiorumque scriptis, in h. argumento versantibus, neque *notas* distinctas atque perspicuas, nec *partium* loci aptam et e rei natura ductam descriptionem inveni. Inde ingens in definienda *notione* diversitas et ambiguitas. Ergo cum

*) *De regno Christi* Diss. I. Lips. 826. 8. qui denuo sed emendatus prodit.

cordi esset mihi, ut Iesum, de regno suo dicentem, plene et subtiliter cognoscerem, *eo uno fine* itentidem quatuor Evangelicos libros pertractavi. Fructus lectionis fuit *doctrinae per partes designatio*, quae, quamvis nunc *simplicissima* videatur, tamen non nisi ex iterata pervestigatione se prodidit.

De diversitate monumentorum in tradenda Christi vita saepe quidem iudicatum est, et disceptatum copiose, sed nimis *generatim*, ita ut capita dissensionis *singula* non circumspecte satis digererentur, nec vero proxima ratio disputando *utrimque* efficeretur. Regni a Christo condendi interiorem naturam perspexisse quum idem sit ac vitae Iesu consilium mente animoque imbibisse, fontis diversitatem strenue tenendam, et quid ex ea consequens sit, simpliciter et perspicue censuimus proponendum. Ea diversitas nullo modo componenda est obliquis sinistrisque interpretandi artibus s. abusu philologiae (quem ut reprimant, clari nostrae aetatis theologi, veterum librorum explicatione exercitati, et antiquitatis gustum habentes, fortiter et secunda fortuna tentant), sed altiore criseos *historicae* atque *psychologicae* praesidio.

Sed dissensio Synopticum inter et Ioanneum librum summam rei Christianae non tangit. Ea salva est. Nam in πνεύματι, s. in intima animi theologia quaerentes inveniemus solatium, exemplo candidarum Christianae aetatis et rerum divinarum genuino

sensu imbutarum animarum. Πνεύματι continentur notiones generi humano necessariae, nunquam interiturae, per Christianae fidei formam pure traditae. De γράμματι, saepe mutante formam, ne sint male solliciti!

Grammaticam et *realem* interpretationem pari et aequabili studio per hanc scriptionem excolendam putavimus. Nam utriusque officii scita coniunctione vera demum perficitur *theologia biblica*, cuius fore in sacris rebus nostris magnam utilitatem a multo tempore intellectum est, qua indigent haec tempora nostra, litibus de religione cupidius quam veri amantius agitatis diffamata, a historica et solida fidei Christianae cognitione, quae mater moderationis esse solet, alieniora. Sed tali operi, si eius perfecta formula animo concipitur, unius docti hominis vita non sufficere videtur. Certe ex parte praeparandum est, quod consociatis eget magnisque viribus.

Interna partium operis non aequabilium oeconomia non eget inter peritos excusatione, quod ea e rerum ambitu suspenditur. Disputatio de indole officiisque futurorum sodalium Messianae civitatis e rei gravitate et locorum multitudine plurimum orationis postulavit. Ioanneam delineationem nos sine interpretum mentione dedimus, et cauturi, ne in nimiam molem liber excrescat, et confisi, intelligentibus

existimatoribus non obscurum fore, e severo Ioannis et interpretum suorum studio hanc perpetuitatem dicendi natam. Eo autem magis abstinuimus ubere excursu, quod de figura atque imagine Ioannei Synopticique Christi alias fuse dicere decrevimus. — Ambitum non castigabunt iudices, in tanti argumenti re plene illustranda, *) et patienter ferant alii, qui non coguntur, sed invitantur ad lectionem. Solent de eo varia iudicia esse.

In horum tractatione librorum saepe nobis obvenit, (quod nupere in causa *Pentateuchi* scite intellectum est) desiderari ab interprete biblico interiorem *historiographiae Orientalis* cognitionem et descriptionem, quibus adhibendis divinare licet Evangeliis canonicis nostris multum lucis allatum iri. Uberiore historiarum Orientalium (ut Parsicarum al.) scientia *critica* credibile est hoc commodi, etsi *futuris* forsitan *seculis*, ad theologiam Christianam exegeticam perventurum. Pari desiderio expetenda est *critica* ad libros diversissimos, hebraicos, iudaicos, rabbinicos *Christologiae descriptio*, ob penuriam vel turbationem fontium magnis difficultatibus obsita.

Orationem latinam ad Ciceronis, Livii,

---

*) Saepius enim inter scribendum memor fui vocis Illustris Viri: „ii tantum literis vere prosunt, qui non ante desistunt, quam penitus unamquamque rem exhausisse se intelligant.“ (HERMANN. *de emend. rat. gr. Gr.* p. 3.)

Senecae sermonem studiose cognitum conformare tentavimus, persuasi, praestare patria lingua dicere, quam male latina. Ungeri liber de parabolis Evangelicis, sobriae et solidae doctrinae testis, post impressam magnam nostri laboris partem in manus nostras venit. Quare eum ad nonnullas disputationes argumenti eiusdem non licuit conferre.

Apostolorum de regno Dei *doctrinam* per alteram libri partem nos expostituros, nunc spondere non licet, tum quod suffragia doctorum hominum de priore exspectare verecundia iubemur, tum ob alios labores susceptos, commentarios dico in *Synopticum Evangelium* et in *Apocrypha V. T.*

Optamus autem, ut in multorum studia et iudicia veniat liber, veritatis causa, non nostra. Meliora dabunt, qui post me severe amanterque in hunc locum inquirent; ego pro mearum modulo virium meis temporibus prodesse studui. Suum quemvis in commune conferre decet laborem.

Ut a typothetarum erroribus purus prodiret hic liber, operam dedit familiaris meus, Gustavus Kruegerus, Philos. D. et ad aedem D. Pauli academicam Concionator vespertinus, qui idem Indice biblico concinnando bene de futuris lectoribus et de me meruit.

Unum denique est, quod rogatum volumus lectores, ne nonnullorum more e nexu malevole decerpant, quae sibi displi-

cent, et inde de formula fidei auctoris censoria fronte iudicium informent. Nusquam enim nos *Dogmatici*, ubique *interpretis* et *historiarum investigatoris* personam sustinemus. Id non una operis inscriptio indicat, sed ostendit rei tractatio. Nostrum hoc sincerum studium fuit, ut veritatem, quae Dei est, et veritatis amorem, qua una virtute ceterae docti hominis continentur, strenue sectaremur. Nam uti genuinus Christianismus veritate, ita cultoris Christi mascula virtus veritatis amore cernitur.

Scribebam Lipsiae d. XX. Mart. MDCCCXXIX.

DESIGNATIO PARTIUM OPERIS.

INSTITUTI RATIO.

Locum tractaturus, quem exercitatum ingenium doctrinamque multifariam postulare sentio, et doctissimorum hominum studiis persaepe illustratum novi; huius temeritatis meae laetor, excusationem satis probabilem in rei, quam aggredior, indole atque natura paratam mihi esse. Quae talis est, ut tum gravitate, tum iucunditate quadam sua solidae theologiae cultores alliciat, et, quid a veritate proxime absit, ut sedulo exquirant, adhortetur. Agitur de recte invenienda subtiliterque proponenda notione *regni divini*, cuius in *libris N. T. historicis* a Jesu Christo fit mentio; ea vero notione quis ignorat, religionis nostrae auctorem, quaecunque aequalibus suis de rebus divinis proposuit, veluti fundamento voluisse niti, et ex eadem varia officiorum genera, itentidem commendata suis, tanquam e fonte duxisse? Sed tantum abfuit, ut haec de regno coelorum doctrina ab omnibus Christi sectatoribus uno modo percepta et in vitae usum salutarem translata fuerit, ut pauca rerum christianarum capita reperias, in quibus diiudicandis tantopere inter se dissentiant interpretes historiarum periti nec raro prorsus dubii haereant. Eius enim dissensionis et ambiguitatis, quam in *apostolorum*, de ea re dicentium, *scriptis* deprehendisse nobis visi sumus veluti semina, luculentius etiam apud *patres ecclesiae*, inter quos AUGUSTINUS palmam fa-

cile omnibus in hac doctrina exornanda eripuisse videtur, recurrunt. Quorum plurimi, de re minime facili et historiarum luminibus unice illustranda et expedienda philosophati iusto liberius, non attulisse censendi sunt, quod serioribus aetatibus, quae maiore in librorum sacrorum interpretatione ἀκρίβεια supersedere nullo modo possunt, sit fructuosum. Neque hae controversiae, id quod optandum summopere erat, intra angustos scholarum cancellos continebantur, sed statim ab incunabulis disciplinae christianae non minus singulorum hominum vitam misere turbabant, quam ecclesias recens fundatas invadebant. Ex hoc enim genere sunt, quae prioribus post Christi discessum seculis originem debent, somnia *Chiliastarum*, quorum agmen, si non verbo, re tamen duxit Cerinthus. Quem hominem si acceperis diversissimorum tractuum, Aegypti, Palaestinae, Asiae non tantum agros, sed item nativam philosophiam atque religionem perlustravisse, taetrisque cupiditatibus fuisse deditissimum, desines mirari, si reperėris ausum esse conciliare, quae et origine, et indole distant quamplurimum. Mundi enim procreationem tribuens viribus quibusdam, dei summi ignaris, (quae deinceps opinio latius manavit per *Gnosticorum* familiam, varietate sua notabilis) Iesumque hominem, Iosepho et Maria oriundum, distinguens a Christo, qui consociarit se cum illo tempore baptismi, recesserit tempore passionis et mortis; docuit apertis verbis regnum Christi fore *millenarium* atque *terrenum*. *)

*) Et quidem Hierosolymis instituendum, festis diebus et sacrificiis, omnisque generis delicatulis voluptatibus abundans. V. Euseb. *H. E.* III. 28. p. 122. IV. 14. p. 161. VII. 25. p. 352. ed. Reading. Theodoret. *haer. fabb.* II. p. 329. Schulz. Epiphan. c. *haer.* c. 28.

Quam postremam si consideraveris sententiam, a quodam veri sensu profectus tibi videbitur rumor, late sparsus inter antiquissimos homines christianos, exhibens libri *Apocalypseos* auctorem Cerinthum, qui, figmentis suis atque somniis ut auctoritatem conciliaret, imposuerit nomen apostoli. Hoc enim mirificae indolis monumentum Chiliasticarum opinionum non pauca nec levia semina continere, multo autem magis in eo efficaciam suam exseruisse, quod stamina pestiferae doctrinae audacissimi quique verae religionis adversarii in hoc volumine certatis studiis sibi detexisse visi sunt, id adeo neminem latet nostrae aetatis interpretem sobrium ac peritum, ut ne egeat quidem demonstratione e historiis *). De cujus libri origine non Ioannea mox novis et, uti fidenter speramus, subtilissimis studiis persuadebitur aequalibus **).

Eaedem vero de regno Christi terreno prope instante sententiae per plura deinceps secula huc

---

† Paulus diss. II. *quae ad Iudaeo-Christianismum et ad Iudaeo-Gnosticismum pertinent.* Ien. 1795. 8. Reliquos, qui de Chiliasmo agunt, scriptores recensuit, deque variis eius generibus et aetatibus breviter exposuit Ill. Beck Comm. hist. decr. rel. chr. p. 568 sq.

*) Quae antiquitas christiana de capitali Ioannis Apostoli, quo in Cerinthum „veritatis inimicum" ferebatur odio prodidit memoriae, non videntur omnino spernenda esse. Ea enim si recte coniunxeris cum hac fama, quam modo attigi, multo minus credibile tibi videbitur, Evangelistam ab auctore Apocalypseos non esse diversum. Quod lubens fateor non esse maximum argumentum in hac causa, sed, accedentibus aliis internis pariter atque externis testimoniis, nullius esse ponderis nego. Sed copiosius haec persequi, non huius loci est.

**) Lueckius nobis hanc spem fecit, praeclarus homo, (*Comm. üb. d. Schr. d. Evg. Johannes. II. praef. IX.*) cuius subtili non minus quam ingeniosae interpretationi tantum debent Ioannei libri. Cui viro similes

illue repetitae, et a variis monachorum et fanaticorum hominum ingeniis varie exornatae sunt. Inprimis autem novo rerum futurarum desiderio multorum constat exarsisse animos, sec. post Christi natales decimo ad finem vergente, quo finis rerum humanarum iudiciumque novissimum a plurimis tanta fiducia exspectata esse traduntur, ut non possent se bonis huius vitae, rebus caducis ac mortalibus omnibus mature satis et convenienter votis suis abdicare. *)

Emendatorum sacrorum temporibus non magis una christianis hominibus omnibus et vera de regno coelorum vel condito vel adhuc condendo persuasio ac sententia fuit. Quam opinionum perversitatem nemo diffitebitur ecclesiae nostrae vixdum in pristinam sentiendi de rebus divinis libertatem vindicatae pestem et novam contagionem intulisse. Exemplo sint homines, libertatis christianae a Luthero eiusque sociis nupere restitutae adeo impatientes, ut eam verterent in licentiam, legitimique imperii iugum pertaesi, summa miscere imis et nefaria quaevis in ecclesia reque publica, quas mala arte seorsum regundas esse negaverunt, auderent perficere. Muenzeriani enim eiusdemque ingenii ac furoris familiae aliae turpissimarum cupiditatum ab ea, quam invenisse

---

utinam multos aetas nostra ferat interpretes scripturarum sacrarum! Sed de huius etiam studiis saepe vidi iniquius a nonnullis iudicatum. Non defuerunt, qui eum Mysticorum numero accenserent. A quorum hominum tristi grege tantum differt, quantum sol a die.

*) Unde coepit dici h. seculum *obscurum*, sensu eximio. Augusti *Dogmengesch.* ed. 3. p. 85. Idem de terreno dei regno commentum recoxerunt Tanchhelmus, Antverpensis, et Eudo, Bretagnensis (a. 1126). Schmid *d. Mysticism. d. Mittelalts.* p. 86 sq.

se solos iactabant, regni coelestis notione patrocinium aliquod petere solebant. *)

Quis porro est, qui ignoret, quantopere abusa fuerit hac doctrina, et patrum memoria, et nostra, ea ecclesia, quae *catholica* dici solet? Ex hoc enim fonte hodieque Pontifices Romani dominationem auctoritatemque falli nesciam derivant, visibiles se dictitantes regni divini in his terris principes. Haec eorum fraus atque perversitas quo errore nitatur, dicendum est breviter atque dilucide. Recurrunt omnia ad discrimen gravissimum *visibilem* inter atque *invisibilem ecclesiam*, quod non potest profecto, nostra praesertim aetate, subtiliter satis et recte proponi, propositumque firme satis retineri. Summa rei his fere contineri mihi videtur, quae non arbitror alieno loco hic legi.

Ecclesia invisibilis libera est hominum, qui eandem sectantur morum bonitatem, iisdemque pii animi sensibus erga deum, auctorem bonorum omnium, perfunduntur, consociatio, quae in sensus non cadit. Ea ad hoc tempus non adest inter

*) De *Muenzerianis*, regnum Christi terrenum fundaturis, abutentibus sermone V. T. prophetarum v. PLANCK *Gesch. d. prot. Lehrbegr.* II. 44. Gemina his Anabaptistarum Monasteriensium commenta fuse enarrat SLEIDAN. *de stat. rel.* etc. X. 267—283. *ed. Argent. ap. Rihel.* Nec dubitavit sec. XV. exeunte *H. Savonarola*, quem hominem praeclare merentem inter Italos de morum emendatione non ausim aliis comparare cum his, quos modo nominavi, *prophetae* dignitatem sibi arrogare, conditurus rempublicam *theocraticam*, in qua regnaturus esset Christus, ipse vero tanquam coelestis legatus legislatoris et iudicis officio esset functurus. VILLERS *üb. d. Geist d. Ref. Luth.* ed. HENKE. 486. Alia attulit HERDER *Ideen.* II. 314. ed. LUDEN. Nec opinionum commenta hic noster dies delevit. Nec enim defuerunt *Ioannae Southcott* cultores. V. NIEMEYER *Beobachtgn. auf Reisen.* II. 93 sq.

homines omnes, sed, ut aliquando adsit, omnibus viribus efficiendum est. Cui rei perficiendae inserviunt *ecclesiae visibiles*, instituendae in his terris, quibus hoc agitur, ut mores boni, sensusque pii, quibus mortales venerantur numen summum, et serventur assidue, et propagentur latius. Idcirco utuntur, qui his ecclesiis adscripti sunt, *externis* pietatis fovendae virtutisque adiuvandae *signis*, ut conventibus sacris, ut ritibus, ut dogmatum formulis, ut sacerdotibus etc. Ne vero his externis signis nimia vis tribuatur, id vero diligenter est cavendum. Errant enim, qui in eorum observatione nunquam intermissa verum dei cultum absolvi putant. Nam qui ita statuunt, misere pervertunt naturae ordinem. Signa cultus interni externa in infinitum augendo, facile inducuntur in eam opinionem, ut haec in primo ponant loco. Ita fit, ut piis animi sensis honesteque factis, ad quae excitanda et focillanda haec adsunt unice, sensim posterior locus concedatur, plaudente humana ignavia; atque ita vera religio magis magisque exulet ex hoc orbe. — Huius ecclesiae *invisibilis* pariter atque *visibilis caput invisibile* est deus. *Invisibile* dicitur item *regnum dei* aut *coelorum*. — Haec in universum de *ecclesiae invisibilis* atque *visibilis* notione, qualis a *ratione humana* informatur, dicta sunto. Addam pauca de notione ecclesiae *invisibilis* atque *visibilis*, qualem proponit *religio christiana*. — Ecclesiae *visibilis* in his terris fundatae et fundandae *caput invisibile* est Christus, ad dei dextram sublatus et suae salutis ecclesiae perpetuam curam gerens. Huius dignitatem et provinciam temere sibi arrogans Pontifex romanus, potestatem a Christo sibi demandatam ait de rebus ad fidem pertinentibus decernendi, eamque talem, ut falli nequeat. Visibilem igitur se ecclesiae visibilis principem di-

ctitat, et sibi traditum contendit imperium in hominum christianorum de rebus divinis sentiendi rationem, ut secus statuentes et coetum eorum, qui sibi obsequium praestant, intrare nolentes, poenis et in his terris afficere, et maiores minitari possit post discessum ex hac vita sustinendas; vana sane sine viribus ira utrumque.

Tollunt ergo Pontificii ius, quod innatum est hominum animis; et quod rursum vindicare studuit Christus generi nostro, de rebus divinis libere unaque duce conscientia recti atque honesti iudicandi, et deum colendi. Quod vero summum est hominis vera religione imbuti officium, vitae cursum actionesque omnes ita instituendi, ut legi divinae intus nobis patefactae respondeant, id ab his, qui sibi constant in hac ecclesia, et formulae suae, quam nativi sensus boni et veri, sunt tenaciores, iusto levioris habetur ponderis. — *Invisibilis* vero *ecclesiae* (cuius haec *visibilis* typus externus est et quasi imago) Christo, *capite invisibili*, utentis vel nullam prorsus mentionem facere solent, vel omnes partes non huius vitae esse volunt, sed eius, quae post obitum in coelis agitur. *) —

Magis etiam his, qui *Lutheriae formulae* se addixerant, *Reformatorum ecclesia* in hoc loco explicando singulari diligentia versabatur, ita ta-

*) In hac omni causa non tantum obfuit, uti vulgo existimatur, rebus christianis N. T. perversa interpretatio, qua stabiliretur dominatio pontificia; sed lubentius provocatum est ad ius sacerdotale Hebraeorum, ad V. T. locutiones male intellectas, ceremoniasque nexui historico exemtas, et vel hac obscuritate sua horrorem incutientes plebi christianae. — Neander *Denkwürd.* III. a. (Berl. 1824.) p. 46. Spittler *Grundr. d. Kircheng.* 257. (ed. 5.) Ita l. Deut. 32, 7. usi sunt, ut obedientiam coecam et fidem aliis sine causa probabili habendam (*Auktoritätsglauben*) commendarent! —

men, ut, quae in eo vis insit ad mores emendandos unice demonstrans, a quovis abusu, cuius exempla satis multa aderant, sedulo sibi cavendum putaret. Repetitae autem lites sunt super hac re extremis sec. XVIII. annis, tum iis turbis, quas *fragmentorum Guelpherbytanorum* auctor effecerat, tum quod *criticae philosophiae* cultores ad scripturam sacram suo modo illustrandam magis, quam interpretandam accederent. Unde, etsi non inaudita antehac fuisset, *) quam illi celebrabant, de *ecclesia invisibili* sententia; tamen nunc demum in ore multorum ac sermone versari, a theologis subtilius examinari, et in plebis

---

*) Libri symbolici ecclesiae evangelicae *ecclesiae invisibilis* verbum non habent. Symb. Apost. et Nic. *sanctam ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem, unam sanctam catholicam* et *apostolicam ecclesiam* commemorant. *Libb. Symbb.* edit. Ven. Tittmann, p. 3. 4. Sed credibile est, etsi succincta definitio non adsit, rem ipsam non incognitam fuisse sacrorum emendatoribus. Dicitur enim iis ecclesia congregatio s. communio sanctorum, per totum orbem sparsorum, qui vere credunt deque Evangelio consentiunt, et habent eundem Christum, eundem spiritum sanctum et eadem sacramenta. Aug. Conf. art. VII. p. 15. Apol. Conf. p. 132. 134. 136. Art. Smalc. art. XII. de eccles. p. 292. Cat. mai. 434. 435. qui locus postremus princeps est in hac causa. Nam verba:

„Credo in terris esse quandam sanctorum congregatiunculam, et communionem ex mere sanctis hominibus coactam, sub uno capite Christo, per spiritum sanctum convocatam, in una fide, eodem sensu et sententia, multiplicibus dotibus exornatam, in amore tamen unanimem, et per omnia concordem sine sectis et schismatibus"

si a nonnullis discedis, veram *ecclesiae invisibilis*, qualem philosophi proponunt, notionem continent. Cf. Ven. Winer *Darstellg. d. Lehrbegr. d. vschdn. chr. Kirchenp. Leipz.* 1824. p. 98. Notionem *regni coelestis* in *ecclesia* expressam aut exprimendam dedit etiam Erasmus in libro aureo: *De ratione verae theologiae.* Basil. 1525. p. 113.

christianae usum per sacras conciones transferri coepit *). Et ne nostra quidem aetate plane sopita iacent de re tam gravi inter doctos homines certamina **).

Quocirca, quod ab immortali SPITTLERO ***) ingeniose est dictum, per XVIII iam secula dissensum fuisse inter homines christianos, quibus

*) Ceterum constat, male percepisse mentem KANTII, qui eum, ut in omni librorum sacrorum interpretatione, ita in hoc loco tractando novas easque arbitrarias leges hermeneuticas condere voluisse, sibi persuaserant. De abusu philosophiae in explicando Codice sacro ab ejus sectatoribus facto videsis inter alios: BRETSCHNEIDER *d. hist. dogm. Auslegung d. N. T.* p. 49 sq. p. 59 sq. — De re nostra cf. KANTIUM in l.: *Religion innerh. d. Gränz. d. bloss. Vernunft.* p. 125 sq. *Vom Sieg d. gut. Princips üb. d. böse, u. d. Stiftung eines Reiches Gottes auf Erden.* Praetermitto, qui summi viri vestigia pressius sequuti sunt, aut amplificarunt ejus sententiam, et philosophos et theologos. Sed IACOBIUS etiam, quem viam Kantianae disciplinae fere contrariam ingressum esse constat, ecclesiae invisibili (non *christianae* quidem, uti videtur, sed *philosophicae*, verbo tamen atque re ipsa e *theologia christiana* petitis) latius propagandae studia vitae ingeniique dotes omnes se consecravisse fatetur. Lege locum praeclarum in F. H. IACOBI *Werke* T. IV. P. 1. Praef. LIII. De discrimine visibilis et invisibilis ecclesiae v. Ill. KRUG *Rechtslehre* p. 505 sq. 522. et *Religionslehre* p. 149 sq. 271. ubi de sancta communione eorum, qui deum colunt, de civitate ad leges ethicas constituenda deque ejus forma externa disseritur.

**) Non diversas tantum N. T. interpretum sententias dico, sed rationem quoque, qua ad ecclesiae, reipublicae et familiarum, artium denique literarumque salutem adhibendus hic locus nostris hominibus, politiae theocraticae et hierarchiae, quae huic coniunctissima est, fidei denique, quae *traditione* nititur, amantissimis videtur. Cf. THEREMIN *d. Lehre v. d. göttl. Reiche.* Berl. 1823. et Censores libri in WACHLER *Ann. th.* Dec. 1823. *Leipz. L. Z.* n. 116. 12. Mai. 1824. *A. L. Z.* n. 13. 14. Ian. 1825 et *Hermes* B. XXV. H. 2. Lpz. 1826. p. 250—271.

***) L. c. p. 28.

maxime decretis summa religionis eorum contineatur, non veremur, ne insolentius quid dixisse videamur, si ad regni coelestis notionem transtulerimus, cuius fata varia ab ingeniorum diversitate profecta historia ecclesiae nostrae et morum disciplinae adfirmant *).

Quae cum ita sint, facile patet, in re, quae tanti ponderis est ad nativam indolem religionis nostrae rectius perspiciendam, remque civilem et sacram persaepe, teste historia, haud leviter attigit, quotiescunque tandem considerata sit et ab antiquitate, et a recentioribus theologis; nunquam tamen reprehendendos esse, qui ad evangeliorum fontes itentidem recurrendum, et, quid Dominus ipse de regno suo praeceperit, seiuncta scholarum subtilitate, ope eius interpretationis, quae ex historiis et usu loquendi aetatis, de qua agitur, proprio pendet, candide sibi quaerendum et perspicue proponendum arbitrantur. Id quod nos nunc agere instituimus. — Sequitur ergo, ut de ratione ac via, quam in hoc argumento tractando sequuti sumus, pauca dicenda sint.

Egimus primum in hoc libro de ea regni coelorum notione, quam in evangeliis *Matthaei*,

---

*) *„Eine aus einem moralischen Gesichtspuncte bearbeitete Kirchengeschichte würde vornehmlich eine Geschichte der Religiosität u. Sittlichkeit unter den Christen seyn, und müsste zeigen, wie die Idee einer allgemeinen Kirche, eines ethischen Staates, eines Reichs Gottes auf Erden mehr oder minder dargestellt, realisirt, entstellt worden ist."* — Verba sunt Ven. STAEUDLINI in l. *Gesch. d. Sittenl. Jesu.* I. 17. Subtiliore huius notionis historia, varias eius in schola pariter atque vita vicissitudines per omnem seculorum a Christo nato decursum dilucide describente, adhuc caremus. Ex qua facile intelligeretur, quantum ea ad disciplinam, vitam publicam moresque christianorum hominum regundos vim exercuerit, prouti vel male intellecta esset, vel felicius inventa.

Marci atque *Lucae* s. *synopticis* Christus popularibus proposuisse traditur. Non sum equidem nescius in hoc interpretationis librorum sacrorum, qualis nunc est, statu merito ac iure ab idoneo interprete postulari, ut trium priorum evangelistarum de regno coelorum doctrina *seorsum* pertractetur, et in sentiendi cogitandique uniuscuiusque horum scriptorum super hoc loco rationem subtilius inquiratur. Quae ratio perquam frugifera, nec sine magno literarum sacrarum detrimento dudum neglecta, nunc demum ab aequalibus nostris considerari diligentiusque coli coepit.

Habet tamen et hoc genus studiorum suas et graves cautiones. Quae inprimis negligendae non sunt in tribus his prioribus de vita Iesu commentariis. Verum has non satis agnovisse videntur viri in his literis facile principes, mea laude maiores, D. Schulzius *) atque Gersdorfius. **) Paucis igitur dicendum, quonam modo mihi haec studia moderanda videantur, quibus continenda finibus, ne vane susceptus sit tantus labor. Haec exemplis muniendi infra dabitur opportunitas. Primum, qui de vita Iesu scripserunt, tres priores evangelistas non unice usos esse αὐτοψίᾳ, quo verbo nunc latiore sensu complecti liceat testimonium perhibendi eam facultatem, quae ab utroque sensu, et oculis et auribus eius, qui praesens adstat rei gestae vel sermoni (*Augen- und*

*) In praeclaro libello: *Ueber die Parabel vom Verwalter Luc.* 16, 1. sq. Bresl. 1821. p. 3 sq. Eadem attigit in l. *d. Br. an d. Hebr.* Praef. p. XI. XII.

**) In opere doctissimo: *Beitr. zur Sprachcharacteristik der Schriftsteller d. N. T. Eine Sammlg. meist neuer Bemerkgn.* Th. I. Leipz. 1816. Tomi secundi propediem edendi nupere spes facta est nobis. Quam utinam ne fallat auctor, nemini non optabile videbitur, qui sacris literis bene cupit.

Ohrenzeugenschaft), proficiscitur; sed item fontes sequutos esse paulo antiquiores, vel *orales* (traditionem variam, et in hac ipsa varietate ad summam rei constantem), vel *scripturarios* (quo verbo alterum genus brevissime insignitur), concedunt critici, etsi de indole eorum minime una sit doctorum sententia. Horum igitur fontium respectus praevaluit, non uniuscuiusque scriptoris ingenium et dicendi consuetudo. Quod exinde luculenter patet, quod multo minus tres, quos dixi, scriptores in sermonibus Iesu Christi doctrinaque proponendis (etsi nec plane desit dissensio, uti dicetur infra), quam in rerum gestarum ordine, in compositione, in narrationum vel ubertate vel brevitate, inque aliis multo etiam levioribus momentis differunt. Maiore igitur religione sermones Iesu tradidisse posteritati censendi sunt, quam id visum est nupere nonnullis. Non tantum se exseruit inter scribendum scribentis ingenium, quantum hoc exspectaveris a viris, non subtili eruditione subactis, non historicorum scholam ingressis, Iesum Redemtorem summo amore prosequentibus. Sed hic ipse amor et egregia quaedam simplicitas animi effecisse videntur, ut religioni ducerent sibi, manum admovere operi et praematuro iudicio factorum simplicitatem turbare. Putabant sufficere adspectum atque auditum factorum sermonumque Christi, ut qualis quantusque sit, de quo verba fecissent, penitus intelligeretur a lectoribus. Ad morem maiorum, qui eandem simplicitatem sectati sint in historiis perscribundis, nolim cum aliis provocare. Hebraicos enim historicos nunc nemo negat theocraticis rationibus persaepe multum tribuisse et ab his regi se passos esse in conformanda rerum gestarum narratione. Sed trium priorum Evangelistarum non eadem est ratio.

Eam vero viam ac rationem, quam SCHULZIUS et ipse iniit, et aliis vehementer commendavit, ut, pervestigando singulorum scriptorum historicorum dicendi genus ad tenuissimas usque minutias, inquirendo in eorum ingenium sentiendique rationem, quae, nesciis fere scriptoribus, immiscuerit se rerum narrationibus, sensim, sed certo gradu eo perveniatur, ut religionis christianae *genuina forma* et *indoles nativa* eruatur agnoscaturque ab omnibus *): id mihi quidem, quod attinet Synopticos, ita comparatum esse videtur, ut magis in votis habendum sit, quam in his, quae facienda sint, et quidem cum fructu, strenuo interpreti. *Ultra enim evangelia sapere*, non licet neque interpreti, neque historico. Ad fontes igitur, e quibus fluxerunt hi libri, quo tandem pacto recurres? Ergo vel invitis acquiescendum est in his, quae aetatem tulerunt, scriptis; neque alius Christus, alia Christi vita fingenda sunt vel mente, vel imaginandi quadam libidine, quam qualem exhibent monumenta haec antiquissima, soli doctrinae vitaeque Iesu fontes. Errant igitur, qui ultra hos rivulos (ita enim solent dicere) ad purum limpidumque fontem recurri posse sibi persuadent. Umbram enim pro Iunone amplectuntur. Atque, ne nimia nonnullis dixisse videar, alia sane est ratio IOANNEI libri, alia item reliquorum N. T. scriptorum *didacticorum*. Illum enim quod attinet (de quo infra copiosius tractabitur), tale fuit quarti Evangelistae ingenium, ut et in rebus gestis tradendis et in sermonibus Iesu proponendis facile se prodat legentibus. Nam et sa-

*) V. etiam, quae de modo detegendi puram Christi doctrinam non sine magna subtilitate disseruit RETTIG *Andeutgn. üb. e. richtigere Methode z. Auffindg. d. rein. Lehre Christi* in: *Allg. Kirchenztg.* v. 20. *Aug.* 1825.

pienter delectum egit in narratione rerum a Christo gestarum, qui suo consilio esset aptissimus, et de aeterna λόγου atque antemundana natura, quae demiserit se in Christum, solus est philosophatus liberius, et longiores Iesu orationes post multorum annorum intervallum memoria duce ita consignavit literis, ut eas minime quidem ad suum ingenium mero arbitrio conformavisse remque corrupisse, ita tamen exaravisse putandus sit, ut, summa fide et religione rei summam argumentumque scriptionis, quod penitus mente animoque insederat, tenens, in instruenda oratione, in tota quasi specie narrandi atque dicendi nativam indolem minime celaverit, immo duci se ab ea lubenter passus fuerit, nec raro suum iudicium tam rebus gestis, quam sermonibus Iesu interposuerit.*) Sed ad haec saepius redeundi infra locus dabitur.**)

In Ioanne igitur Evangelista, cuius fuit vehementius ingenium, irrepens nonnunquam nativa vi in traditiones de rebus a Domino gestis inprimisque orationes longiores (uti nunc quidem ab omnibus intelligentioribus interpretibus concessum est), ut quantum in hoc genere a scriptore occupatum sit, nec possis ubique certo dicere, nec distinguere accuratissime ab his, in quibus nihil sibi, rebus vero atque sermonibus ad extremas minutias, ad ipsissima verba tradendis omnia tri-

*) Uti, ne alios nunc appellem, subtiliter demonstratum esse constat ab Henkio in Diss. Ioannes ap. nonnullorum Iesu apophthegmatum in Evangelio suo et ipse interpres, in Pott *Syll. comm. theoll.* Helmst. 1800. p. 1. sq.

**) Cf. de hac causa acute subtiliterque disserentem Niednerum, collegam coniunctissimum et amicum suavissimum in Diss. de loco comm. Lucae XVI. 1—13. (Lips. 1826. 8.) p. 129 sq. cui me plura debere rectius aestimata gratus profiteor.

buerit: in Ioanne inquam rerum christianarum scriptore quanto maiore cum fructu advocabitur praeclarum pariter atque multo usu comprobatum praeceptum: *quemlibet esse optimum verborum suorum interpretem;* quam in his, qui eum praecedunt, scriptoribus historicis. Ille enim e sua memoria hausit omnia. Suis sensibus, suove iudicio perceperat, quae in literas retulit. In se uno haec posita habebat. Neque summa familiaritas, quam inierat cum Christo in his terris, amor tenerrimus, quo digressum in coelos dei filium prosequebatur, effecerunt, ut a suo ingenio descisceret, quod esset Christi ingenio simillimum, ex eoque omne pabulum, vigorem vitae vere vitalis traxisset. Nec traditionibus ore propagatis, neque scriptis libris suo antiquioribus ullo modo credibile est eum quidquam debere. Non magis, quam Bertholdtus *) in medium protulit, de fragmentis aramaico sermone ipsas inter res gestas tachygraphorum, si diis placet, arte exaratis et in conficiendo libro adiumenti loco in usum advocatis, coniectura aliaque aliorum de excerptis, commentariolis brevioribus, minutis adnotationibus aliisque generis eiusdem commentarii sese probavere viro docto, qui et indolem aetatis huius, in edendis commentariis et ingenium scriptoris luculenter sese exserens non obiter perlustraverat, sed penitius fuerat intuitus. **)

Scriptorum denique N. T. *didacticorum* talis est ratio, ut in eorum interpretatione, qualem nostra aetas iure suo postulat, hoc, quod diximus, praeceptum assidue sit oculis proponendum, fir-

*) Bertholdt Verosim. de orig. ev. Ioann. in eid. *Opusc. acad.* ed. Winer p. 1. sq.

**) Nemo haec demonstravit luculentius verosque fontes evangelii Ioannei subtilius aperuit Lueckio in *Comm.* I. p. 92—119.

missimeque tenendum. Solum enim viam muniet certam ad condendam (tandem aliquando!) *hermeneuticen* N. T. *specialem*, cuius nostra aetate ne prima quidem fundamenta iacta videmus, vera illa quidem et solida philologia unice dignam, sive interpretationem librorum sacrorum *ex semet ipsis* instituendam. (Eam vero hermeneuticen specialem tantum abest, ut V. T. interpretes felicius tractent inque dies magis perficiant, ut permulti ne suspicentur quidem adesse et posse et debere.) Tamen huic qui se constantissime dederint divinos scriptores tractandi explicandique modo, dabunt soli aliquando *theologiam biblicam*, hoc nomine dignam, arrisuram non tantum theologis, sed omnibus, qui rationes historicas atque chronologicas sedulo aestimari et adhiberi, nihil temere statui, *suum cuique scriptori tribui*, varia tempora, ingenia varia, varias scribendi occasiones et opportunitates et genera dicendi accuratissime distingui, non antiquiorum interpretum dogmaticorumve more misere confundi atque commisceri, brevi ut dicam, *philologice* atque *historice* libros nostros tractari amant, amantque hanc rationem omnes, qui sincero animo bene cupiunt literis theologicis. Sed de his alias fusius; nunc unde aberravit, eo iam redeat oratio. Monent hodie nonnulli, ne in *didacticis* quidem N. T. scriptoribus hanc regulam nisi summa cautione adhibendam esse, quam, si strenue servaveris, egregium habeas critices factitandae interpretationisque dirigendae praesidium. *) Non enim satis

*) Taxandus mihi videtur Fritzschius (*Comm. in Matth.* Exc. 3. p. 849 sq.), Gersdorfii meritorum iniquus existimator, qui nimia profecto levitate de huius viri honestissimis conatibus disputavit, quem non debebat gloria sua defraudare velle. Vel propterea rem male egit, quod *didacticos* atque *historicos*

multa scripsisse apostolos, ne ipsum quidem Paulum, ut eorum dicendi generis species quaedam aequabilis e monumentis, quae tulerint aetatem, paucissimis ostendi possit. Sed haec dicta speciosius, quam verius. Nam, qui praeter ceteros eruditione iudaica subactus erat, et graecam callebat linguam, sermonis excellens dexteritate cogitatorumque varietate, Paulus forte fortuna omnium plurima scripsit. Reliqui vero epistolographi, ut Ioannes, ut Iacobus, ut Petrus, ut Iudas, ut scriptor ep. ad Hebraeos eo erant ingenio, ea doctrina, ut, etiamsi plures eorum epistolae aliaque scripta ad nos perventura essent aliquando, tamen, cum graece non essent nisi mediocriter docti, nec uberiore et versatili dicendi elegantia instructi, qualis solet esse in his, qui literarum profundioribus studiis penitus imbuti ad scribendum accedunt; imo vero in praestantissimis quidem, at *paucioribus* religionis christianae decretis atque praeceptis *assidue* proponendis unice occupati: non sit existimandum, magnam dicendi *varietatem*, ex qua ea, quae nunc proponuntur, hermeneutices specialis praecepta inutilia reddantur, in iis detectum iri. Non eadem pro-

scriptores non vidit secernendos esse. Illi enim toti a se pendent suamque unice produnt indolem. Magni igitur hoc discrimen faciundum. Neque debebat Graecos cum Iudaeis Graece loquentibus confundere. Luciani enim sermonem convenire in nonnullis cum Lucae oratione (id quod contra Schulzium protulit Fritzschius), quid tandem, si per se spectatur, valet ad tollenda praecepta hermeneutices specialis, ex *hoc* scriptore ducenda? Quamquam de hoc ne ipse quidem velim disputare, cum ad historicos sit referendus, quaerendumque, quantum ille debeat in sermone concinnando fontibus suis. Sed hoc argumentum, quod tamen prae ceteris causae suae inserviat, ne attulit quidem Fritzschius.

fecto trutina pensandi sunt Iudaei homines, extero utentes sermone, de plebe nati, nullis studiis doctrinae exculti, rebus divinis tradendis mente animoque toti intenti, et Graeci atque Romani scriptores, eleganter, limate, copiosissimeque dicentes, patria lingua, studiis amplissimis, rerum infinitarum scientia instructi. Ergo exiguitate eorum, quae scripserunt apostoli, potestas atque usus praecepti, de quo verba fecimus, tolli minime potest; etsi, ut in omni interpretatione, ita in hac eius parte assiduam cautionem atque prudentiam esse adhibendam non diffitear. Remanere enim quandam ambiguitatem, non nego. Efficitur enim hac via hoc maxime, non ut quid unumquemque N. T. scriptorem in loco quoque scripsisse *oporteat*, ad singulas usque syllabas literulasque definias certo, sed hoc tamen dicas, quid *verosimile* sit, eum in argumento alias a se tractato versantem scripsisse. Itaque intra *probabilitatis*, in his quidem scriptoribus ob dicendi constantiam et arctiorem ambitum minime contemnendae, certos limites subsistere debebimus.

Relectis igitur eo quo dixi fine saepius Evangelistarum libris, intellexi, non tantam in iis inveniri super hoc loco sententiarum diversitatem, ut sine lectorum taedio, commode possit cuiusvis horum scriptorum doctrina tractari *separatim*. Itaque, ubi in aliqua graviore eius parte dissentire inter se viderentur, quod tamen perraro accidit, id in ipsa locorum paralellorum comparatione diligenter adnotavi. *Ordo chronologicus* evangeliorum, quem sequi primum decreveram, cum admodum incertus sit et coniecturis diversissimis interpretum nitatur, in talis praesertim argumenti tractatione servari nequit. Itaque diutius re considerata, ante omnia hoc mihi agendum putavi, ut loca ea, quorum est aliquis in nostra causa

usus, in *classes quasdam* distribuerem, quod, quamvis suadeat rei natura, tamen a plerisque, qui ante me in eodem loco explanando versati sunt, neglectum vidissem.

Ita factum est, ut *partes* aut *notae singulae* investigandae mihi viderentur, in quas per rei naturam haec notio discedat, exque iis accurate consideratis *notio* rei *universa* perspicue eruenda. Non potest enim is ordo, quem sequuntur evangelistae in tradendis rebus, accurate servari, nisi de eodem argumento bis terve et saepius velis dicere. Sed ad sua genera loca omnia revocanda sunt et sigillatim tractari debent, propterea, quod Christus non scholarum nostrarum morem ac subtilitatem ita tenuit, ut, ubicunque de regni sui indole accuratius ipsi disserendum videretur, totum locum docendo exhauserit. Sed prouti id aut plebis rudioris, aut discipulorum, quibuscum familiariter utebatur, aut fallax et versatile doctorum Iudaicorum ingenium postulabat, nonnulla huius gravissimae doctrinae capita delibare solebat, et reconditos orationis suae aculeos in auditorum animis relinquebat.*) Neque omnino sermo Orientis doctorum in ordinem scholae est cogendus.

---

*) Quae omnia consideranda esse idoneo interpreti, acute vidit Erasmus *de ratione verae theologiae*. Basil. 1525. 8. p. 47. „Accedet hinc quoque lucis „nonnihil ad intelligendum scripturae sensum, si „perpendamus, non modo, *quid* dicatur, verum „etiam *a quo* dicatur, *cui* dicatur, *quibus verbis* „dicatur, *quo tempore*, *qua occasione*, quid *prae*„*cedat*, quid *consequatur*. Si quidem alius sermo „decet *Ioannem Baptistam*, alius *Christum*. Aliud „praecipitur *rudi populo*, aliud *apostolis*. Rursus „aliud praecipitur *apostolis adhuc rudibus*, aliud „*firmatis* iam et *institutis*. Aliter respondetur *insi*„*diose interrogantibus*, aliter *simplici animo sciscitantibus*. Denique *series* ipsa *altius repetita* sen„tentiam aperit alias obsuram. Saepenumero *loco*-

Placuit autem hoc ordine rem pertractare. Praemisimus *dogmatis de Messia eiusque regno*, inter Iudaeos recepti, *brevem historiam*, ut intelligeretur, et unde hoc decretum satis memorabile originem duxerit, et quibus veluti fatis per seculorum decursum in gravissimis reipublicae Hebraeorum vicissitudinibus functum sit, donec in eam formam, qualem Christi aetate induisse credibile est, abierit. Inde facilius puto iudicium erit, *an omnino et quatenus* Christus in exponendo hoc dogmate a vulgari popularium opinione deflexerit. Paucis deinde de *formulis, Iudaeis super hac re solemnibus*, dicendum est. Pergendum exinde ad *Ioannis baptistae*, praecursoris Christi, *de indole regni divini sententiam*, et ad eam quaestionem, an sit credibile, eum in hac re a Christi mente recessisse. Sequitur, ut de *ipsa Christi* super hoc loco *doctrina* dicatur, ac primum videatur, *num vere Messiae munus* sibi tribuerit. Hoc stabilito et fixo, de *parabolis, quae regni Messiani rationes in universum adumbrant*, iunctim est disserendum. Iam agetur *de indole atque officiis* eorum hominum, qui ex mente Christi *regni coelorum consortes* fient, quae est disputationis pars ad illustrandum totum locum gravissima. His adiungentur loca, in quibus, *quousque pateat regnum Messianum* dicitur, s. *eius ambitus* describitur. Quocum coniunctissima est quaestio alia, *utrum Christus abrogandam esse legem Mosaicam censuerit*, statim ab initio suscepti muneris doctoris. Hanc excipiet disputatio *de tempore, quo condetur regnum divinum*, sive de locis, in quibus *de reditu Christi* agitur, et *quid cum eo coniunctum futurum sit*, exponitur.

„*rum collatio* nodum explicat difficultatis, dum, „quod alibi dictum est *sectius*, alibi *dilucidius* re„fertur." — [illegible]

Extremo denique loco agetur *de genere bonorum et beatitatis*, quo perfruentur, qui in regni divini, a Christo condendi, communionem veniunt. — Ex his igitur locis omnibus, sedulo comparatis et sub uno obtutu collocatis *) *notisque* rei *singulis* regni coelestis *notio universa* colligetur et *summa brevis* doctrinae Iesu Christi super eo loco apponetur, ex antecedentibus sponte fluens. — Iam constituta et firmata una veri nominis huius notionis significatione, facilius erit et certius iudicium de infinita significationum vi, quas in hac formula et vetustiores et recentissimae aetatis interpretes ac lexicographi reperisse sibi sunt visi, quaeve omnes ac singulae ad primariam illam, rationibus grammaticis, orationis tenore, rerum gestarum ordine confirmatam, veluti ad communem stipitem rami, recte poterunt referri. — Harum igitur sententiarum brevem recensum, addito iudicio nostro, dabimus, ita tamen, ut non omnium, qui hoc argumentum scribendo attigerunt, ineptias futilesque opiniones enarrem et multis refutem (quod longum foret opus, neo fructuosum satis, sed fastidii plenum), sed eorum tantum rationem habeam, qui *docte* locum persecuti sunt, et sententiam quandam certam, perlustratis omnibus, quae ad hanc causam pertinent, locis stabilire studuerunt. Sed in ipsa etiam argumenti tractatione, in qua unice a fontibus pendendum mihi esse duxi, plurimos tamen in-

*) In quo argumento tractando evitari per rei naturam non potuit, ut non subinde unus alterve locus *pluribus classibus simul* adscriberetur, quatenus plures unius notionis ambiguae notas contineret. Ceterum, etiamsi loca singula huc illuc non ulterius explicata inveneris, tamen, quod inde ductum vides, argumentum, nititur accurata interpretatione, quae praecessit quidem, at saepe nonnisi paucissimis verbis indicata est a nobis.

terpretes, aut concinentes mecum, aut plus minusve a sententia proposita discedentes, sedulo respexi. Exhaurire omnium sententias, non putavi mei esse officii, nec eius consilii, quo libellum conscripsi. —

Sumus autem *Matthaeum* ducem sequuti eatenus, quatenus eum *priore loco* posuimus, adscriptis parallelis *Lucae* atque *Marci* locis. Quod non idcirco fecimus, quasi propter ordinem enarratarum rerum gestarum rectius servatum et artificiosius subtiliusque genus dicendi anteponendus nobis videatur *Lucae* commentariis; sed quod in nostro loco exponendo omnium uberrime eum versatum esse novimus.*) Neque eae, quae contra eius authentiam et ἀξιοπιστίαν apostolicam nostra maxime aetate motae sunt, dubitationes tantum nobis valere videntur, ut principatum illum, quem inter tres priores evangelistas ab antiquissimis temporibus obtinuit, ab eo auferendum esse et alii concedendum arbitremur.

His addemus recensum eiusdem de regno coelorum doctrinae, cuius auctor *apud Ioannem* Christus perhibetur, et respectu habito ad recentissimas doctorum hominum super huius libri *authentia* et *dignitate canonica* disquisitiones, accuratius agemus de *dissensione* eius a tribus prio-

---

*) Patet hoc e *descriptione iudicii extremi*, quae huic evangelistae est peculiaris, e *parabolis pluribus*, a Luca et Marco praetermissis, quae regni rationes attingunt, et *theocraticae* poterunt commode dici (Lucas habet alias, e genere *ethico*, quae tamen causam nostram minus illustrant), e *sermone montano*, quem omnium copiosissime exhibuit Matthaeus, quemve, quidquid contra dicant, qui hanc orationem in varias partes sententiasve, diverso tempore propositas, divellunt, vere non minus quam ingeniose Hessius: „*die magna Charta des neuen Gottesreiches*" nominavit. —

ribus evangelistis, quatenus ea pendet a *docendi ratione variisque doctrinae capitibus*; Christo apud Ioannem peculiaribus, *) qui locus nondum disputando exhaustus nobis videtur. Nam non solum *rarius* occurrit formula nostra in hoc libro, sed quae ei subest *notio*, *aliam* etiam *formam* induit, et *diversam potestatem* obtinuit. Id quod agnovit docta antiquitas, quae Ioanneos commentarios τὸ πνευματικὸν εὐαγγέλιον appellare solebat, a tribus vero prioribus rerum christianarum scriptoribus τὰ σωματικὰ tradi sibi persuaserat. V. Clem. Alexandr. ap. Euseb. *H. E.* VI. 14. —

Ceterum longiores disputationes de *origine*, *necessitudine* eiusque explicandae ratione ac via, *externis* denique trium priorum evangeliorum in coetu christiano *fatis*, quamvis nostrae causae affines sint, et nunc studio maxime laudabili retractentur, tamen ab hoc loco, qui in unius decreti natura atque indole demonstranda e fontibus versatur, alienas putavimus.

---

*) Alia est enim *Ioannis* de *iudicio extremo*, in mortales exercendo sententia, alio sensu in Christum illud ἔρχεσθαι cadit apud Ioannem, quam apud hos, qui eum antecedunt, evangelistas: παρουσίας vocabulum Ioanni plane est *incognitum*, alia, ut brevi dicam, est huius Evangelistae *de Messia* sententia. Vocabulum πάσχειν in commentariis Ioanneis de Christo adhibitum *non reperies*, eius autem loco verbum δοξάζεσθαι. Ζωὴ αἰώνιος *et* ζωὴ alia est apud Ioannem, alia apud reliquos Evangelistas, illi *familiare* est vocabulum κόσμου, de hominum genere, in consortium regni divini vocando, hi *rarius* adhibent. Apud *solum* Ioannem Christus contendit, non esse regnum suum huius rerum humanarum conditionis. cf. 18, 36 sq. — Nonnulla ex hoc genere bene adnotavit D. Schulz *d. chr. Lehre v. heil. Abendm.* p. 139. 143—145. 152.

Neque eius, qui munus interpretis librorum sacrorum sustinet, et in *rebus historicis* totus est occupatus (id quod hoc libello agimus), officium est, de *accommodatione*, quam vocant, deque aliis, quae huic finitima sunt, locis, accuratius subtiliusque tractare. Haec enim criticis *dogmaticorum* atque *philosophorum* studiis ac scholis iure servanda sunt.

PARS I.

ORIGO ET BREVIS HISTORIA SENTENTIAE IUDAEIS AETATE CHRISTI FAMILIARIS DE MESSIA EIUSQUE REGNO. *)

Quo rectius perspiciatur via et ratio, quam Iudaei Christo aequales sequuti, ad eam, quae hoc tempore pervulgata multorumque sermonibus et

---

*) De origine decreti Iudaeorum de Messia eiusque regno consulendi sunt, praetermissis aliis, hi maxime libri, in quibus ex historiis repetuntur, non pro arbitrio sumuntur, potiora momenta: ZIEGLER *üb. d. Ursprung d. Ideen vom Messias* in HENKII *Mag.* T. I. p. 57 sq. Ven. et Ill. DE AMMON *bibl. Theol.* T. II. p. 47—240. Ill, POELITZ *de decretis seriorum Iudaeorum.* p. 40 sq. STAHL *v. d. messian. Zeit.* in EICHHORN *Bibl.* T. VI. 597 sq. KNAPP *Scr. var. arg.* Ed. 2. T. I. p. 1 sq. DE WETTE *bibl. Dogm.* Ed. 2. p. 111 sq. PAULUS *üb. d. nächst. Ursprung messian. Erwartgn.* in *Comm. üb. d. N. T.* T. III. p. 43 sq. H. STEPHANI *üb. Entstehung u. Ausbildg. d. Idee v. e. Messias.* Norimb. 1787. 8. coll. EICHHORN *Bibl.* I. 735 sq. STAEUDLIN *Gesch. d. Sittenl. Jesu.* I. p. 66 sq. 557 sq. Ven. WINER *de aureae aetatis spe Iudaeorum* etc. *Diss. hist. philol.* p. 1. Lips. 1800. 4. RUECKERT *christl. Philosophie od. Philos. Gesch. u. Bibel nach ihr. wahr. Beziehgn. zu einander dgstllt.* Leipz. 1825. T. I. p. 419 sq. II. 13 sq. *Seriorum Iudaeorum* commenta huic doctrinae admixta fusius enarrarunt: EISENMENGER *entdeckt. Judenth.* T. II. cap. 13. 14. 15. CORRODI *Krit. Gesch. d. Chiliasm.* I. p. 168 sq. Ill. POELITZ *pragm. Uebers. d. Theol. d. spät. Jud.* T. I. Ea attigit etiam huc illuc notissimus BERTHOLDTII libellus: *De Christologia Iudaeorum Iesu apostolorumque aetate.* Erlang. 1811.

exspectatione celebrata fuit, de Messia eiusque regno sententiam pervenerint, non tantum ad vetustissimas Hebraeorum historias redeundum est, sed etiam de *affectione* quadam *animi humani*, in qua *huius dogmatis causa* aliqua inest, breviter dicendum videtur. Ea est enim ingenii nostri natura, ut in praesenti fortunarum conditione, et in his, quae praesto sunt, bonis raro aut numquam acquiescat; sed excelsiora et magnificentiora appetat, quibus veluti pasci et exsatiari possit ingens haec nostra ad perfectiora veniendi cupiditas. Quem vero nunc desideramus, et perfectiorem, et, quod huic affine est, beatiorem rerum statum; facile nobis persuademus, vel *sub rerum humanarum primordiis* mortalibus obtigisse, vel *futuro tempore* ad posteros esse rediturum. Haec sententia tam altas in mortalium animis radices egit, ut vetustissimarum gentium fabulas resque memoriae traditas occuparet. Nata inde sunt commenta poetarum atque philosophorum varie exornata et diverso tempore repetita *de aetate aurea*, cuius ea indoles fuisse traditur, ut a quovis genere aerumnarum atque imbecillitatum, quas *hominum societas et cultus* vel affert vel auget, immunes placidissimam vitam agerent antiquissimi mortales et magnum eiusdem beatitatis desiderium inter posteros relinquerent. Neque vero a se impetrare poterant harum narrationum auctores, ut hanc beatitatem a genere humano perpetuo alienam fore existimarent. Imo consentiunt in eo omnes, quod, sublata morum ingeniorumque perversitate, expiatisque novo virtutis studio flagitiorum sordibus, in quibus causa et quasi fons inerat miseriarum, gens divinitus orta, rursum in gratiam cum summo numine sit reditura pristinaque animorum tranquillitate atque beato otio fruitura. Hac exspectatione aequales suos miri-

fice exhilarabant et adversus fortunae iniurias muniebant. Quae spes cum ne vetustis quidem gentibus, quarum monumenta supersunt, peculiaris sit atque propria; sed eius vestigia satis luculenta in recentiorum quoque populorum, barbarorum adeo, narrationibus reperiantur: Hebraeis eam incognitam fuisse, vel rei natura suspicari nos minime pateretur, etiamsi libri eorum sacri de ea re tacuissent.*) — Superest, ut eius *singularem indolem atque naturam* ex rebus, ab hac gente gestis, et fatis, quae ei obtigerunt, breviter repetamus. —

*) Bene mereret, qui loca HESIODI (Ἔργ. καὶ ἡμέρ. v. 109—201.), OVIDII (*Metam.* I. 89—162.), VIRGILII (*Eclog.* IV.), et *prophetarum Hebraeorum de aetate hominum aurea* colligendo, et cum *recentiorum gentium incultarum* opinionibus, quas *itinerum narratores* recensent, super ea re comparando *historiam huius decreti uberiorem* nobis exhiberet. Cum enim pro suo quisque populus ingenio ac sensu eam varie informet; inde profecto sentiendi *de bonis et fine bonorum* ratio, et *morum cultus*, genti cuivis peculiaris ac proprius, optime perspiceretur. Quae res non tantum ad cognitionem iucundissima est, sed etiam ad *historiam morum generis humani* augendam utilissima. Ex hac comparatione *primum* appareret: spem atque exspectationem succedentis aliquando melioris temporis insitam esse animo humano, neque ullis praesentis vitae miseriis penitus exstingui posse, *deinde* vero, quantumvis in rerum singularum ornatu inter se dissideant descriptiones *aevi aurei*, quod priscis mortalibus contigerit, et quod rediturum sit aliquando in has terras; in eo tamen sapientiores uniuscuiusque fere gentis viros consentire, hanc beatitatem a vitae morumque integritate, summo numini unice accepta, fere totam pendere. Id quod ὁ σωφρονίζων toties hominibus nostris acclamavit: *„lasst uns besser werden, gleich wird's besser seyn.“* — Ceterum cf. ANTON *diss. de ratione prophetias Messianas interpretandi certissima nostraeque aetati accommodatissima*, Dessav. et Lips. 1786. 8.

Constat, ne *maiores* quidem *Hebraeorum*, in magna rerum abundantia constitutos, *spem* de *succedente meliori tempore* unquam deposuisse, quae in hominum animis deleri nequit. Quo minus autem sententiam *de Messia*, futuro duce atque imperatore, simulque restitutore reipublicae, placuisse Iudaeis *ante Davidis imperium* studioseque exornatam fuisse putemus, haud contemnendis de causis prohibemur. Cum enim et bellis cum vicinis gentibus assidue gestis, et tribuum singularum discordia salus publica saepe labefactata, nec nisi studiis virorum fortium passim restituta fuisset; quanta insit vis ac praestantia in *theocratico imperio*, Davide rerum principatum obtinente, usu tandem est cognitum. Nec in describenda Messiae provincia cum fructu versari poterat is, qui civitatis, a rege administratae, formam singularem atque commoda nondum fuerat expertus. Iure igitur existimatum est, *) quod in describenda Messiae dignitate, et beatitate, cuius auctor sit futurus, scriptores Hebraeorum omnes utantur comparationibus, a regum imperio petitis, inde effici, in hanc sententiam eo demum tempore eos incidisse, quo regum nutu atque auctoritate res publica gubernabatur. Aliunde enim haec imago eis innotescere non potuit. Sub iudicum enim, qui vocantur, imperio Hebraei nec commercio, neque alio quoquam vinculo praepotentibus, cui Asia interior parebat, tyrannis iuncti erant, sed cum indigenis Palaestinae pro aris et focis pugnabant. Neque illarum rerum publicarum forma talis erat, ut expetenda aliis videri posset. Pharaonum autem imperium, cuius funestam memoriam perhorrescebant, Israelitis in hac re exempli instar fuisse, nemo sanus dicet.

*) V. Ziegler l. c. p. 72.

Magis audiendus esset, si quis probare posset, ad *Mosen* et *Iosuam*, meritissimos Iudaeorum duces, animum advertisse, eorumque aetatem respexisse, qui de felicitate, sub futuri regis auspiciis reditura, sermonem instituebant, sed eius rei nulla vestigia satis certa in historiis reperiuntur. Et erant his aetatibus Hebraei tantis turbis certaminibusque dediti, tot miseriis obnoxii, in primordiis rerum civilium et sacrarum non sine magno molimine condendis toti occupati, ut citius ab earum memoria refugeret posterorum animus, quam ad has phantasiae auxilio exornandas quidquam valeret. *Davidis* autem *aetate* intellectum est, quantis viribus polleat gens, sibi ipsi fidens, sapientique moderatione ab internis turbis ad concordiam revocata. Exteris enim et domesticis hostibus debellatis, fines Iudaeorum agri latius proferebantur, vicinis quoque gentibus in foederis societatem receptis. Rerum civilium administratio popularium salutem mirifice iuvit; et artibus colendis, et morum disciplina emendanda, veri denique dei cultu restituendo splendideque augendo. Quod vero Davideum excepit, *Salomonis* imperium, spectabile quidem illud ac pacificum, tamen eorum, qui patriae vere amantes erant, plausum non tulit. Nam, licet magna eius auctoritas penes exteros esset, mercaturae necessitudine firmata, tamen luxuriam et intempestivum splendorem praeferenda esse duxit solidae moderati principis gloriae, nec ingenium populi, cui imperabat, satis perspectum habuit. Effecit enim immoderata aedificandi luxuriandique cupidine, ut vectigalium onus humeris impositum moleste ferrent populares inprimis hi, qui tribubus ab Hierosolymis remotioribus erant adscripti, resque novas molirentur, quibus labanti reipublicae medelam afferrent. Neque ab idolorum cultu sub

extremis vitae annis sedulo sibi cavisse censendus est. Ita factum est, ut in Davidis eiusque regni laudibus Iudaei lubenter acquiescerent, et quidcunque optabile animo versabant, ad hoc potissimum referrent. Id eo studiosius fiebat, quo magis huius aetatis vera ratio ab oculorum iudicio recessit, et quo saepius praesentium aerumnarum sensu exhaustis haec tanta beatitas invidenda maioribus videbatur. *) Dissentientibus enim hominum voluntatibus republica Iudaeorum in duas factiones discerpta, pristini roboris ac splendoris mox non nisi umbra et levis imago relicta est. Ad capitale odium, quo inter se utriusque regni cives dissidebant, accesserunt regum impius furor et incredibili scelere inquinata vita popularium: quae reipublicae interitum ab exterarum gentium impetu imminentem, cuivis non plane hebeti rerum gestarum spectatori facile portenderent. Quae funesta rerum civilium forma cum quotidie ante oculos vatum praestantissimorum versaretur, rerum gerendarum peritia non minus, quam patriae amore insignium; tamen saluberrima consilia suis frustra inculcabant, et ad emendandam publicam privatamque vitam perditos cives cohortabantur. Incidit enim in turpem servitutem innumerasque calamitates gens, quae meliora nec edoceri, nec sequi volebat. Sed ut miseri solent facilius rerum impie a se gestarum memoria moveri et ad bonam frugem redire: ita Iudaei, in deserta Assyriae Babyloniaeque deportati, victricinmque Asiaticarum gentium ludibrio insolentiaeque obnoxii, **) vi-

---

*) Cf. Krummacher *üb. d. Geist u. d. Form d. evang. Gesch.* p. 368.

**) Tacit. *Hist.* V. 8. de Iudaeis: „Dum Assyrios, ait, penes Medosque et Persas oriens fuit, despectissima pars servientium." —

tae ante actae recordationem non refugiebant et in tantorum malorum causas inquirebant. Inde mens sui sibi conscia facile ipsis persuasit, iustis se plecti suppliciis, quod, relicto veri dei cultu, in internos tumultus et genera varia flagitiorum proni ruissent. Eadem ingenue sensit docuitque prophetarum ordo, a quorum ore magna Iudaeorum pars lubentius, quam antea, pendebat.*) Neque tamen a se impetrabant Hebraei, notionibus de familiari necessitudine, deum inter atque stirpem suam intercedente, ab ineunte aetate imbuti, ut sub quo nunc graviter ingemiscebant, miseriarum onere nunquam levatum iri humeros arbitrarentur. Imo nova spe et exspectatione, qui sibi prudentiores videbantur, animi aegritudinem leniebant. **) Prophetae quoque nimis depressum

*) Communis fuit priscarum gentium paene omnium opinio, *physica*, quae vocantur, mala e *moralibus* originem ducere, et vinculo indissolubili utraque coniuncta esse. Cf. Gen. 8. 18. 19. Eventu vero et subtiliore rerum cognitione saepe fallente eos, qui puerilibus his commentis favebant, coeptum est dubitari a sapientioribus de dicti pervulgati veritate: „neminem nisi bonum fortunatum, scelestum infelicem esse" praesertim cum discrimen illud *externam* inter atque *internam* beatitatem (notissimum *Stoicis serioribus* eorumque principi *Senecae*, qui in eodem decreto exornando mirifice sibi placebant), quarum *illa* bonorum omnium affluentia cernatur, *haec* ad animi tranquillitatem rectique conscientiam unice pertineat, Hebraei externis vitae commodis eorumque usu ac fructu metientes omnia, nec novissent perspicue nec ad dirimendam litem satis subtiliter adhiberent. Quod argumentum constat uberius tractare et *Iobi* librum, et *Psalmos* aliquot serius conscriptos. V. DE WETTII *Comm. üb. d. Psalmen.* p. 102. et *Christl. Sittenlehre.* Berl. 1819. I. 138 sq. 322 sq. II. 1. 51 sq. 58. 61 sq.

**) Ingeniose IOANNES MUELLERUS, *allg. Gesch.* I. 449.: „*So wenig*, inquit, *einem Römer beikam, an dem* „*Glück des ewigen Rom's zu verzweifeln,* „*wie viel weniger mochte ein Enkel des durch Mo-*

et afflictum sacrum animum erigebant, atque patienter ferrent, quae obnitendo peiora sint futura, itentidem hortabantur. Eorum oratio, et castigationis et solatii plenissima, ad haec fere redibat. Luendas primum esse Hebraeis poenas, culpae ipsorum debitas, huic autem consilio divino barbararum gentium saevam dominationem inservire. Neque tamen fieri posse, ut quae maioribus, dei amicis, de augenda beandave stirpe toties repetita sint, promissa eventu careant. Expiatis igitur scelerum sordibus populum, duce et auspice deo, in patriam rediturum; exstinctoque

---

„ses, Othniel, Ehud, Barak, Gideon, Jephta, Simson, Samuel, Saul, David befreieten, an bewundernswürdige Rettungen gewöhnten Hebräer, ein von der Grösse seines Gesetzes u. der nie unterliegenden Macht seines Gottes tiefdurchdrungener Mann an einer Hoffnung zweifeln, die sich so mancherlei in hoher Begeisterung gefassten Erwartungen der Nation und des königl. Hauses anschloss, u. bei wachsender Gefahr nur gieriger aufgefasst u. ausgebildeter wurde." — Nec male Sartorius in Diatribe: *Drei Abhdlgn. üb. wicht. Gegenst. d. exeg. u. system. Theologie* p. 186. *„Die Hoffnung auf einen Messias bildete sich bei den Juden gerade so wie bei jedem Volke, das nach einer ausgezeichneten Vergangenheit in Verachtung und Sclaverey versinkt, Hoffnungen auf einen Nationalhelden entstehen, der es befreyen u. wieder heben soll; und so wie wir Deutsche unter französischem Drucke nach einem zweyten Herrmann seufzten, so seufzten die durch babylonische, griechische, römische Unterdrückung tiefgebeugten Juden nach einem zweyten David, der sie aus den Händen ihrer Unterdrücker erretten, die Theokratie mit Glanz erneuen, ja wohl gar die andern Völker ihnen unterwürfig machen sollte, und sie erwarteten diesen durch angesehene Propheten verheissenen Erlöser um so sicherer, da sie sich von jeher für Gottes-Lieblingsvolk hielten. Diese Genesis der Messiasidee ist so psychologisch natürlich, dass gewiss keine andere möglich ist."* —

inveterato inter tribus Iudaicas Israeliticasque odio, regem sapientia, iustitia et pietate insignem, Davidis oriundum prosapia, non solum Iudaeos in libertatem asserturum, sed etiam gentes a Mosaica lege alienas, quae Iudaica sacra sponte amplecti nollent, igni ferroque populaturum. Inde potentissimum ac beatissimum eius imperium futurum, laeta animorum tranquillitate, agrorum uberi fertilitate, sacrorum denique veri dei magnifica instauratione. Mox ad exteras nationes rerum divinarum veriorem notitiam a Iudaeis perventuram, easque ad colenda Iudaeorum sacra Hierosolyma migraturas esse. Id genus spes et exspectationes pro vario prophetarum ingenio a se invicem plus minusve discrepabant *), neque una ratione vulgi animum, et natura varium et educatione, occupavisse credibile est **). — Ceterum memoratu dignum est, inveniri loca satis multa in prophetarum libris, quae iure tuo *Messiana* vocaveris, etsi nullam *eximii cuiuspiam regis*, huius beatitatis auctoris, rationem habeant. Malunt enim *antiquiores* prophetae in simplici *meliorum temporum* spe et descriptione subsistere, *seriores* vero vates, paulo *ante* vel *post* exilii aetatem degentes, vel *inter exsules* morantes, ad eandem simplicitatem redierunt. Ita fit, ut non nisi hi, qui *medio* inter utrosque *tempore* sint constituti, *Davidei regis*, felicitatis statoris, mentionem uberius fecisse

---

*) Loca *potiora*, ceteroquin nemini ignota, exhibuisse sufficiat. Mich. 5, 1 sq. Ioel 3, 1 sq. 4, 3 sq. Ies. 2, 1—4. 9, 1 sq. 11. 60. 63. 65. 66. Ier. 23, 5 sq. 33, 14 sq. Ezech. 34, 23 sq. 37, 21 sq. Zach. 12—14. Ad singula loca cf. praeter interpretes alios Ven. et Ill. de Ammon *bibl. Theol.* T. II.

**) Cf. Krummacher l. c. p. 368. Valet de Iudaica plebe, si de qua alia, quod habet Cicero *de Nat. Deor.* I. 16. „Vulgi opiniones in maxima *inconstantia*, veritatis ignoratione versantur.“ —

reperiantur. Quod, ut de *antiquioribus* res expedita est (solent enim primum subobscure optari, quae temporis successu definiuntur varieque exornantur), ita in *serioribus* merito ac iure mirari possumus. Non contemnenda est Stahlii l. c. p. 682. coniectura, qui censuit, hos prophetas satius duxisse, antiquam reipublicae formam theocraticam restitui et principum potestatem restringi; cui addere possis, eos praepotentium Asiae tyrannorum saevam dominationem expertos ab hoc genere felicitatis, sub regis auspiciis exspectando, potuisse facile deterreri. Nam etiamsi Messias cultus divini instaurator et fautor apud plures prophetas perhibetur, tamen eius imperium longe lateque propagatum primo loco poni solet. Cf. de Wette *de morte I. C. expiatoria.* p. 34. *bibl. Dogm.* ed. 2. p. 112. Nomen מָשִׁיחַ, petitum illud ex interpretatione locorum Ps. 2, 2. et Dan. 9, 24. 27. Iudaeis familiari, in V. T. libris de exspectato Iudaeorum rege obvium non est, sed serius coepit usurpari. Eius loco utuntur *Ieremias* 23, 5. 33, 15. et *Zacharias* 3, 8. 6, 12. vocabulo צֶמַח, quod fere in *nominis proprii* consuetudinem abiit. (Cf. חֹטֶר מִגֵּזַע יִשָׁי Ies. 11, 1. שֹׁרֶשׁ יִשַׁי 11, 10. ῥίζα Δαβίδ Apoc. 5, 5.) — Ceterum de indole oraculorum Messianorum, spectata *universe*, bene Rueckertus l. c. 449. „*die Idee einer reinsittlichen Wiederherstellung ist nirgends anzutreffen, politisch ist die Hoffnung allenthalben, geht über die Erde u. das Bedürfniss des Wohlseyns nicht hinaus.*“ —

Post reditum Iudaeorum (pauperiorum certe et ignobilium, multi enim fortunas suas inter barbaros constituerant) in *Palaestinam*; ducibus Serubabele, Esra et Nehemia, indefessa quidem opera disciplinae et cultui maiorum instaurandis

impendebatur, sed (ut breviter dicam, quod res est) pingui Minerva. Ingenua enim et bene morata indoles, quae priscorum vatum et vitam et sentiendi de rebus divinis rationem rexerat, penitus exstincta erat. Verae religionis naturam quo magis ignorabant, eo maiori studio in librorum sacrorum apicibus anxie servandis versabantur. Adventum vero regis *prope* dicebant abfuturum.*) — *Maccabaeorum aetate* rebus Iudaeorum sacris denuo graviter periclitantibus, Antiochi tyranni (ῥίζα ἁμαρτωλὸς 1 Macc. 1, 11.) insania, non solum (ut fit in his, qui religionis causa aerumnas subeunt) fortiores redditi sunt et patriarum legum tenaciores animi, in vitae discrimine versantes; sed crevit inter ipsa Antiochinae adflictionis tempora, et mirum in modum exornata est spes sospitatoris futuri. Hunc praeeuntibus, quae a *Daniele* nomen habent, oraculis, de nubibus coeli in has terras descensurum, quintam eamque extremam Sanctorum monarchiam conditurum, orbisque terrarum gentes ditioni suae subditurum augurabantur. Ab his vaticiniis, paulo ante Christi aetatem celebratissimis, Iudaeorum Palaestinensium maxima pars tota pendebat. Obfuit Iudaeorum de rebus divinis et moribus doctrinae, quod, neglectis antiquiorum prophetarum, in his *Iesaiae*, oraculis, ad *Danielem* legendum cupidius se conferebant, in quo *ethica* prophetici muneris *pars* fere neglecta iacet (ut scite observavit DE WETTE *Einl. in d. A. T.* §. 255. ed. 2.). Inde rerum novarum studium, a natura iis insitum, mirifice auctum est. Plurimi enim gloriati fuisse videntur his

*) Huius aetatis indolem ad liberalem disciplinam morum et rectam de rebus divinis cognitionem propagandam nequaquam idoneam nemo melius descripsit DE WETTIO in l. *Christl. Sittenl.* II. 1. 68 sq.

Christi aetatibus, quarta monarchia, cuius fata et interitus omnium *copiosissime* describuntur, Romanorum impotentem dominationem designari; alii eo se nunc tempore constitutos putabant, quod *post* imperium *Macedonico-graecum* (quod *quartum* his verius videbatur) ad internecionem redactum, et *ante* solemnia regni *Messiani*, aeternum duraturi, primordia iacet *medium*, varii generis calamitatibus refertum illud (עֵת צָרָה Dan. 12, 1. coll. 7, 12. 26. 9, 24 — 26.), quo exterorum iniuriis gravissime Israelitae sint vexandi. — (V. de hoc discrimine subtilius agentem et posteriorem sententiam tuentem PAULUM in *Comm.* III. p. 45 — 66. *üb. d. nächst. gemeinschaftl. Ursprung d. Erwartgn. v. e. messian. Theokratie in Jesu Zeitalter.*) Cf. ad loca, quae inprimis huc faciunt, 2, 44. 45. 7, 13. 14. 12, 1 — 3. BERTHOLDT. in *Comm.* — In quamnam partem ea sit interpretatus Christus, non dicitur. Sed facile erit ea de re iudicium reputanti, eum popularium animos a seditiosis tumultibus ad morum conformationem convertere ubique conatum esse. Cf. inter al. Ioh. 6, 15. Nec tamen negandum, Christum *sub extremis vitae annis* Danielis maxime oraculorum memorem fuisse, et ubi in reditus sui (παρουσίας) mentionem incidisset, iisdem et loquendi formulis et imaginum coloribus usum fuisse, quibus in eo libro Christophania describitur; cf. Matth. 24, 30 sq. Mc. 13, 26 sq. Luc. 21, 27 sq. et Matth. 26, 64. Mc. 14, 62. etsi Danielis nomen nonnisi duobus locis in evangeliis exhibetur, Matth. 24, 15. Mc. 13, 14. (in quo tamen loco verba: τὸ ῥηθὲν ὑπὸ Δανιὴλ τοῦ προφήτου exulare e textu iussit GRIESBACHIUS et recentissimus Griesbachiani N. T. editor peritissimus D. SCHULZIUS). Nomen vero τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, quod toties sibi in evangeliis tribuit Christus, constat male

petitum esse. Dan. 7, 13. a Iudaeis serioribus, epithetorum huius generis cupidissimis, et male sedulis indagatoribus, et in Messiam translatum. Ibi enim comparatur Messiae, instar numinis de nubibus coeli venientis figura humanae figurae lineamentis (כְּבַר אֱנָשׁ). In *Henochi* etiam libro Christi aetate conscripto, qui Danielis vestigia pressit, *filii hominis* nomen centies Messiae datum reperies*). — Ceterum primis post Christi discessum ex hoc orbe seculis hi, qui Chiliastarum somniis favebant, ad Danielis oracula cupide redibant. Iudaei vero, odio erga Christianos flagrantes, qui in hoc libro res a Messia suo gerendas praeclare significatas invenisse sibi videbantur, nec memores vetustiorum doctorum, qui Danielem ad coelum tollunt laudibus, de eius auctoritate variis modis mireque insanis nunc detrahere solebant. Cf. *Daniel* v. Bertholdt. Erlang. 1806. Praef. p. VIII. sq. Maximi eum fecit, circumspecto licet iudicio utens, Josephus *Antiqq.* X. 10, 4. 11, 7.

Libri apocryphi, quos magnam partem a Iudaeis Graece loquentibus in Aegypto exaratos esse credibile est, **) ab hac communi spe et exspectatione aliquantum discedunt. Malunt enim laetiorem rerum Iudaicarum conditionem et splendidissimam reipublicae formam, devictis exteris et ad sacra Iudaica adductis, dei beneficio olim restitutam adumbrare, quam huius auctorem beatitatis Messiam praedicare; neque desunt purioris doctrinae semina huc illuc immixta. Causa *silentii* Iudaeorum Alexandrinorum *de Messia* inter alias haec esse videtur, quod haud paucis iuribus ac-

---

*) Huius etiam rei uberius explanandae infra dabitur opportunitas.

**) Cf. tamen Eichhorn *Einleit. in d. Apokryph. d. A. T.* p. 23. 26. Kaiser *bibl. Theol.* II. 2. *bibl. Mor.* p. 23.

praerogativis ab Alexandri M. aetate Lagidarum, maxime Ptolemaeorum liberalitate ornati, lautius inter Graecos viverent; nec melioris sortis patriasve terras revisendi desiderio vehementius moverentur. Nec pugnaverim, si quis eos, Graecorum philosophia et eruditione subactos, consulto ab hac sententia, parum accommodata Graecis ingeniis fereque invisa abstinuisse putet. Cf. Eichhorn l. c. p. 5. Sturz *de dial. maced. et alex.* p. 3. — In loco nobilissimo I. Macc. 14, 41. verba: „ἕως τοῦ ἀναστῆναι προφήτην πιστὸν," non esse *ad Messiam eiusque adventum* referenda, quod placuit nonnullis antiquioribus interpretibus, in his *Luthero*, nemo, opinor, nunc dubitat. V. qui contra disputavit I. D. Michaelis *deutsche Uebers. d. erst. B. d. Maccab. mit Anmerkgn.* Gott. 1778. p. 310. 311. Detulerant in Simonem principatum atque sacerdotium summum, una cum imperatoria dignitate perpetuo (εἰς τὸν αἰῶνα) tenendum, donec spiritu divino actus propheta summaque fide dignus in medium prodeundo aliam reipublicae formam suasisset. Maccabaeorum enim stirpem in honore et loco prophetarum non fuisse habitam, res est notissima; quin penitus exstinctum hac aetate donum prophetiae existimabatur (cf. 9, 27. καὶ ἐγένετο θλίψις μεγάλη ἐν τῷ Ἰσραὴλ, ἥτις οὐκ ἐγένετο ἀφ' ἧς ἡμέρας οὐκ ὤφθη προφήτης ἐν αὐτοῖς). Tamen exspectabatur propheta, qui de iure et sacris esset responsurus cf. 4, 46. „μέχρι τοῦ παραγενηθῆναι προφήτην τοῦ ἀποκριθῆναι περὶ αὐτῶν." Quod satis probabile est factum esse praeeunte loco Deut. 18, 15.; hunc autem prophetam praecursorem fore Messiae eiusque adventui animos Iudaeorum praeparaturum eodemque cum *Elia* (apud Mal. 3, 23. 24. [4, 5. 6.]) officio esse functurum, nusquam legitur in

his libris. Nec tamen non potuit ex interpretatione horum locorum Iudaeis familiari fluere, dogma Christi aetate pervulgatum, praeter Eliam, *alium quendam e vetustis prophetis* (ὁ προφήτης. Io. 1, 21. προφήτης εἷς τῶν ἀρχαίων. Luc. 9, 8.), quem nonnulli (cf. Mtth. 16, 14.) *Ieremiam* dixerunt (abusi fortasse male intellectis locis: 2, Macc. 2, 7. 15, 14.), Messiae in has terras adventum esse antecessurum.

His commode adiungimus *Philonem Alexandrinum*, quem conciliandi sententias Pythagoraeorum ac Platonicorum de fine bonorum et Chaldaeorum sapientiam cum sacris Iudaeorum literis studio ductum, substituisse in simplici aureae aetatis descriptione non sine legis morumque cultu animique emendatione obtinendae, satis constat. Quorum fructum itemque maximam beatitatis partem contineri putat summa concordia et placido virtutis exercitio. Neque tamen excludit popularium in patriam reditum, cum suppliciis, de communi hoste sumendis, coniunctum. *)

De Messia eiusque regno plane tacet *Iosephus*, vel ne Romanorum suspiciosum adversus populares animum converteret, eosque rerum novarum cupiditatis insimularet, vel quod post excidium urbis et reipublicae tantasque gentis suae miserias vanam esse atque temerariam huiusmodi spem atque exspectationem indicavisset. **) Memorat

---

*) *De execrat.* II. p. 435—437. *de praem.* II. p. 420 sq. *de somn.* I. p. 646. 647. edit. Mangey. Cf. de Wette *bibl. Dogm.* 164. 165. Ven. et Ill. de Ammon *bibl. Theol.* II. 231. Vestigia aliqua, sed ea satis incerta Messianae sententiae reperisse sibi visi sunt nonnulli in usu loci Num. 24, 7. *de praem.* II. p. 423 sq. V. Stahl *Lehrbegr. Philo's* in Eichhorn. *Bibl.* IV. 849 sq. Berthold *Christol.* p. 14 sq.

**) Cf. Bretschneider *Capp. theol. Judd. dogm. e F. Iosephi scriptis* etc. Lips. 1812. p. 36 sq.

quidem ambiguam famam, quae hoc tempore Orientem totum percrebuerat et e sacris Iudaeorum literis profecta dicebatur, „esse in fatis, ut Iudaea profectus rerum potiretur," unde mobilem gentem ad varia bella incitatam scribit. *) Eundem rumorem, si non inventum, studiose tamen propagatum a Iudaeis ἐν τῇ διασπορᾷ viventibus, iisdem fere verbis ac causis memorant *Tacitus* atque *Suetonius*. **) Iosephus haec oracula

*) *De B. I.* VI. 5. 4. p. 1006. ed. Oberthuer. τὸ δὲ ἐπᾶραν αὐτοὺς μάλιστα πρὸς τὸν πόλεμον, ἦν χρησμὸς ἀμφίβολος ὁμοίως ἐν τοῖς ἱεροῖς εὑρημένος γράμμασιν, „ὡς κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον ἀπὸ τῆς χώρας τις αὐτῶν ἄρξει τῆς οἰκουμένης." Τοῦτο οἱ μὲν ὡς οἰκεῖον ἐξέλαβον, καὶ πολλοὶ τῶν σοφῶν ἐπλανήθησαν περὶ τὴν κρίσιν. Ἐδήλου δ' ἄρα περὶ τὴν Οὐεσπασιανοῦ τὸ λόγιον ἡγεμονίαν, ἀποδειχθέντος ἐπὶ Ἰουδαίας αὐτοκράτορος. — Oraculum, ad quod provocat h. l. *Flavius*, eumque sequutus *Tacitus* et *Suetonius*, ad quamnam sacrae paginae partem referendum sit, concertant viri docti. Ex *Micha* petitum putat Casaubonus (ad *Suetonii* l. statim excitandum); *Danieli* aut *deperdito scriptori prophetico*, cuius reliquiae servatae sint in templo, assignat Ernestius; Bretschneiderus denique (l. c. p. 37.) ad *Bileami* de Israelitis vaticinium (Num. 24, 3 sq.), quod *Iosephus Antiqq.* IV. 6. 4. libris suis inseruerit, respiciendum esse censet. Equidem, si in tanto dissensu, quid mihi videatur, dicere licet, non putaverim, scribentis haec animo Iosephi certum quendam locum perspicue obversatum esse, sed voluisse eum spei atque exspectationis Messianae summam, ex assidua prophetarum lectione satis sibi cognitam, verbis paucissimis et idoneis adumbrare. — De plebe Iudaica, ad res novas moliendas his temporibus maxime proclivi et seditionum suasoribus facillimas aures praebente, v. inter alia *de B. I.* II. 13. 4. *Antt.* XX. 5, 1. 8, 6.

**) *Sueton. Vespas.* c. 4. Percrebuerat Oriente toto vetus et constans opinio, *esse in fatis, ut eo tempore Iudaea profecti rerum potirentur.* Id de Imperatore Romano, quantum eventu postea patuit, praedictum, Iudaei ad se trahentes rebellarunt. Ad

Vespasiano dicta esse censet, similis Suetonio et Tacito, qui in Vespasiani ac Titi dominationem ea cadere docuerunt. Reliqua V. T. loca, in quibus luculenta rei Messianae vestigia haec aetas deprehendebat, ubi in eorum interpretationem delatus esset, maluit de universo quodam genere felicitatis dicta existimare aut sicco pede transire. *)

Expugnato a Romanis Iudaeorum agro rerumque publicarum administratione procuratorum manibus tradita, pristini roboris et splendoris nihil relictum est sacerdotibus ceterisque proceribus civitatis, si a iure circa popularium sacra discedis,

---

quem locum v. Casaubon. — *Tacit. Histor.* V, 13. Pluribus persuasio inerat, antiquis sacerdotum literis contineri, *eo ipso tempore fore, ut valesceret Oriens, profectique Iudaea rerum potirentur.* Quae ambages Vespasianum ac Titum praedixerant: sed vulgus, more humanae cupidinis, sibi tantam fatorum magnitudinem interpretati, ne adversis quidem ad vera mutabantur. — His geminus est alius isque satis nobilis locus *Suetonii Claud.* 25. ubi verborum „Iudaeos, impulsore *Chresto*, assidue tumultuantes, Roma expulit" veram interpretationem coll. *Tacit. Ann.* II, 85. et *Act.* 18, 2. dedit Ven. et Ill. de Ammon in *Progr.* super h. l. quod prodiit *Gotting.* 1804. 4. quocum concinuit b. F. A. Wolfius, quamvis in *Comm.* ad. *h. l.* quem *prius* prodire iusserat, una cum Ernestio aliisque secus statuerit, et ab anachronismi errore vindicare scriptorem suum annisus sit. V. Baumgarten-Crusius in *Comm.* ad *h. l.* Add. Ven. Tzschirneri *Progr. Graeci et Romani scriptores cur rerum Christianarum raro meminerint.* I. p. 9 sq.

*) *Antiqq.* I. 13, 4. in promissiones, Abrahamo (Gen. 12, 3. 18, 18.) a summo numine factas, incidens, hunc earum eventum praesagit, ut futuri sint Iudaei ζηλωταὶ πᾶσιν ἀνθρώποις. In tota hac causa accurate tenendum, pro se genteque sua scripsisse Iosephum non tantum de Bello Iudaico commentarios eosque Tito Caesari obtulisse, sed in Antiquitatum item gravissimo opere concinnando Graecorum perpetuo rationem esse habitam, ut fatetur *Praef. ad lib. I. Antiqq.* §. 2. —

Crevit et ingens libertatis amor meliorisque aetatis exspectatio. Accesserunt scholae *Pharisaeorum* et *Sadducaeorum*, quae ab antiqua morum simplicitate ad *μισοξενίαν* *) perversasque artes plebem avocabant, eiusque de rebus divinis sententiam unice regebant. **) Ita factum est, ut gens ad turpia facinora non minus quam ad seditiones movendas proclivis, et sibi dedecori, et Romanis iure ludibrio esset. Non est quod ab his afflictis et perditis hominibus, in tanta rei sacrae et civilis perturbatione, puriora de Messia eiusque regno decreta exspectes, vitae moribusque emendandis profutura. Graviter tamen dolendum est, luculentiorem eorum notitiam, eius, inquam, *temporis, quod Christi adventum proxime antecessit*, a nemine esse proditam memoriae.

Quare, ut *plebis* de Messia eiusque regno et provincia his aetatibus *opiniones* cognoscamus, acquiescendum nobis est in vestigiis his, quae *per Evangelistarum commentarios dispersa* reperiuntur. Et cum ne prophetae quidem *omnes* morum correctionem a Messia exspectandam esse docuissent, eo minus admirandum, homines Iudaeos Christo aequales, summa servatoris exspectatione suspensos maximaque vitiositate immersos, in *regio munere* ei tribuendo, quod suo quisque ingenio exornavit, magis sibi placuisse (cf. Io. 6, 15. 1, 50. 18, 36. 37. Act. 1, 6. add. loca, in quibus *titulus cruci inscriptus* memoratur), quam in *doctoris, prophetae, legum latoris*, Mosi similis, *thauma-*

*) Verissima Tacıtı vox, caute alias, ut constat, legendi rerum Iudaicarum scriptoris *Hist.* V. 5. *adversus omnes alios hostile odium.*

**) Lege, qui haec uberius tractavit, Ewaldum in libro: *Pirke Aboth oder Sprüche der Väter, ein Tractat aus der Mischna. Uebersetzt und erläutert u. s. w.* Erlang. 1825. p. XV sq.

turgique provincia in eum conferenda, etsi huius quoque sententiae, inter vulgum receptae, testimonia insunt in locis his: Io. 1, 50. 4, 29. 6, 14. 7, 31. Mtth. 12, 23. coll. Act. 3, 22. 7, 37. et Deut. 18, 15. 18. 19. *Davidis stirpe oriundus* putabatur: Mtth. 12, 23. 22, 42. Mc. 12, 35. Luc. 20, 41. Io. 7, 42. Vocatur *filius dei* (e loco Ψ. 2, 7.) Mtth. 16, 16. 26, 63. Mc. 14, 61. Luc. 4, 41. Io. 6, 69. Vocabula *Messiae*, *Christi*, *Iudaeorum regis*, *filii hominis*, *filii dei* in *synonymorum* numerum referenda esse, probatur recte, ut ex aliis locis, ita maxime e Luc. 22, 67. coll. v. 69. 70. Io. 1, 50. 11, 27. Oraculis vero usi sunt hi homines non tantum vere Messianis, sed item aliis, quae ad hoc genus minime pertinent. Nec a subtiliore disquisitione de persona, aut ut barbare dicam, quod res est, substantia Messiae deque eius efficacia prorsus abstinuisse videntur huius aetatis doctores, unde dissensio, nata in scholis, ad plebem manavit. Sic Messias Bethlehemo oriundus perhibetur Mtth. 2, 5. Io. 7, 42. alii, *unde* sit venturus, nemini notum esse dicebant. Io. 7, 27. *Aeternum* censebatur e prophetarum vaticiniis eius imperium Io. 12, 34., in qua re ab hac aetate recessit *seriorum Iudaeorum* nomen, uti infra dicetur.

Samaritani quidem in hac re melius sibi consuluerunt, et, post secretionem a Iudaeorum commercio atque sacris factam, de Messia venturo praeclarius sentiebant; si quidem ei munus peccata expiandi, mores remque sacram emendandi; verbo, gentes ad bonam frugem revocandi iniungebant. *)

---

*) Quod nomen Messiae, השׁהב s. התהב confirmat, si eam huius vocabuli interpretationem et pronuntiationem sequutus fueris, quam Ven. Gesenius in

Herode Idumaeo sub Romanorum auspiciis Iudaeae principatum tenente, eorumque benevolentiam tum saevitia erga populares, tum noviis institutis, gentilium superstitionem, ritus et luxuriem referentibus, turpiter captante; qualis fuerit spes et exspectatio Iudaeorum, quibus haec impotens dominatio supra, quam dici potest, invisa erat, *ex ipsis*, ut diximus, *N. T. libris* docendum erit.

Hoc igitur, qui unice relinquitur, respecto fonte facile patet; ut *Iudaeorum Palaestinensium*, qui Christi in has terras adventum proxime antecedunt et attingunt aetate, de republica Messiana eiusque statore sententiae cognoscantur, *priora Lucae commentariorum capita* in censum venire. De quorum *authentia* quamvis minime sim nescius probabili subtilitate dubitatum esse a nostris hominibus criticis, neo de *fonte* harum narrationum, *singularumque partium compositione* unam esse interpretum sententiam: tamen, re multum cogitata, dubitandum nobis non est visum: *aliquot Christi aequalium* de Messia eiusque regno placita disci inde posse.

Rationes, quae me movent, ut ita statuam, media fere via Pauli (in *Comm.* ad *h. l.*) inter et Schleiermacheri (*üb. d. Schrift. d. Lucas.* T. I. Berl. 1817. p. 19—49.) sententiam incedens (qui duumviri omnium subtilissime in horum capp. indolem et originem inquisiverunt), paucis indicandae, hae sunt. Puto non temere esse fictas seriusque adiectas evangelio has narrationes, quasve iis insertas legis, ora-

---

Progr. de Samaritanorum theologia e fontibus ineditis. Hal. 1823. p. 43 sq. proposuit. — Cf. Ill. et Ven. de Ammon *bibl. Theol.* II. 228 sq. Bertholdt l. c. p. 21 sq. add. Io. 4, 16 sq. et Krummacher l. c. p. 374.

tiones, quae est magni nominis interpretum sententia; sed subesse horum capp. argumento res vere gestas, traditione propagatas, variis tamen exornatas additamentisque amplificatas. Neque hoc ita existimatum velim, quasi ea rerum gestarum series atque ratio, quae his capp. nobis offertur, tota sit *ex eventu seriore* efformata et mira arte in hanc, qualis est, formam redacta. Imo, quod propius nostram causam spectat, commode mihi *fontis* loco, ex quo notionum Messianarum, huic aetati familiarium, aliqua cognitio rite ducatur, haberi posse videntur, his maxime de causis:

a) Sunt hae exspectationes Messianae hominum, qui inducuntur loquentes, uniuscuiusque ingenio, sentiendi rationi, personae munerisque gravitati egregie accommodatae. Tantam vero credibile non est fuisse in inventore, quem qui sumunt, faciunt vel Lucam ipsum vel Iudaizantem Christianum, historiarum scribendarum artem et, quae his nostris temporibus rara est, facultatem, aetatis, quae dudum recessit ab oculorum et sensuum iudicio, indolem accurate tenendi fideliterque describendi, quidve singulorum hominum educationi, fortunis, vitaeque generi convenit, ita dicendi, ut ad rei veritatem nihil desiderare tibi videaris. Quem locum uberius persequutus est PAULUS in *Comm.* — A Luca quidem profecta esse haec capita, e *forma orationis omnique genere dicendi*, quae ad consuetudinem in evangelio conspicuam, proxime accedit, et facile patet et accuratissime demonstratum est per singula e verbis eorumque locatione et structura, e loquendi formulis, omnique orationis tenore a GERSDORFIO in L.: *Beitr. zur Sprachcharakteristik der Schriftsteller des N. T. Eine Sammlung meist neuer Bemerkungen.* T. I. Leipz. 1816. p. 160—272. coll. *Censore* in *Annal. theol.* 1817. p. 951 sq.

Neque tamen inde consequitur, *argumentum orationis* totum esse fictum, nec, quae dispersae reperiuntur per haec capita notiones Messianas, tanquam lusu quodam ingenii liberiore excogitatas, in usum nostrum esse vocandas. Et qui ad apostolorum aliorumque orationes, in *Actis* a Luca suopte ingenio efformatas, provocant (*Thucydidis* et *Livii*, ut aiunt, more interque Iudaeos *Iosephi*, qui in libris de Bello Iudaico idem saepius sitcausus*),) ut nostrorum capp. fidem impugnent, sumunt tanquam concessum, quod egebat cum maxime probabili demonstratione, nec in hoc opere diversam esse pro diverso loquentis ingenio orationem, nec fontes satis genuinos in his monumentis exarandis Lucam esse sequutum. Atque eadem fere exterorum atque Iosephi ratio esse videtur. Recorderis etiam in universum, quam tenuis fuerit et nullis exculta studiis doctrinae inter seriores Iudaeos ars, literis res gestas mandandi; ex quo genere sunt, qui historias pertractant, libri apocryphi, maximeque qui Maccabaeorum res gestas enarrant, commentarii, verae criseos expertes. Quorum auctores ubi *fingendi licentia et pruritu* se abripi patiuntur, in innumeros gravissimae notae errores incidunt. Cf. praeter ceteros EICHHORN *Einl. in die Apocryph.* p. 12 sq.

b) Quod quae insunt his capp. praedictiones et narrationes de Messia venturo, si *ex eventu rebusque posthac a Christo gestis* evangelio essent adiectae, haud dubie *luculentius* definitae, perso-

*) Nostra aetate recte conferas *Segurium*, praeclarum hominem, in historia belli a Napoleonte in Rossia gesti, qui duces singulos loquentes coram Imperatore inducit. Horum sermonum quamvis sint fontes genuini, et aptissime distinguantur pro ingenii diversitate pro rebus suis verba facientes, tamen dicendi genus, quod scriptori debetur, in omnibus est idem.

naeque, quam Christus sustinuit in his terris, multo subtilius aptatae ad nos pervenissent. Quod valet inprimis de Christi imperio *terrestri*, a Gabriele et Maria exspectato. Neque probabiliter dicas, harum narrationum et vaticiniorum auctorem, ad Chiliastarum partes prope accedentem, solemnem Christi reditum externumque populi Iudaici splendorem exspectavisse. Is enim non in hac *simplicitate internaque* narrationum *dignitate* acquievisset, sed totum locum more huius aetatis et sectae fusius exornavisset.

c) Nec *temporis spatium*, quod iacet inter Christi natales dies et Lucae scriptiones satis est diuturnum, ut id genus narrationes et praedictiones, quae solent, ut ex *historica analogia* patet, deficientibus aequalium testimoniis, *serius multo* oriri, potuerint sine incommodo fingi, et sine periculo detegendae piae fraudis evangelio temere adiungi. (Sed cum huic disputationi finitima sit alia, quae est de tempore, quo literis exarati sint Lucae commentarii, fusius eam attingere nobis hoc loco non licet.)

Fontes vero unde horum capp. argumentum sit ductum, cogitari *plures* possunt etsi hos malim traditionibus ore propagatis, quam scriptis contineri. Neque tamen continuo reiiciendam esse dixerim (id quod multi iusto iniquius fecerunt) tanquam ab huius aetatis ὀλιγογραφία alienissimam PAULI coniecturam, qui, ut satis notum est omnibus, *fragmenta* quaedam *historica*, in Zachariae maxime domo asservata, a Luca in usum suum conversa et fundamenti loco prioribus evangelii capitibus inserta esse existimavit. Rei summam de recto usu huius evangelii partis ad cognoscendas notiones Messianas, aliquot huius aetatis Iudaeis familiares, ex argumentis modo allatis *maxime probabilem* effici puto (quis enim in tali ar-

gumento sine inani iactatione *ad liquidum se perduxisse rem* iure dicat?); in *singulis* vero *explicandis* suo quivis utetur iudicio; variis enim locus est coniecturis interpretandique generibus. Quod valet inprimis de *forma* harum narrationum et praedictionum, *poeticisque*, quibus constant, *partibus*. Poëseos enim ac historiarum ambitus non certis finibus regitur in Iudaeorum reliquorumque Orientis populorum libris, qui rerum gestarum memoriam servant, sed utraque dicendi genera varie commiscentur, nesciis fere scriptoribus. Detrahere autem nudae rei veritati ea, quae aut *ornatui* debentur his literis pervulgato, aut ex *interpretatione historiae religiosa* (quam novo quidem, sed satis apto nomine appellavit Ven. Branckius in *Observv. quibusd. de Lucae Evangelii analysi critica, ab Ven.* Schleiermachero *proposita* insertt. *Comm. theoll. editt.* a Ven. Rosenmuellero, Fuldnero, et Maurero T. I. p. 26.) profecta esse videntur, res est ardua crebrisque erroribus obnoxia. Quo minus invidendum est honestis eorum conatibus, qui iteratis studiis in harum rerum verum nexum et rationes inquirendo, quid proxime absit a vero, candide proponunt. Quidquid tamen quantumve ad *formam* et ad *poeticae orationis lumina* referendum sit, tamen, ut scite monuit Schleiermacherus l. c. p. 48. tanta est harum narrationum, quarum argumentum ad rei christianae caput, vitam dico Christi publicam, minime pertinet, interna dignitas ac simplicitas, ut hanc quoque ob caussam a fabulosa et rabbinica *evangeliorum apocryphorum* indole mirum quantum distent. Ceterum lubenter acquiescimus in eiusdem Viri sagacissimi (l. c. p. 35.) iudicio: „*Wer in solchen Dingen alles glatt und rein deuten will, geht eben so fehl, als wer ängstlich am Buchstaben klebt. Mit Freiheit wollen sie behandelt wer-*

den, wie sie entstanden sind; das zufällige soll man vom wesentlichen scheiden, letzteres dann aber auch klar und fest halten." —

Sunt tamen Iudaei, de quibus agit Lucas, cordatiores, et pietate praestantes, ita ut, an *promiscua multitudo* idem iudicaverit, iure tuo dubitare possis. Id quod e Christi orationibus, coram plebe habitis, in quibus huius generis opinionum ratio saepe est habenda, luculentius intelligitur. Nunc ad horum locorum explanationem nos vertamus. —

Luc. 1, 15 — 17.

Ac primum *Gabriel*, Zachariae sacerdoti filium nascendum designans; etsi aliquantum dubitari possit, an Messiam disertis verbis nominet, Ioannis tamen, praecursoris futuri regis provinciam describit dilucide. Domesticam enim animorum discordiam tollendo, et qui nunc immorigeros se gerant erga deum, ea sentiendi ratione, quae piis hominibus familiaris est, imbuendo, efficiet, ut populus sit ad dominum excipiendum paratus. His verbis cum non perspicue insit, *quale* cogitari debeat Messiae munus, non ausim *certo* pronuntiare, ad animos moresque corrigendos id totum referri.

Quid mihi videatur de ἐνώπιον αὐτοῦ v. 17. paucis dicam. Equidem αὐτοῦ ad *Messiam* refero, non ad *deum*, his maxime de causis:

a) Elias, cuius vestigiis insistere et tanquam personam sustinere debuit Ioannes, ex interpretatione locorum *Malachiae* (3, 1. 4, 5. 6. [3, 23. 24.]) huius aetatis Iudaeis recepta (quae item *Hieronymi* aetate pervulgata erat, ut fatetur ipse *in Comm.* ad *h. l.*), non *dei* in has terras adventum praecessurus putabatur, sed *Messiae*. Cf. Ven. Rosenmuelleri *Schol.* ad *h. l.* et I. H. Michaelis *Nott.* ad *Edit. Hal. h. l.* Cf. de hac Christi aequa-

lium exspectatione Mtth. 11, 14. 17, 10—13. (et Lightfoot in *Hor. hebr.* ad *h. l. Opp.* II. 339.) Mc. 9, 11 sq. Luc. 7, 27. Ioh. 1, 21.

b) αὐτὸς dictum *simpliciter*, ad Messiam commode referri potest, cuius nomen aeque familiare fuisse videtur horum temporum Iudaeis Christocratica exspectatione suspensis, ac Pythagorae nomen discipulis in trito isto: αὐτὸς ἔφα. Nolo ea loca huc transscribere, quae ad comprobandum similem loquendi usum e sacris exterisque scriptoribus attulerunt Elsner. in *Obss. ss.* ad 1 Ioh. 2, 6. eumque sequutus Kuinoel. ad *nost. l.*, praesertim cum magno egeant delectu: loca enim Deut. 32, 39. ψ. 37, 5. 102, 28. ubi הוא de Iehova simili modo dictum esse censent, ex alio sunt genere. Cf Heumann. et Vater. in *N. T.* ad *h. l.* Similiter pronomen αὐτὸς et ἐκεῖνος, praeeunte *Ioanne* in ep. prima, in *dialecto religiosa* societatis hominum christianorum de Iesu sensim adhibitum fuisse credibile est. Cf. 1 Ioh. 2, 12. 3, 5. 7. 16. Nam Luc. 5, 17. et 1 Ioh. 2, 6. Kuinoelius, et 1 Ioh. 2, 6. 27. 28. 3, 3. Elsnerus l. c. ab hoc usu excludere debebant. Atque, ut nostris illustremus antiquiora, hodieque inferioris ordinis *Napoleonistae* in Neofrancia, caute heroem suum indicantes, pronomine *celui* sine ullo additamento solent uti. Cf. lepidam narrationem in Lady Morgan *Reise nach Frankreich.* Leipz. 1821. T. I. p. 64 sq. Ita Sinenses Confucium suum vulgo non *nomine*, sed *pronomine* insigniunt. —

c) confirmat hanc interpretationem *aliquantum* (minime enim sum nescius, quantum sit tribuendum locorum parallelorum collationi) 1, 76. ubi, quum paulo ante Zacharias *de Messia adventante* verba fecerit, κυρίου non poteris, nisi contorte, ad *deum* trahere. — Neque tamen e nostra interpretatione consequitur, κυρίον τὸν Θεὸν v. 16.

dictum esse de *Messia*, non de *Iehova*. Quotquot enim virtutes divinae in Messiam conferantur, nusquam tamen dicitur *Iudaeorum deus*. Cf. Bertholdt. *Christol.* §. 22. Gesen. *Comm. in Ies.* I. 77. Rosenmueller. *Schol. in Malach.* 3, 1. et utrosque interpretes clarissimos *ad Ies.* 9, 5. — Repentina denique et parum limata personarum mutatio in scriptore Hebraizante et in prophetica oratione versante, neminem offendet; et voc. κυρίου v. 43. et 45. *utroque sensu* de Christo et de deo adhibetur. — Cf. Grotium, Paulum et Kuinoel. *ad h. l.*

Luc. 1, 32. 33.

Idem angelus inducitur, Mariae filium ex ipsa nasciturum annuntians. Respectis vero, quibus Messiae futurum regnum ibi depingitur, verbis, non dubitabis, ad illorum temporum opiniones accommodate ea esse prolata. Dicitur enim Messias Davidis thronum occupaturus gentique Israeliticae aeternum imperaturus. Quae minime trahi posse ad animorum emendationem regis auxilio perficiendam, et linguae et orationis connexae ratio nos docet. *)

Luc. 1, 46 sq.

Hymnus e variis Psalmorum locis conflatus, quo *Maria* se beatam praedicat, quod ab infimo loco ad summam evecta sit dignitatem, de Messiae futuri munere nihil habet, praeterquam quod

*) Cf. quae ingenue, ut solet, de h. l. interpretatione fatetur Michaelis in *Adnott. ad h. l.* (coll. *Annott. ad Dan.* 7, 13. 14. *Luc.* 1, 74. 75. *et Rom.* 11, 25. 26.), qui Christocratiam a Iudaeis ad nostram religionem conversis in Palaestina olim condendam firmissimo animo exspectat, si quidem in *regnum spirituale* haec cadere antea ipse negaverat. Antiquiores interpretes ad allegoriarum umbras confugiunt, quid quod ipse Grotius haec τυπικῶς intelligenda esse suadet.

gentis Israeliticae auxiliator perhibetur, v. inprimis v. 54. — *)

Luc. 1, 68—79.

Ex hoc loco apparet, qualem *Zacharias*, sacerdos pius ac probus, regem futurum animo informaverit, et quasnam potissimum eius partes inter Iudaeos fore putaverit. Sed ne ab hoc quidem spes imperii civilis, a Messia in his terris instituendi, plane abest. Quod patet ex his, quae perficienda esse sospitatori futuro, anteaquam is pacatum in Iudaeos exerciturus sit imperium, Zacharias vates auguratus est: liberationem scilicet ab importuna hostium dominatione v. 68. 71. 74., cultus sacri, turbarum metu et Romanorum vexatione neglecti iacentis, solemnem instaurationem v. 75., peccatorum populi remissionem, ut in gratiam cum deo redeat vitaeque sanctitati novo studio incumbat. v. 75. 77. 79. Huius igitur spes viri e duplice genere est; spectat enim non minus rei civilis atque sacrae incolumitatem, quam animorum salutem Iudaeis Messiae beneficio tribuendam. **)

---

*) Paulus in *Comm.* ad. *h. l.* I. 82. Mariae exspectationem vulgaribus Iudaeorum opinionibus non praestitisse putat, id quod confirmant v. 51. 52. 53. si absque studio leguntur. Quae ille hac de re dixit ingeniose, quemlibet ad rem subtilius indagandam invitant: „*Uns ist dieser [Lobgesang] merkwürdig, weil wir daraus die Messiasideen der Maria, also diejenigen ersehen, welche Iesus zuerst als Kind gehört haben muss. Sie sind noch sehr irdisch. Desto höher steht uns der Sohn, welcher sie sehr veredelt u. vergeistigt hat.*" — Add. I. 10., ubi haec de Maria: „*Spricht sie nicht ganz, wie das Mitglied eines solchen verdrängten, im Stillen stolz harrenden Geschlechtes, voll von uralten grossen Ansprüchen?*" —

**) Cf. Keil in *Hist. dogm. de regno Messiae etc.* (quae Diss. deinceps excitabitur) p. 30.

Verba v. 77. τοῦ δοῦναι γνῶσιν σωτηρίας τῷ λαῷ αὐτοῦ, ἐν ἀφέσει ἁμαρτιῶν αὐτῶν conferri merentur cum Mtth. 1, 21. ubi angelus hoc Christo tribuit: αὐτὸς γὰρ σώσει τὸν λαὸν αὐτοῦ ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν. In voc. ἁμαρτίας utriusque significationis exempla invenies, et *peccati* et *poenae, quam meretur peccatum.* Hebraei enim, quam sibi persuasum esset de nexu malorum physicorum et moralium inviolabili, quem itentidem eventus confirmasse visus esset et Mosaicum decretum ingenti religione sancivisset, hoc voc. luculenter indicarunt. V. GESEN. in *Lex. min.* s. v. חַטָּאת (ubi sub no. 5. significatio accessit, quae in *Lex. mai.* desiderabatur), et de voc. ἁμαρτίας usu variisque significationum generibus, quo se ordine excipiant, plane perspicueque dicentem BRETSCHNEIDER. *Lex.* s. h. v. post miseras a SCHLEUSNERO motas turbas, qui *genus* a *specie, sensum* a *significatione* non vidit secernendum esse. — Constat autem, Iudaeos causam calamitatis atque miseriae, qua sub barbararum gentium imperio premebantur, in peccatorum, quorum conscientia cruciabantur, mole quaesivisse, nec, nisi culpae consentaneum fuisset supplicium, ullam ab istis malis liberationem speravisse. Itaque hoc ante omnia erant edocendi, superesse viam, quam qui serio ingrediantur, divinum favorem recuperare possint, nec futurarum poenarum metu debeant ulterius exsruciari. Est autem haec via μετάνοια. *Christus* igitur, ut mox videbimus (Matth. 4, 17.) anteque eum *Ioannes* (Matth. 3, 2.) acclamaverunt aequalibus: μετανοεῖτε, ἤγγικε γὰρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν. Iidem baptismatis symbolo significarunt, peccata non diutius imputari his, qui animi sensa in melius mutent (βάπτισμα μετανοίας εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Mc. 1, 4, Luc. 3, 3.) Haec igitur spes est Zachariae, sub temporibus Messiae

adventantis, non amplius recordaturum esse deum flagitiosae popularium vitae, indeque consequentium malorum; sed in rectum tramitem vitaeque tranquillae portum errantes deducturum. — Ceterum v. 77. γνῶσιν σωτηρίας male positum censent pro γνῶσιν σωτῆρος. Dictum enim modo fuerat, v. 76., Ioannem adventum domini antecessurum, eique recipiendo Iudaeos praeparaturum. Imo Zacharias cognitionem verae salutis eatenus Iudaeis traditurum dixit Ioannem, quatenus rationem iis indicaturus sit, quam tenentes in vita, adsequi haud dubie possint benevolentiam divinam. — Est haec oratio sacerdotis ingenio harumque aetatum rationibus convenientissima; huic expiatio peccatorum, huic vera pietas prae ceteris cordi esse debuit. Cf. RUECKERT. l. c. II. 17. 18.

Luc. 2, 14.

Pastores Bethlehemitanos quamvis nemo dicere ausit, a vulgi opinionibus super persona et munere Messiae discessisse, neque Lucas, quid de eo iudicaverint, referat; tamen locum praetermittendum non putavi, quod is indicio est, quid censuerit ea aetas angelis de Messia esse sentiendum, quamve ob causam, angelorum iudicio, exoptatus mortalibus eius adventus esse debeat. Pollicetur autem vox coelestis Iudaeis easdem res, quibus e mente Israëlitarum, deum pie colentium, hoc tempore summum bonum continebatur, ut laudes dei praedicentur, pax in terram redeat, hominesque deo probentur.

Stabilita enim lectione vulg. εὐδοκία (coll. MATTHAEI. *Evg. sec. Lucam.* Rig. 1786. p. 74. 75. GRIESBACH. ad h. l. et novissimo operis immortalis editore D. SCHULZIO.) verborum hunc esse sensum puto: dei in coelis laus praedicetur, terrae contingat felicitas, dei favor redeat mortalibus. Sive ἔστι, sive ἔστω subaudias, nihil fere ad rem; illud

tamen praeferam, quod in carmine nemo moleste fert, in mediam nos rapi rem, et per πρόληψιν adesse dici, quae sunt brevi futura. (Alio tamen sensu legitur ἔστι in doxologia, 1 Petr. 4, 11. in quo l. nulla est πρόληψις, nam ea gloria, qua ad dextram divinam sublatus *iam perfruitur* Christus, aeternum futura praedicatur.) Neque vere dicitur, in huiusmodi brevibus cantibus *duas* tantum, non *tres* sententias occurrere, nam Luc. 19, 38., qui a nonnullis affertur, tum ex alio est genere, tum vere tribus cogitatis absolvitur. Linguae usus in voc. רָצוֹן, sequente בְּ, (εὐδοκία LXX.) quod denotat: a) delectationem, quae ex rei alicuius contemplatione oritur, amorem, studium rei; b) rem ipsam, qua quis delectatur, *der Gegenstand des Wohlgefallens, das Wohlgefällige*, coll. GESEN. *Lex.* s. h. v., *duplicem* interpretationem admittit. Vel vertendum: 1) hominibus delectatur deus, homines deo probantur, bene iis cupit. Tum post εὐδοκίαν supple sive θεοῦ sive αὐτοῦ, id quod ne necessarium quidem videbitur ei, qui meminerit, vocabulum רָצוֹן et εὐδοκίας *de dei benignitate benevoloque eius affectu* esse solemne. Cf. Ies. 60, 7. et GESEN. l. c. Εὐδοκία: τὸ ἀγαθὸν θέλημα τοῦ θεοῦ. SUIDAS. Neque hac interpretatione admissa, bis idem dicitur, quod censuit MORUS in *Praell.* ad h. l., sed continent potius h. verba *causam*, ob quam beatum illud otium (εἰρήνη) in has terras sit rediturum, deo nempe insigniter amante homines. Καὶ autem quod omissum sit, quis aegre feret, cum eiusmodi constructionibus abundent et sacri et profani libri, imo nervum hoc afferat enuntiationi, quae rhythmis suis fertur. Idcirco vix egemus WETSTENII adiumento, qui, in subito, ait, et magno gaudio oratio solet esse abrupta. — Alterum est ut vertas: 2) inter homines adest, quod ipsis placet, quo delectantur, quod aut cum nonnullis re-

ferendum ad praeced. εἰρήνη aut ad voc. σωτῆρος v. 11. — Priorem explanationem, ad quam prope accedit Chrysostomus καταλλαγὴν, Theophylactus ἐπανάπαυσιν interpretatus, praefero, quod horum temporum exspectationi convenientissima est, ex qua Messias divino beneficio mittendus, et populum in gratiam cum summo numine reducturus putabatur, etsi minime necessarium sit, ut haec e carmine Messiano, tum decantari solito, petita credas. V. Paulum ad h. l. Praeterea *facilitate* commendatur, quae, auctore summo Ernestio, optima est interpretationis nota. Qui voc. εὐδοκίας *concordiam* s. *beatitatis quendam sensum* (Heumann) denotari volunt, loquendi usum deserunt. — Fusius reliqua h. l. enodandi tentamina enarravit Kuinoel ad h. l.

Luc. 2, 25 sq.

His addas, quae *Symeon*, homo frugi cultorque veri dei, de munere, quo functurus sit salutis restitutor, cupide a se exspectatus (v. 25. δίκαιος καὶ εὐλαβὴς, προςδεχόμενος παράκλησιν τοῦ Ἰσραὴλ), vaticinatus est. Prodibit ille in conspectu gentium v. 31., luce sua exteros collustrabit, gloriamque Iudaeorum augebit mirifice. v. 32. Pauci interpretes, nec idoneis causis satis instructi, verbis v. 32. Φῶς εἰς ἀποκάλυψιν ἐθνῶν Messiam, *gentium doctorem* negant a Symeone significari; quo iure fecerint, dicendum est. Huc referendus est Keilius l. c. p. 31. *et additam.* p. 83. III., qui sequutus Schoettgenium in *Annot.* ad *N. T.* p. 676. voc. Φωτὸς non cum seq. εἰς ἀποκάλυψιν etc. iungit, sed ad praecedens ἡτοιμάσας refert vertitque: vidi servatorem, quem nobis *felicitatis auctorem* parasti. Hoc autem sensu, inquit, Φῶς saepe legitur, ap. Io. 8, 12. Iac. 1, 17. Iam verbis: εἰς ἀποκάλυψιν ἐθνῶν idem innui dicit, quod est in illis: κατὰ πρόσωπον πάντων τῶν λαῶν; hunc

servatorem *in conspectu omnium gentium* Iudaeis datum esse, ut *exteris innotescendo* populi Iudaici gloriam augeat. Praefert h. interpretationem propterea, quod *ignoraverint Iudaei*, Messiam ad exteros pertinere, et quod non intelligatur, quomodo, hac ratione admissa, iure Symeon speraverit, gloriam populo Israelitico inde conciliatum iri. — Sed quominus huic sententiae adstipuler, his impedior argumentis: 1) Nonne iusto frigidior oritur tautologia, si voc. φῶτος hanc vim habet, ut sit *felicitatis auctor*, concinatque cum τὸ σωτήριον, servator, et κατὰ πρόσωπον πάντων τῶν λαῶν non differt ab altero: εἰς ἀποκάλυψιν ἐθνῶν. Φῶς autem, quod hoc sensu non recurrit apud Lucam, et apud Matth. 5, 14. legitur de *doctoribus*, et saepissime apud *Ioannem* de Christo, *auctore doctrinae*, pestiferos errores dispellentis. Quae autem inde consequitur, beatitas, non tam in primaria vocis *significatione*, quam in *sensu* inest. Ita φῶς τῆς ζωῆς Io. 8, 12. non est (id quod censuit Keilius) *dux ad felicitatem*, quem qui sequantur, non possint esse miseri, sed perpetua beatitate frui debeant. Ipsa enim verba: ἐγὼ εἰμὶ τὸ φῶς τοῦ κόσμου· ὁ ἀκολουθῶν ἐμοὶ, οὐ μὴ περιπατήσει ἐν τῇ σκοτίᾳ, ἀλλ' ἕξει τὸ φῶς τῆς ζωῆς accuratius inspecta docent, esse h. l. ex alio genere. Quis enim cum Keilio censebit, in v. φωτὸς, posteriore loco posito, *ducis* s. *auctoris* significatum inesse? Nam *beatitatis* notionem non exinde pendere, sed ex adiuncto ζωῆς quivis videt. Sensus est: qui me sequetur, non in tenebris h. e. inscitia (indeque fluente infelicitate) versabitur, sed erit luce h. e. doctrina imbutus tali, quae vitae vere vitalis effectrix est. *Duplici* enim sensu dicitur apud *Ioannem* φωτὸς vocabulum (et in hoc ipso, quem tractamus, versu 8, 12.), ut denotet sive *doctorem*, Christum, in hunc orbem hominum gratia missum,

quo nihil frequentius in h. scriptore. cf. 1, 4. 5. 7. 8. 9. 3, 19. 20. 21. φῶς τοῦ κόσμου 9, 5. 12, 35. 36. 46. sive *doctrinam* lucemve, quae per doctrinam spargitur cf. 5, 35. et nostrum φῶς τῆς ζωῆς (coll. simili loco Mtth. 5, 16.). In nonnullis tamen locis in hac voce notio *doctoris* et *doctrinae*, animos hominum collustrantis, ita coaluisse videtur, ut vix, utra potior sit, certo dicas. Sed hoc tenendum, φῶς ex loquendi usu Ioanneo non usquam denotare *felicitatem*, etsi non negem, cum doctrina Christi recte percepta eam dici coniunctam. — Quod autem ad Iac. 1, 17. ubi in verborum: πατὴρ τῶν φώτων interpretatione mirum quantum dissentiunt interpretes, provocavit Keilius, id nemini videbitur recte fecisse. Cf. Schulthess. *Ep. Iacobi.* Turic. 1824. p. 36. — 2. Iam, si sine idonea causa a vulgari interpunctione disceditur, et φῶς ab eo, quod h. vocabulo aptissimum est, εἰς ἀποκάλυψιν ἐθνῶν divulsum, male ad remotius ἡτοίμασας refertur, et si in voc. φωτὸς ex constanti usu linguae respicitur *doctoris* munus; patet, verba: εἰς ἀποκάλυψιν ἐθνῶν non esse vertenda: ut gentibus innotescat conspiciendumve se praebeat. De sola enim potestate videndi doctorem inter Iudaeos prodeuntem exteris data, quorum profecto nihil intererat, eius doctrina imbui, quive nullo eius desiderio flagrabant; quomodo ita dicere potuerit Symeon, quasi ea sit gloriae populi Iudaici inservitura, non facile intelligitur. Itaque simplicius puto, ἀποκάλυψιν ad rerum divinarum, antehac incognitarum, notitiam referri, quae continget exteris, auctore Iudaeorum Messia. Cf. Schleusner, Wahl, Bretschneider s. h. v. — 3) Iudaeos *omnes*, ne *sapientioribus* quidem exclusis, ignorasse hac aetate, Messiae provinciam ad alias quoque gentes pertinere, sumsit K., non probavit, adversantibus vetustis prophetarum oraculis,

etsi hoc lubens dederim, *plebem* eorum non multum meminisse, a doctoribus pharisaeis perverse alia edoctam. Cf. inter alia Ies. 2, 2 sq. 60, 1 sq. ibique GESEN. — Accedit, quod, acute monente PAULO *Comm.* I. 163 sq., Hierosolymis Symeon versabatur, in quam urbem magna hominum vis festivo tempore confluebat, e Iudaeis praesertim Graece loquentibus, quibus utens familiariter, induci facile poterat, ut de regno a Messia stabiliendo praeclarius magnificentiusque sentiret. — 4) Denique, si qua alia re, hac *gloriari* poterant Iudaei, quod doctoris lumen ab ipsis profectum paganas gentes sit illustraturum. — Ceterum *subobscure* loquutus Symeon videtur de tanta spe, quae temporum habita ratione, facile multis inepta et periculosa poterat videri. — Non tamen excluditur in hoc Symeonis oraculo rerum immutatio civilium v. 34. 35., quae a Messia *inter Israelitas* sit perpetranda multorumque nunc occulta consilia in lucem tractura.

GROTIUS verba: *εἰς πτῶσιν καὶ ἀνάστασιν πολλῶν ἐν τῷ Ἰσραὴλ* referri iubet ad Messiam, eos, qui nunc satis pii sibi videntur superbiaque efferuntur, miseria immergentem, qualis solet oriri e conscientia peccatorum; hos autem, qui „velut iacebant in ignorantiae luto," doctrinae tamen recipiendae idoneos, resuscitantem, et rerum salutarium notitia imbuentem, quo bene beateque vivant. Sed haec interpretatio optata magis, quam inventa videtur. Tribuit enim vocc. *πτώσεως* et *ἀναστάσεως* vim, quae nec in ipsis inest, neque iuvatur nexu. Dicitur potius Messias ruinae elationisque multorum auctor, quatenus opprimet hos, qui praeclare secum agi putant, facinorosos et superbos, aliorum, qui nunc infimo loco constituti sunt, candidorum Symeonisque similium civium animum eriget. *Σημεῖον* de homine divinitus misso deique

voluntatem enuntiante et portenti insignis instar in publicum prodeunte (*wundervolle, bedeutsame Erscheinung, durch welche Gott seinen Willen ankündigt*) recte interpretati sunt BRETSCHNEIDER. et WAHL. s. h. v. Cf. PAULUS ad h. l. et GESEN. in *Lex.* s. v. אוֹת et מוֹפֵת. Huius igitur sors dicitur futura, ut multorum non verbis tantum, sed re atque facto diversa erga se studia experiatur (ἀντιλεγόμενον), indeque vera popularium rebellantium consilia atque machinationes manifesta fore. Cf. de singularum vocum vi latius acuteque dicentem MORUM in *Diss. theol. et philol.* T. I. p. 131—149. super l. Luc. 2, 34., etsi, more interpretum multorum, in horum verborum explicatione ad *eventum* resque *posthac* a Christo gestas, prospexisse videtur ita, ut singulis dicendi formis (ut voc. σημείῳ neglectu hebraicae dicendi consuetudinis) vim attulerit. — Haec a Symeone dicta sunt, non sine respectu turbarum et factionum, quibus res publica Iudaeorum dilacerabatur. Sperans autem, Messiae adventu hypocrisin multorum sublatum, suum cuique tributum iri, ab exspectatione *terrestris* Messiae *imperii* animum *non plane* avertit, sed conversionem rerum civilium et exterarum gentium salutem a numine futuro regi demandatam augurabatur; quod in *theocratiae* restauratore, praeeuntibus vatibus nobilissimis, qui utrumque coniungere solebant, fieri aliter vix potuit.

Luc. 2, 36.

Anna, afflata spiritu divino mulier, Deo gratias egisse traditur, quod Messiam natum viderit, remque adeo laetabilem communicavisse cum his, qui eodem desiderio tenebantur, v. 38. οἱ προςδεχόμενοι λύτρωσιν ἐν Ἱερουσαλήμ. Qualem vero illi liberatorem speraverint, et qualium auctorem bonorum, tacente Luca, ad liquidum perduci non poterit.

Ex his igitur, quae hactenus disputata sunt, quae fuerit Iudaeorum *proximis ante Christum natum temporibus* de Messia eiusque regno sententia, explanatis, quae pro hac causa faciunt, N. T. locis commode poterit iudicari. Et si ea, quae a diversae indolis hominibus varia forma exposita leguntur, ad decreta summa revocaveris, sunt haec potissimum exspectata a futuro rege theocratico: 1) liberatio ab importuna hostium vexatione, populique Iudaici felicitas his in terris stabilienda 2) rectiora vero de eius munere iudicia ad animorum salutem vitaeque sanctitatem unice referendo, et paucis obtigerunt, rerum divinarum accuratiore notitia imbutis, et *primario* loco non sunt habita.

Pharisaeorum et *Sadducaeorum* de regno a Messia condendo commenta, utrum ab opinionibus vulgi recesserint, quamvis valde credibile sit, certo tamen affirmare non audemus. Quamquam enim coll. Mc. 15, 43. Luc. 17, 21. 23, 51. dubitari vix potest, Pharisaeos hac exspectatione suspensos fuisse; tamen cuiusmodi eorum animis spes insederit, neque in *evangeliis* legitur, neque *Iosephus* prodit memoriae. *)

Rabbini. Talmudistae.

Seriorum denique *Rabbinorum* scriptis et *Talmudicis* commentariis ad exornandam de Messia eiusque regno sententiam, *Christi aetate* pervulgatam, idcirco nobis uti non licet, quoniam in his *vetustorum doctorum* uberes et fructuosae senten-

*) Audaciora igitur sunt et historiae testimoniis destituuntur, quae Paulus *Comm.* I. 164. et II. 842. 845. ad Luc. 17, 21. de Pharisaeorum exspectatione et indole spei Messianae coniecit. Propius ad verum accedit Koppii (in *Exc. I.* ad calcem *epp. ad Thessalon.* ed. Tychsen p. 419. ed. 3.) coniectura, qui Sadducaeos omnino nihil speravisse putat in hoc rerum Messianarum genere.

tiae cum *seriorum Iudaeorum* nugis ac fabulis miserrime confundi commiscerique solent, ut quid genuinum sit et Christi aetati accensendum, quidve odio christiani nominis flagrantes aliisque de causis satis invidiosis addendum censuerint Iudaei seriores, maiorum suorum dictorum factorumque audacissimi interpretes, vix Oedipi christiani assiduitas et solertia discernere satis tuto et cum fructu possit. Idem dudum senserunt viri, in hoc genere literarum praeclare exercitati. *) Accedit, quod de aetate, qua conscripti sint Iudaeorum libri gravissimi, aut in eam, qualis nunc est, formam diversissimis e partibus redacti, multum dubitetur. Haec autem disputatio late patet estque tota e genere *historico* atque *critico*; cumque his temporibus nemo fere theologorum subtilius soleat versari in hoc genere literarum et parum culto hactenus, et ad historicam scripturarum sacrarum interpretationem maxime fructuoso; enixe optandum est, ut qui his

*) Keil l. c. p. 28. 29. ingenue fatetur, nullum esse librorum talmudicorum et rabbinicorum in explicando dogmate de Messia eiusque regno usum. Neque tamen satis sibi constitit, quod ad eos subinde revertitur ad confirmanda et serioris aetatis testimoniis uberius illustranda ea decreta, quorum fontem unice genuinum dixerat N. T. libros et Iosephum. — In praeclaris et ad iuvandam profundiorem dogmatum iudaicorum historiam e fontibus tanto sudore conscriptis Lightfooti, Schoettgenii, Eisenmengeri, Corrodii libris graviter dolendum, doctorum Iudaicorum, diversis scholis addictorum sententias, III. et XV. seculo natas, *promiscue* proponi, et gravissimas de *origine*, *aetate*, et ἀξιοπιστίᾳ librorum, e quibus petitae sunt, quaestiones ne verbo quidem attingi. De exigua utilitate, quam propter hanc ipsam causam afferunt harum literarum studiosis Eisenmengeri et Corrodii libri, conquestus est ante me III. Poelitz in l.: *Pragm. Uebers. d. Theol. d. spät. Juden.* T. I. p. 6. Add. simillimum Storrii iudicium in *Diss. de sensu historico*, ins. *Op. acad.* I. 35. Io. Mueller *Allg. Gesch.* I. 455.

quaestionibus enucleandis parem animum sentiunt, cauti iudicii acumine praediti, ad haec studia doctrinae intentis viribus se conferant. Quorum opera utinam a *Rabbinorum* et eruditorum et veritatem unice colentium studiis adiuvetur! — Dum haec ad finem perducta fuerit quaestio de perennis Iudaicae traditionis puritate, horum librorum antiquitas et fides rectusque usus in rebus gestis tradendis et vetustiore doctrina servanda multas habebit cautiones. Paucis attingam, ne hoc quidem omni veritatis specie carere, Iudaeorum doctores praestantiores de Messiae dignitate ac munere sententias ex ipsis N. T. libris, Christi maxime sermonibus callide hausisse; id quod antiquiores et recentiores theologi non ignobiles censuerunt de nonnullis eorum decretis, precandi formulis et parabolico inprimis genere dicendi iure contendi.

Antiquiores recensent Wolf. *Bibl. Hebr.* p. 978. qui in eandem sententiam discedit et Fabricius *Bibliogr. antiq.* ed. 2. Hamb. 1716. p. 6—8. qui media via incedit, utriusque sententiae fautoribus recensitis. *Origenem* quidem et praecipue *Hieronymum* aliosque scriptores christianos a Talmudistis nonnullis studiose lectos fuisse, satis demonstratum est a viris doctis. — V. super hac causa Storr. *de sensu hist.* in *Op. acad.* I. 41. de Wette *bibl. Dogm.* ed. 2. p. 192. not. f. *de morte I. C. expiatoria.* p. 36. sq. 41—49. Glass. *Philol. s.* ed. Dathe p. 1310. 1311. G. L. Bauer *Beschreibg. d. gottesdienstl. Verfassg. d. alt. Hebr.* II. 393. Sartorius in Diss.: *üb. d. Zweck Jesu als Stifter e. Gottesreichs,* inserta l.: *Drey Abhdlgn. üb. wicht. Gegenst. d. exeg. u. system. Theol.* Gött. 1820. p. 135., qui tamen contra Schoettgenium, virum in his literis facile principem historicisque argumentis rem graviter agentem, nimia levitate disputavit. — Excludimus igitur ab hoc usu nostro propter summam dif-

facultatem discernendi Rabbinorum gerras, ineptias contradictionesque a prisca doctrinae simplicitate et commentitia a veris *Talmudis utriusque*, et *Hierosolymitani*, et *Babylonici* commentarios, librum *Sohar*, XIII. demum sec. cognitum, qui est Iudaeorum sublimioris Christologiae fons praecipuus, *paraphrases chaldaicas*, quae, *Onkeloso* et *Jonathane* forte exceptis, recentioris multo videntur esse originis, *explicationes mysticas atque allegoricas*, *scriptiones*que alias, quae aut compilatae sunt recentius, aut ex sequiore aevo interpolatae, quales sunt *Rabboth*, *Midraschim*, *Nezach Israel*, *Ialkut Schimeoni* al. Regulis non satis certis horum librorum in nostra causa usum definiit SCHMIDT *Bibl. f. Krit. u. Exeg.* T. I. *Christol. Fragm.* p. 6. (ut recte vidit DE WETTE *de morte etc.* p. 48. 49.) meliusque placet BERTHOLDTII (*Christol.* p. 10. 11.) ratio, qui iis tanquam *fontibus secundariis* utendum censet et in ordinandis monumentis historicis satis probabilem legem scribit. — Neque tamen nos reprehendent aequi harum rerum existimatores, si ad *singula* disputationis *capita dicendique formas* Rabbinorum usum loquendi passim in usum vocaverimus, cum eorum scripta nos quidem minime dubitemus continere multas antiquarum rerum narrationes, acriore iudicio detegendas, nec adstipulemur eorum sententiae, qui omnia illa, quaecunque ex Talmude vel Rabbinis proferuntur, continuo abiicienda atque velut indigna et absurda explodenda arbitrantur, quasi nihil plane auri ex stercore Rabbinico colligi possit. Verumtamen noluimus nunc diutius versari in exponendo dogmate Messiano variis aetatibus a doctoribus Iudaicis mirifice exornato; dies nos deficeret, si EISENMENGERI (l. c. not. 19.) et CORRODII (l. c. ibid.) super his rebus commentarios transscribere iuvaret. Add. SCHOETTGEN *Jesus d. wahre Messias.* Leipz. 1748. 8.

Absint igitur ab hoc loco uberiores disputationes de epulis, in regno Messiano celebrandis deque earum apparatu lautissimo, de portentis *Behemoth*, *Leviathane*, ingentique ave *Ziz* una cum vino vetustissimo, quod inde a mundi creatione uvis servatur aliisque frugibus pretiosissimis, e paradiso decerptis, in iis apponendis, de infinita lucernarum vi, quibus aedes convivales splendebunt, de pane, quo fruentur convivae, qui dicitur panis aevi futuri, eximia bonitate conspicuus, deque ceteris eiusdem generis deliciis. Accedit mira uxorum fertilitas, et numerosissima proles, exstirpatisque exteris, aut in potestatem Israelitarum redactis, post bella a Messia felicissime gesta, summum otium et securitas maxima. Haec et similia, in quibus exornandis mirifice sibi placuit male sedulum seriorum Iudaeorum ingenium, qui attente legerit, facile ille miram cum his, quae Mohammedis sectatores de Paradiso aeternisque voluptatibus, sensus titillantibus, commentati sunt, similitudinem deprehendet. In descriptione enim rerum post mortem futurarum mirum est, quantum diversissimorum terrae tractuum nationes, in eodem fere humanitatis cultu constitutae, non tantum in rei summa, sed in capitum singulorum argumento consentiant. — Quamvis autem lubens concesserim, male perverseque intellecta et additamentis depravata fuisse nobilissimorum prophetarum oracula a doctoribus Pharisaicis, eosque sequuta plebe, Christo aequali, tamen dogmatis de Messia eiusque regno partes eo, quo Rabbini exhibent, modo his temporibus amplificatas in popularem abiisse opinionem, ex Evangelistarum historiis certo demonstrari nequit. Non enim in has minutias descendit ibi plebis oratio, nonnullorumque decretorum, Rabbinorum solertia studiose exornatorum, quae in rebus Mes-

sianis versantur, N. T. libri historici videntur non nisi initia et quasi stamina continere. Huc pertinet subtilius discrimen inter עולם הזה, עולם הבא et ימות המשיח (de quarum sensu formularum longa fuit nec satis felix RHENFERDII contra H. WITSIUM certatio; v. utriusque Viri Diss. collect. in MEUSCHEN. *N. T. ex Talmude illustr.* p. 1116—1183. WITSII *Miscell. ss.* II. 6. KOPPE *Exc.* I. *ep. ad Ephesios* adi.), sententia de tempore, per quod imperium suum exercebit Messias, quod minime *aeternum* volunt esse plerique doctores Iudaici, sed *vitam aeternam* praecedere, et alii quidem *duobus* constare annorum *millibus*, alii *millenarium* faciunt, alii *quadringenarium*, variis locis V. T. in eam rem vario modo usi; *nova rerum humanarum creatio* (*συντελεία τοῦ αἰῶνος*), per partes singulas depicta, quae in tempus incidet Messianum etc.

PARS II.

FORMULARUM IUDAEIS SUPER HAC RE SOLEMNIUM BREVIS RECENSUS.

His igitur, quae *de re Messiana ante Christi* in has terras *adventum* innotuerant inter Iudaeos potissimum Palaestinenses, multorumque ore atque sermone non uno modo celebrabantur, tractatis paulo uberius, ne ad Christi super hac causa sententiam iusto minus praeparata traduceretur oratio: sequitur, ut *formularum* de hac re *solemnium* vis atque usus cognoscatur. Ac primum frequentissime usos fuisse antiquiores pariter ac recentioris aetatis Iudaeos dicendi formis: מלכות השמים et מלכות אלהים, ita, ut *promiscua* esset et *synonyma* earum potestas, non potest sine iniuria in dubium vocari, docuitque hoc satis dilucide locis e Rabbinorum libris larga manu allatis Schoettgenius *ad Mtth.* 21, 25. *) Quaeritur

*) De *synonymia* vocum: *dei* atque *coelorum* inter diversae aetatis Iudaeos paucis his defungar exemplis. Ita מעשה שמים non differt a מעשה אלהים dici turque de legum tabulis, a *deo* genti Israeliticae datis. Opponitur מעשה אדם, opus *hominis*, tabulae secundae. *Schabbath* fol. 151. 2. כל מרחם על הבריות מרחמין עליו מן השמים, quicunque misericordiam exhibet *hominibus*, illi quoque misericordia exhibebitur a *deo*. *Cod. Maccoth.* fol. 9. 1. iuxta ponitur is, qui moritur בידי אדם, per

de *sensu* formulae, quem idem Vir doctus alio loco *duplicem* obtinuisse ostendit. *) Dicitur *primum* de *imperio Iehovae*, quod ille exercet in rem-

---

manus *hominis*, et בידי שמים, per manus *coeli* i. e. *dei*. *Tanchuma* fol. 73. 4. de Simri, filio Sallu: nullum exhibuit honorem לשמים, *Deo*, לא לבריות, neque *hominibus*. — Cf. Buxtorf *Lex. Chald. et Talm.* s. v. שְׁמַיָּא et שָׁמַיִם p. 2440. sq., qui *coeli* vocabulum per metonymiam statuit *deo ipsi* tribui, quod „*coelum* proprie dicatur habitamentum eius." Cf. Mtth. 5, 34. Celeberrima vox est Talmudicis scriptoribus: הכל לשם שמים, omnia *ad coelum* i. e. *deum*, vel *propter deum*, hoc sensu: dicta omnia et facta referantur ad dei nominisve divini gloriam. Cf. Mtth. 21, 25. Luc. 20, 4. Quaeritur, in quanam re insit huius loquendi usus causa. Equidem non opus esse puto multis argutiis nimiaque interpretum subtilitate in re explicanda, quae ad vitae communis usum in gente, minime subacta studiis philosophiae commode refertur. Simplicissima ratio est, verecundia quadam et sensu decori, non perspicuo quidem, sed subobscuro inductos fuisse Iudaeos (quibus ne fas quidem fuit seriori aetate Iehovae nomine uti), ut, ubi in *dei* cogitationem delati essent, domicilium et quasi sedem summi numinis mallent, quam deum ipsum nominare; veriti haud dubie, ne si augustissimi sanctissimique dei nomen quotidiano tererent sermone, in iustam temerariae levitatis reprehensionem incurrerent. Vix autem inde recte consequitur, τοὺς οὐρανοὺς significare *deum*, quae est trita Lexicographorum sententia, sed multum differt a *significatione sensus*, nec tam a singularum vocum vi, quam ab universa formulae loquendi ratione nobis pendendum est. Cf. Paulum *ad Luc.* 8, 10. — Nostri item homines in precandi formulis vulgarique sermone *coelum* saepius quam *deum* invocant, ut in illis: *der Himmel stehe mir bei, der Himmel gebe es!* et Latini etiam iurant *per coelum*. — Legatur Wetstenius *ad Matth.* 3, 1. 21, 25. et *ad Luc.* 15, 18. Koppe l. c. p. 216.

*) In Diss. I. *de Regno Coelorum*, in calce *Hor. hebr.* p. 1147 sq.

publicam Iudaeorum, quodve *θεοκρατίαν* appellavit *Iosephus*, *μοναρχίαν Philo*; de cultu sacro, summo civitatis statori praestando, et quod huic valde geminum est, de professione fidei orthodoxae, more recepta, quae est symbolum religionis Iudaicae. *) Et haec quidem formulae potestas, quamvis exemplis longe plurimis nitatur, a nostra causa aliena est. Sed translata *deinde* est locutio post captivitatis babylonicae aetatem *ad regnum Messiae*, sub divinis auspiciis condendum, et ad tempora eius adventus, etsi rariora sint huius loquendi usus exempla **). Eam tamen formulam hoc ipso sensu Iudaeis aetate Christi intellectam et in usu habitam fuisse, facile inde perspicitur, quod Ioannes pariter ac Christus a muneris suscepti primordiis eam adhibuerunt liberius, ita quidem, ut neque discipulis, nec plebi, nec Pharisaeis inaudita et incognita visa

---

*) Cuius summa continebatur his verbis: *Dominus deus noster Iehova unus est* ex Deut. 6, 4. Haec mox abiit in precandi formulam, *Krischma* appellatam, quae ad Rabbinorum praecepta quotidie recitanda est pio Iudaeo, nec incommode comparanda cum *Islamitarum* decantata voce: *Allah solus est deus, et Mohammedes eius propheta*. Unde *suscipere in se regnum coelorum vel iugum regni coelorum* (קבל עליו מלכות הש״) dicebantur, qui his precibus fundendis Iehovae regno et voluntati se obnoxios fatebantur. Cf. Schoettgen l. c. et *ad Mtth.* 11, 29. Lightfoot *ad Mtth.* 3, 2. al.

**) Fatente Schoettgenio, qui *Hor. hebr.* Diss. I. *de regno coelorum*. p. 1150. dicit, se in scriptis Iudaeorum vetustiorum tale quid non multum observasse, quamvis ad illam phrasin, ubicunque occurrerit, animum sedulo adverterit. Unum locum affert in *Targum Michae*. IV. 7. Et revelabitur ipsis *regnum coelorum* in monte Zion a nunc et usque in seculum. Add. *Targ. Ies.* XL. 9. Dicite civitatibus domus Iuda, revelatum est *regnum dei vestri*. *Targ. Ies.* LIII. 10. Bertholdt *Christol.* p. 188. Cf. tamen de Wette *bibl. Dogm.* 180. not. b.

sit. Nemo enim auditorum, novitate rei offensus, quae vis insit huic locutioni, ex doctore quaesivit. In ipsis tamen V. T. oraculis, si a Dan. 7, 13. 14. discedas (ubi filii hominis, de nubibus coeli descensuri aeternumque regnum instituturi adventus describitur, unde nomen τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου in Messiam transferri coepit), luculentiora huius formulae vestigia non deprehenduntur. Inde credibile est, incidisse in has locutiones his ipsis aetatibus doctorum Iudaicorum industriam, et eo, quo dixi, sensu praeditas in plebis dicendi consuetudinem e scholis abiisse *).

His respondent formulae in *evangeliis* frequentissime recurrentes: βασιλεία τῶν οὐρανῶν, βασιλεία τοῦ θεοῦ, quarum prior *Matthaeo*, ut diximus, est propria **). *Dei* vero

*) Iusto igitur levior est de Wettii (*de morte I. C. expiatoria.* p. 48.) suspicio, formulas *regnum dei* et *regnum coelorum*, a Christo inventas, Iudaeos arripuisse.

**) Cf. D. Schulz in *Annal. theol.* 1817. p. 962. Esse hoc ad *Hebraizantem* Matthaei *consuetudinem* referendum, non est quod dubites. Eiusdem generis plura, e *Iudaizante* Matthaei *ingenio* maximam partem profecta, exhibet Schulz l. c. lectores advertens ad eius cupiditatem et rationes utendi oraculis V. T., ad notionem de Messia singularem, ad odium, quo fertur adversos exteros (unde, in simili versans argumento, loca: 5, 17 sq. 10, 5. 15, 24. *captationes benevolentiae*, a Matthaeo popularibus exhibitas, dixit Sartorius l. c. p. 102. quocum cf. de Wette *bibl. Dogm.* p. 226.), ad convicia, quibus ille prae ceteris invehi solet in Pharisaeos, et ad ceteram *dictionis* indolem, quatenus non ad res narratas et doctrinae speciem, sed ad verba verborumque structuram pertinet. Huius autem generis disquisitionibus, etiamsi verendum sit, ne *nimia* interdum *subtilitas* adhibeatur, tamen est quod speremus, fore ut hac via *internae* evangeliorum *indoli* nova lux afferatur, qua et scriptoris ingenium, huc illuc immiscens se rerum narrationibus, et lectorum, quibus scripsit, patria ceteraeque ra-

regnum dicitur Messiae imperium, quod sub divinis auspiciis geretur res Messiana et ad summum florem perveniet. Formulam vero βασιλείας τοῦ Χριστοῦ exhibent demum *epistolae* N. T. et *Apocalypsis* *). Id quod minime fortuito accidit; sed ex quo tempore in coelos ad dextram dei sublatum tradunt Christum apostolorum literae, idem dicitur imperare coetui suo regia auctoritate. Dicitur item βασιλεία simpliciter; quod nullam Messiana dominatione augustiorem splendidioremve Iudaei noverunt **).

---

tiones tutius cognoscantur, de *externis* denique scriptionis in coetu christiano *fatis* melius diiudicetur. Sed de hoc rectae interpretationis praesidio, quomodo caute adhibendum sit, dictum est supra. — Ceterum non assentior Storrio (*de regno coelesti*. p. 256. in *Opusc. acad.* et in l.: *üb. d. Zweck d. evang. Gesch. u. d. Briefe Johannis*. Tubing. 1810. p. 369.), qui formulam βασιλείας τῶν οὐρανῶν e Matthaeo transiisse censet in evangelium secundum Hebraeos; Graecum vero Matthaei interpretem eius loco posuisse βασιλείαν τοῦ Θεοῦ. Quam lubrico enim haec sententia fundamento nitatur, nemo non videt.

*) Cf. Col. 1, 13. 2 Tim. 4, 1. 18. (?) Eph. 5, 5. 2 Petr. 1, 11. Apoc. 1, 9. 11, 15.

**) Unde: τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας. Mtth. 4, 23. 9, 35. 24, 14. ὁ λόγος τῆς βασιλείας. 13, 19. οἱ υἱοὶ τῆς βασιλείας. 8, 12.

PARS III.

IOANNIS BAPTISTAE DE INDOLE REGNI MESSIANI SENTENTIA. *)

In hac summa omnium exspectatione, quum prophetarum vox atque auctoritas dudum siluisset, in publicum prodiit *Ioannes Baptista*, qui populares suos, ad novam disciplinam magno agmine confluentes, ad mores emendandos vitaeque sanctitatem strenue his verbis adhortatus est: *μετανοεῖτε, ἤγγικε γάρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν.* Mtth.

*) Cf. inprimis Ven. et Ill. DE AMMON *bibl. Theol.* II. 305 sq. *Progr. de doctrina et morte Ioannis baptistae.* Erlang. 1809. 4. KINDERVATER *de indole atque forma regni Messiani e mente Ioannis baptistae.* 1802. 4. HENKE *N. Mag.* VI. 394 sq. *Jesus u. Johannes.* (quae diss. continet haud paucas coniecturas ineptas et quaestiones parum fructuosas.) DE WETTE *bibl. Dogm.* ed. 2. p. 186. *de morte I. C. expiatoria*, p. 53. 56. 57. PLANCK *Gesch. d. Christenth.* Gotting. 1818. I. p. 111—124. *üb. d. histor. Beweis f. d. Göttlichk. d. Christenth.* Gott. 1821. p. 87 sq. HESS *üb. d. Lehr. That. u. Schicks. uns. Herrn.* p. 12. ECKERMANN l. c. p. 96 sq. SCHULZ *d. chr. Lehre v. Abendm.* p. 145. 146. KRUMMACHER *üb. d. Geist. u. d. Form d. evang. Gesch.* 93 sq. Specimen acad. inaug. de *Ioanne Baptista* ed. DIDER. BAX. Lugd. Bat. 1821. 8. LEOPOLD *Johannes d. Täufer. E. bibl. Untersuchg.* Hannov. 1825. p. 89 sq. p. 105 sq. Huius auctor libri, minime contemnendi, satius egisset, si ab inani verbositate et rerum, quas attigerat uberius, retractatione fastidii plena abstinuisset. —

3, 2. *) coll. Mc. 1, 4. κηρύσσων βάπτισμα μετανοίας εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Luc. 3, 3. Quod quidem regnum coeleste non eatenus *prope abesse* dici, quatenus in *propinquo* id *loco* sit constitutum, sed quod brevissimo *temporis* spatio eius primordia sint exspectanda et veluti fundamenta iacienda, intelligitur tum ex linguae rationibus, tum ex orationis tenore. coll. Mc. 1, 15. Utrum vero in hanc orationem delatus sit Baptista, quod in universum persuasum habuerit, se baptismi symbolum divino iussu nec inusitato plane Iudaeis antehac exemplo adhibente, et ad priscam morum bonitatem a perdita vita aequales avocante, brevi proditurum esse Messiam, omnium votis ardentissime exoptatum, tametsi de eius persona non certo sibi ante Christi baptismum constiterit: an in Christi, diuturna sibi familiaritate penitus cogniti, personam oculos coniecerit Ioannes Baptista, nec de Messiana eius dignitate et munere ulla sibi dubitatio exorta fuerit; imo communicato ante de re Messiana consilio hi

*) Eadem utitur voce Christus, suscepto munere doctoris. Mtth. 4, 17. coll. Mc. 1, 14. 15. Quaeritur, utrum in hac sua de regno divino sententia proponenda ita fuerit versatus *Ioannes Baptista*, ut eius orationes coram populo habitae ad illustrandos Christi sermones obscuriores *commentarii instar* possint in auxilium vocari. (Eodem fere aut simili modo, quo, si tali exemplo fas est in hac re uti, *Lutheri* et *Melanchthonis* de emendandis sacris conamina non sine fructu comparantur, et, seorsim narrata, penitus perspici recteque aestimari vix possunt.) Facile autem intelligitur, hoc tum demum iure fieri posse, si idoneis constaret argumentis, et Ioannis de regno Messiano doctrinam superare *perspicuitate sua* Christi institutionem, et *consiliorum voluntatumque consensione* iunctum fuisse utrumque doctorem. Quod an commode statui possit, statim videbimus.

duumviri doctorum munus sint auspicati *); est profecto, quod quaeratur **).

In quam rem inquirentes interpretes notum est Christum atque Ioannem a pueris iunctos familiaritate dixisse, quod et suppares essent annis, et cognationis vinculo (Luc. 1, 36.) tenerentur. Adversatur tamen huic sententiae, per rei naturam minime improbabili, et loco Mtth. 3, 14. firmatae, alius apud Ioannem locus 1, 31. 33. quo Christus Baptistae per baptismum *primum* innotuisse narratur. Ratio autem conciliandi utriusque scriptoris sententiam, optata magis quam inventa et in simplici verborum sensu minime inesse videtur.

Occurritur difficultati, quae exoritur e verbis Baptistae apud *Matthaeum* l. c.: ἐγὼ χρείαν ἔχω ὑπὸ σοῦ βαπτισθῆναι, καὶ σὺ ἔρχῃ πρός με· (e quibus certo evincitur, notum fuisse Baptistae Christi ad baptismum accedentis praeclarum ingenium) comparatis cum eiusdem apud *Ioannem* l. c. oratione: κἀγὼ οὐκ ᾔδειν αὐτόν· singulari horum, quae posteriore loco posui, verborum interpretatione. Hoc tantum negare dicunt Evangelistam, anteaquam Christus aquis immersus singulari Dei favore populi sospitator electus fuerit, *penitus* Ioanni Baptistae eius provinciam officiique rationem innotuisse. Antea dubium eum haesisse de

---

*) Quae est V. Planckii l. c. sententia, quam tamen ita pronuntiat, ut vel levissima fraudis suspicio abesse iubeatur.

**) Quare operae pretium esse videtur, ut, quantum hoc patitur locorum, quorum in hac causa aliquis usus est, paucitas, ea, quae de necessitudine studiorumque vel coniunctione vel dissensu Ioannem inter atque Christum, disputari possunt, e fontibus repetamus. Inde enim maximam partem pendet rectum super notione regni divini, qualis ea Ioanni familiaris fuit, iudicium. —

vera Messiae persona oculosque coniecisse in viros pietate ingenioque praestantes (τοὺς ἀληθῶς Ἰσραηλίτας Io. 1, 48.), praeclaras Christi dotes non ignorantem quidem, sed insignem numinis vocem desiderantem, quae dubiam de Messiana eius dignitate fidem stabiliret. Communi enim Iudaeorum eius aetatis opinione imbutum eum fuisse, Messiam voce coelitus delata (בַּת קוֹל) regem ac restitutorem rerum Iudaicarum declaratum iri. Cf. GROTIUS, PAULUS, KUINOELIUS *ad Mtth.* 3, 14. et *ad Io.* 1, 31. LUECKE *ad Io.* 1, 31. 33. KRUMMACHER l. c. p. 99. GLASS. *Philol. sacr.* ed. DATHE II. 1247. Sed facile intelligitur, incidisse in hanc interpretationem, quae verbis Ioanneis *infertur* potius, quam ex eisdem *effertur*, nec aliunde ex hoc evangelio confirmatur, interpretes eo fine, ut Evangelistarum narrationes orationesque rebus gestis immixtas, quae non satis conspirare inter se viderentur, *quoquo modo* conciliarent: quo ducti studio, diversae scriptorum indolis non minus quam scribentium consilii in delineanda dicentis persona subinde parum memores fuerunt.

In hac re expedienda, ut equidem existimo, ante omnia *magni fontium discriminis* meminisse nos oportet, quod video non impune neglectum esse ab interpretibus, qui in his locis explanandis diu multumque nec fere cum fructu desudarunt *).

---

*) Singularem evangelii Ioannei indolem in describenda Baptistae sentiendi ratione et doctoris, quae ei divino iussu evenerat, provincia, unus omnium perspexit SCHULZ l. c. cuius haec sunt verba: *„Vorzüglich merkwürdig müssen wir es finden, obgleich, „wie es scheint, Niemand darauf achtet, dass schon „der Täufer Iohannes in diesem Evangelium „den Messias auf eine ganz andere Weise*

Ioannes Evangelista familiarem Baptistae cum Christo ante baptismum necessitudinem, ex eorum cognatione enatam, idcirco praetermisisse videtur; quoniam eius generis rerum mentionem facere a consilio, quo scriberet de vita Iesu Christi commentarios, alienissimum iudicavisset. Eodemque haec animo neglexit, quo *humanas* Christi *origines* uberioremque de *infantia* eius narrationem, quam attingunt reliqui Evangelistae, a scriptione sua πνευματικῇ iusserat exulare. Describitur enim ibi Ioannes Baptista divina auctoritate legatus in hunc orbem missus, ut lucis verae et vitae vere vitalis auctorem mortalibus adnuntiet, eique rite recipiendo baptismi symbolo aequales praeparet; persuasus ceteroquin de aeterna λόγου et antemundana natura dignitatemque Christi Messianam singulari oraculo divino

---

„ankündigt, als in den drei ersten Evangelien. Von „Busse und Aufforderung dazu ist hier die Rede „nicht: Μετάνοια *und* μετανοεῖν *sind dem Johan„nes fremde Ausdrücke (in der O f f e n b a r u n g „häufig!).* (Cf. Luecke *Comm.* I. 574.) *Das Ge„schäft des Täufers ist hier, Christum anzukündi„gen als den Bringer der Gnade und Wahrheit „und zu bezeugen, dass der göttliche Geist auf ihn „herabgekommen sey. Ja was noch bedeutungsvol„ler ist, eben dieser T ä u f e r J o h a n n e s beschreibt „im vorliegenden Evangelienbuche Christum schon „als denjenigen, welcher bereits vor der Entste„hung aller Dinge als das ewige Licht und Leben „der Welt existirt habe: Kap. 1, 7. vgl. d. Vor„hergehende, und V. 15 ff. 30 ff. 34. gerade so „wie der Evangelist selbst. Also d e s E v a n g e l i„s t e n e i g e n t h ü m l i c h e A n s i c h t ist in diesen „Stellen, wie sonst gar oft, auch in andern Schrif„ten der nemlichen Classe, der Rede eines Andern, „hier des Täufers, aufgeprägt: was desto weniger zu „bezweifeln steht, da bei den übrigen drei Refe„renten, welche den zeitlichen Ursprung des Hei„landes unter Wunderbegebenheiten darzustellen „bemüht sind, keine Spur einer solchen Vorstel„lungsweise des Täufers zu entdecken ist."*

firmissime edoctus. Cf. 1, 6. 7. 8. 15 sq. 27. 30. 31—34. Quae quidem persuasio de summi numinis spiritu, coelitus in Christum delato, tam altas in animo Baptistae radices egit, ut, si quidem *Ioannis* commentariorum fidem sequaris, ab hoc tempore ne levissima quidem de munere Christi Messiano dubitatio ipsi suborta fuerit; sed quocunque potuit modo et studio extollens Iesum laudibus, ad eius disciplinam sectatores suos serio ablegaverit. Cf. 3, 22 sq. De qua re rursum aliter iudicandum esse e *Matthaei* atque *Lucae* testimoniis, statim videbimus. *) Optimo ta-

*) Vix poterit negare sagacior huius generis rerum investigator, singulari amore in depingenda generosa Ioannis Baptistae indole animique magnitudine Ioannem esse versatum, lubentesque subscribimus in hac causa verbis Herderi: (*Werke.* T. XI. *Christl. Schrift.* P. 1. Tub. 1810. *von Gottes Sohn der Welt Heiland.* p. 343.) „*Jeder, den Neid* „*anwandelt über die Talente, über den höhern Ruf,* „*über das Glück eines andern, lese des edlen Man-* „*nes Erklärung:* Ioh. 1, 19—37. 3, 22—36. *in Ca-* „*meelshaare gekleidet, ist er der schärf-* „*ste Prediger gegen den Egoismus.*" — Liceat h. l. coniecturam addere, quae, non longius petita, ἐναντιοφαινομένοις, de quibus supra egimus, expediendis aliquantum inservire videtur. Fuerat Ioannes Evangelista Baptistae discipulus. Nam etsi non disertis verbis talem se vocet in commentariis suis, tamen fuisse eum ex duobus Ioannis discipulis, qui Io. 1, 35. 37. 41. memorantur primi Christo nomina dedisse (quorum alter dicitur Andreas, alterius reticetur nomen), non est quod dubitemus. Est enim hoc more receptum Evangelistae, ut, ubi in sui mentionem incidat, suppresso modestiae causa nomine, aliis quibusdam utatur indiciis. Cf. 13, 23. 18, 15. 19, 26. 35. 20, 2. Idem uno ore statuunt Michaelis in *Adnotatt.* Paulus, Lueckius, Kuinoelius in *Comm.* ad *h. l.* Accedit, quod maiorem huic rei fidem facit, temporis rerumque minutissimarum in universa narratione accuratissima definitio, quam vix credibile est ab alio quoquam, nisi a praesente et adstante (*te-*

men iure dubitari potest, Baptistae, qualis apud Ioannem evangelistam depingitur, formulam βασιλείας τοῦ θεοῦ prae ceteris familiarem crebrisque sermonibus usurpatam fuisse.

Consentiunt autem ex *Matthaei*, *Marci* atque *Lucae* commentariis in doctrina de μετανοίᾳ omni modo Ioannes Baptista atque Christus. Utrique enim doctores hoc primario loco inculcant aequalibus, immutandam esse legem vitae avocandumque animum a prava agendi consuetudine et inani maiorum gloriae ac meritorum fiducia ad veram honestatis pietatisque laudem his, qui consortes fieri regni coelorum fruique civium theocratiae Messianae iuribus ac praemiis velint. Cf. Mtth. 3, 2—12. Luc. 3, 3—18. Mc. 1, 4. coll. cum Mtth. 4, 17. Mc. 1, 15. totoque *sermone montano* Mtth. 5, 2 sq. (qui est non *antiiudaicus*, sed *antipharisaicus*) Luc. 6, 20 sq. Quae quidem *ethica* (ut brevi dicam, quod res est) exspectationis Messianae pars, quo magis neglecta iacuerat a vetustiorum prophetarum, *Iesaiae* maxime, aetatibus inter *Palaestinenses Iudaeos*, qui in *politica* eius *parte* exornanda et celebranda mirifice sibi place-

---

stem ocularem vocant) profectam esse. Hoc igitur probe stabilito et fixo, quaerimus, num prorsus abhorreat a vero, Evangelistam eximia erga pristinum doctorem pietate perfusum (virtutem enim, ut recte ait Tacitus, ex oculis sublatam quaerimus), tacuisse necessitudinem, qua iungerentur Ioannes atque Christus, anteaquam hic signo coelitus dato Messias declaratus esset, ne, si aliquantum temporis innotuisse traderetur Christus Baptistae ita, ut qualis sit futurus, non perspicue agnoverit, iure quis dubitaret de Ioannis Baptistae et sagacitate, et rei Messianae cognitione; nihil etiam dixisse de dubitatione, Ioanni in vincula coniecto de Messiana Christi dignitate agendique ratione suborta, ne vel tantillum auctoritati, honori et constantiae summi viri videretur detrahi. —

bant, eo magis retractandam sibi novisque inter populares suos studiis promovendam sumserunt Ioannes atque Christus. *Bonorum* item ab *improbis secretionem*, *a Messia* quondam *perficiendam*, docuit ante Christum Baptista. Mtth. 3, 12. Luc. 3, 17. coll. Mtth. 13, 40 sq. Longiores Baptistae orationes, in quibus, quae proponuntur morum praecepta singula, miram habent cum Christi doctrina similitudinem *), solus exhibet *Lucas* l. c., quem in describendo Ioannis ingenio maiore ceteris industria versatum esse iure tuo dicas.

Persuasio tamen de Messiana Christi dignitate, baptismo confirmata (cf. Mtth. 3, 13 — 17. Mc. 1, 9 — 11. Luc. 3, 21. 22.) [antea enim magis in universum Messiam venturum praenuntiavisse videtur], secundum Synopticos non tam altas in animo Baptistae radices egit, ut ab omni dubitatione per reliquum vitae tempus religiose abstinendum censuerit. Nam Mtth. 11, 2 sq. Luc. 7, 18 sq., auditis Christi miraculosis sanationibus et quam is strenue doctoris munere perfungatur, e carcere discipulos ad cognatum misisse narratur, ut quaerant ex eo, utrum vere sit Messias, omnium votis exoptatus; an alius sit sibi suisque exspectandus. Quae quidem verba, nisi *contorte* **)

*) Cohortatur enim ad *beneficentiam* omnes, ad *modestiam* et *frugalitatem* in exigendis vectigalibus portitores, ad *temperantiam* milites, ne aliorum iniusto modo minis interpositis bona diripiant. Ex hoc genere multos sermones periisse nobis graviter dolendum est. Cf. v. 18. πολλὰ μὲν οὖν καὶ ἕτερα παρακαλῶν εὐηγγελίζετο τὸν λαόν.

**) Quo referenda est eorum interpretum sententia, quam miror ipsum Grotium esse amplexum, qui legatos eo consilio a Ioanne missos existimant, ut Christum, cui fidem antehac constanter denegavissent, ore ac doctrina cognoscerent. Nam, ut taceamus, nullum huius consilii nec in quaestionis

malis explicare, quam quid vere iis insit, libere dicere, haud dubie hoc continent, offensum fuisse Ioannem Baptistam ea ratione ac via, quam Christus in opere suo perficiendo sequutus esset, eiusque consilia in administrando munere Messiano vel non perspicere satis, vel improbare. Etsi enim non hunc sensum huic quaestioni inesse dixerim, non ulterius pro Messia habitum esse a Ioanne Christum *), tamen vir impatiens morae regnique Messiani luculenta initia avide exspectans non tantum celerius et audacius aggredien-

natura, nec in Christi responsione reperiri vestigium (hanc enim quod attinet Mtth. l. c. v. 4. Luc. l. c. v. 22. ἀπαγγείλατε Ἰωάννῃ etc. *aperte ad Ioannem ipsum* convertitur oratio): quî tandem credibile est, speravisse Ioannem Baptistam, fore, ut Christi ipsius dictis factisque discipulorum incredulitati medela afferretur, posteaquam sibi magistro, quem in deliciis haberent, uberrima de Messiana viri dignitate testimonia edenti, minime faciles aures praebuissent. Praesertim si verum est, quod cum coniectura probabile est, tum quibusdam etiam vestigiis indicatur, invidisse aliquantum Christi auctoritati Ioannis discipulos et dissidia ex aemulatione inter utriusque doctoris sectatores subinde exorta esse. Cf. Io. 3, 26. Luc. 5, 33. Mtth. 9, 14. Accedit, quod Christi facta Ioannis discipulis *aliunde* satis essent cognita; imo ab eorum adspectu recentes ad magistrum in vincula coniectum venisse videntur. Cf. Luc. 7, 18. — V. Lightfoot. in *Hor. hebr.* ad *Mtth.* l. c. Aliis etiam patuit in hac re campus coniecturis, quas enumerare nunc non iuvat et uberius recensuit Kuinoel. in *Comm.* ad *Mtth.* l. c.

*) Quod inprimis propterea statui nequit, quod, si hoc ipso tempore Ioannes Christum Pseudo-Messiam esse iudicavisset, ideoque vel impostorem, vel hominem fanaticum, Messianum nomen temere sibi vindicantem, non potuisset nisi perabsurde de hac ipsa re, num sit vere Messias, per discipulos ex eo quaerere. A tali enim homine qualis esset responsio exspectanda, praevidisse debebat. Id quod acute vidit Michaelis in *Adnott.* ad h. l. eumque sequutus Paulus in *Comm.* ad h. l. V. Schoettgen. *Hor. Hebr.* ad h. l.

dam esse existimavit rem Messianam, sed etiam aliis remediis, argumentis ac viribus utendum, si quidem placida doctoris officia, quibus assidue perfungentem accepisset Christum, corporumque miraculosae curationes, quibus ille popularium miserias sublevaret, ipsi non plane sufficere viderentur. Itaque *non unice* regnum spirituale, quod pietatis virtutisque studio absolvitur, sed externo splendore, sed publica rerum multarum conversione instituendum Ioannes cupidius exspectavisse videtur. Tale regnum ut quamprimum condat, strenue adhortatur Christum; non sine alacri spe obtinendae liberationis e custodia, recuperataque libertate novis viribus adiuvandae rei Messianae *).

---

*) Eandem similemve sententiam de sentiendi ratione Ioannis Baptistae consilioque, quo miserit e vinculis ad Christum legatos, tuentur: Lightfootus in *Hor. hebr.* ad h. l. qui: „ea forte, inquit, laborabat lippitudine Ioannes, qua cum tota gente discipuli „Christi, de eius regno, victoriis et triumphis terre„nis: a quibus, heu quantum! hoc abfuit, quod ca„tenis vinctus iaceret praecursor eius ac praecipuus „minister. Si tu ille, de quo triumphante tanta prae„dicant prophetae; quare ego tamdiu in carcere? „Tune ille es, an alius exspectandus, a quo ista ex„spectanda?" de Wettius *de morte I. C. expiatoria.* p. 53.: „Videtur et ipse Ioannes B. *consuetam Mes„siae politici notionem* habuisse, ita tamen, ut fu„turam rerum conversionem a populi corrupti lu„stratione et emendatione incipiendam esse cense„ret." Leopoldus l. c. p. 114. *„Dass Johannes der „Täufer der Vorstellung Jesu von einer moralisch„religiösen βασιλεία τοῦ θεοῦ sich näherte, wenn „er sie auch nicht erreichte, ist oben schon ange„geben; dass er aber weit hinter ihr zurück blieb, „und wenn nicht an dem Politischen, doch „an dem Sinnlichen hängen blieb, ist wahr„scheinlich. Man kann sie eine moralisch„religiöse, aber von sinnlichen Vorstel„lungen noch nicht gereinigte βασιλεία „τοῦ θεοῦ nennen."* Add. de Wettii *bibl. Dogm.* 187. 188.

Quod quidem nostrum iudicium magis confirmatur ipsius Christi vóce, quae hanc discipulorum Ioannis quaestionem excipit. Declaravit enim, se esse Messiam, sed propter adstantem vulgum id fecit tectius, aenigmatico fere genere dicendi usus. Duobus enim *Iesaiae* vaticiniis (35, 5. 6. 61, 1.), quae de Messia intelligebat (cf. Luc. 4, 18.), in unum conflatis *), ita in rem suam utitur, ut non esse a se exspectandam alius generis nomineque Messiano digniorem agendi rationem ostendat. Miseris enim dum beneficia exhibeat, sanitatem mirabiliter restituendo, simulque humilibus sorte et abiectis hominibus **) laetabilem doctrinam tradat, facere se id, quod Messiam facturum esse propheta nobilissimus praenuntiaverit. Beatum vero esse praedicandum, quem non offendat haec agendi ratio sua, nec pauper et humilis, in quo versetur, status. Quae verba lenem continere erroris in Ioanne reprehensionem, quem in vinculis detentum ex alio genere res gestas a Christo exspectavisse variaque spe animum pavisse, vero est simillimum, nec contextam orationem accurate considerans, nec-

*) De quo priscorum Iudaeorum allegandi scripturas sacras more egit Surenhusius in βίβλῳ καταλλαγῆς. p. 227.

**) Ad Mtth. v. 5. Luc. v. 22. quo terminatur Christi oratio, verbis his: καὶ πτωχοὶ εὐαγγελίζονται, optime haec adnotavit Grotius: „Praecipue videtur Christus hoc vaticinio uti, ut ostendat, quantum sua docendi ratio distet a moribus doctorum „sui seculi. Nam legis periti vix quemquam nisi „magno pretio docebant (*Sophistarum* apud Graecos more!), contemnebant plebem, quem vocabant *populum terrae*, imo proverbium repererant et stultum et superbum: spiritum non requiescere nisi super divitem. Olim prophetae ad reges potissimum mittebantur, Christus piscatoribus „se primum patefecit.“ —

idoneae facilitatis in interpretando amans poterit negare.

Digressis vero discipulis, orationem convertit ad populum Christus, penes quem Ioannes Baptista summa videtur auctoritate floruisse *), et quanta huic viro sit dignitas tribuenda, ratione sui ipsius habita, dicit paulo uberius. Non enim inanem causam fuisse, qua permota ad deserta Iordani loca tanto agmine confluxerit multitudo **). Namque Ioanni Baptistae, homini plane eximio, primarias haud dubie inter omnium aetatum prophetas partes esse deferendas, si quidem is a summo numine dignus sit habitus, qui Messiae praecursoris praeclaro munere perfungatur, et a regni coelestis proxime absit incunabulis. Semet ipsum tamen, qui cum aetate tum gravitate interque populares auctoritate inferior eo iudicetur ***), in regno quidem divino potiore loco esse habendum. Quod quidem ita intelligendum puto, ut et ad profundiorem suam ac subtiliorem rei Messianae scientiam provocavisse simulque hoc subobscure dixisse videatur, sibi esse primarium huius operis perficiendi negotium demandatum. Quae nostra interpretatio magis etiam sequenti oratione, in qua Iudaeorum incredulitatem, quae

---

*) Quamvis miracula ille non ederet. Io. 10, 41. — Cf. Mtth. 21, 26 sq. Mc. 11, 29 sq. Luc. 20, 3—6.

**) Non nugae, non inanis pompa, quarum rerum satis vulgaris est adspectus, vos allexerunt, sed viri minime dissoluti ac constantis gravitas. Hunc esse imaginis Mtth. 11, 7. 8. Luc. 7, 24. 25. adhibitae sensum, praeter alios recte vidit Lightfoot in *Hor. hebr.* ad *Mtth.* l. c.

***) Μικρότερος: *κατὰ τὴν ἡλικίαν καὶ κατὰ τὴν τῶν πολλῶν δόξαν* etc., ut recte interpretatur Chrysostomus. Ita *μικρὸς* de *aetate* dicitur Mc. 15, 40, de *externa* penes vulgum *dignitate* s. potius *indignitate:* Mtth. 10, 42. 18, 6. 10. 14. Mc. 9, 42. Luc. 9, 48. 12, 32. (?) 17, 2.

nulla miraculorum vi frangi possit, acerbe conqueritur Christus, confirmari videtur *).

Hae igitur laudes Ioanni a Christo tributae rectum de ingenio doctrinaque huius viri iudicium egregie adiuvant. Quod vero nonnulli interpretes de vero numinis cultu minus liberaliter sensisse Ioannem arbitrantur, obsoletorum rituum strenuum facientes cultorem et patriae religionis iusto magis tenacem, id ex his locis, quibus utuntur in rem suam, efficitur nullo modo **).

Maiori credo iure mireris, quid causae fuerit, quod Ioannes, tanta erga cognatum veneratione perfusus, novae scholae doctorem profiteri se maluerit, quam Christi disciplinae totum se tradere, communicatisque et viribus et consiliis rem Messianam adiuvare. Nisi forte breve temporis spatium, quod Ioannis captivitatem et docendi munus a Christo susceptum interiectum est, impedimento fuisse statuas, quo minus omnes ac singuli discipuli nomina Christo darent ***). Ioanne autem rebus humanis erepto, a christiana communione abstinuisse videntur †).

---

*) Causae, quibus fulcitur haec sententia nostra, a vulgari interpretatione ll. Mtth. 11, 11 sq. Luc. 7, 28 sq. multum discedens, infra, uti fas est, uberius exponemus.

**) Sunt: Mtth. 9, 14 sq. Mc. 2, 18 sq. Luc. 5, 33 sq. v. de Wette *bibl. Dogm.* 187. Quae ibi memorantur, ieiunia, sunt luctus signa, propter Ioannis B. captivitatem a discipulis eius orbatis adhibita. Haec interpretatio, quam suasit Grotius ad h. l., convenit apprime responso Christi. Paroemiarum enim, quas addidit breviorum (παραβολὴ Luc. 5, 36.), hunc sensum esse putem: tempori ac loco in quavis re agenda esse consulendum, nihil inepte faciendum. Nec prorsus improbat Christus ieiunia. Cf. Mtth. 6, 17.

***) Ut non male suspicatus est Leopold l. c. 127.

†) Cf. Mtth. 14, 12. Dissensionis, ex invidia quadam inter utriusque doctoris sectatores gliscente, repe-

Iam, ut paucis complectamur rei summam, si nativam hominis indolem, morum austeritatem, vitae genus, sententiasque de deo eiusque cultu, quibus ab ineunte aetate, Zacharia auctore, innutritus fuerat, consideraveris accurate; iure tuo dubitabis, eum *extra fines Palaestinae* officii sui et Messianae provinciae partes posuisse. *Quo sensu* ille regnum coelorum prope abesse dixerit, et *quale* illud animo efformaverit, *quibus finibus* circumscripserit, id perspicue non dicitur. Nec tamen veremur, ne iniquius de hoc viro egregio iudicasse videamur, si eum *medium locum* occupavisse dixerimus inter religionis oeconomiam, quae Mosaica lege sancita, prophetarum disciplina aucta est et invaluit, atque puriorem Christi ac liberaliorem doctrinam. Quasi per transennam adspexit indolem regni divini a Iesu Christo fundandi, et in eius veluti limine et introitu substitit, ideoque recte apud Gregorium Nazianze-

tendae vestigia non incerta subinde in libris N. T. reperiuntur, quam tamen Ioannes B. minime putandus est aluisse suo exemplo. Cf. Io. 3, 26 sq. Et primis quidem apostolorum aetatibus promti ac parati fuisse videntur Ioannis discipuli ad recipiendam doctrinam christianam. Cf. Act. 18, 24 sq. 19, 1 sq. Qui autem hodieque in *Syriae* et *Persiae* tractibus perdurant, Ioanneae disciplinae cultores (*Mendaei, Zabii* vel *Sabaei, Nazaraei* dicti), a pristina simplicitate degeneravisse doctrinamque suam variis modis corrupisse videntur. In eo tamen consentiunt eorum libri sacri, ut Christum perhibeant *falsum Messiam* et *baptismi Ioannei corruptorem*, admixtis abstrusioribus e *Gnosticorum* fonte commentis. Sed non abhorret a vero, hos homines et multo inferioris aetatis esse et originis diversae. V. inter alios Eichhorn *Einleitg. in d. N. T.* II. 199 sq. de Wette *bibl. Dogm.* 187. *de morte I. C. expiator.* p. 57. Knapp *Scr. var. arg.* I. 158. 159. et quos excitavit libros Winer in l.: *bibl. Realwörterb.* s. v. *Iohannes.*

NUM et TERTULLIANUM cognomen μεσίτου V. et N. T. invenit *).

*) Frustra hoc eius cognomen impugnant *Unschuld. Nachricht. v. A. u. N. theol. Sachen.* 1711. p. 67 sq. Add. I. H. MICHAELIS *Not. ad Mal.* 3, 23.

PARS IV.

CHRISTI DE REGNO A SE CONDENDO SENTENTIA. *)

NUM VERE MESSIAE MUNUS SIBI TRIBUERIT. **)

Antequam de Christi regno veraque eius indole dici possit subtilius, videndum est, utrum Messiae munus atque dignitatem vere, simpliciter deque animi sententia Dominus sibi vindicaverit;

*) Omissis aliquot antiquioribus minoris frugi libris, nominandi sunt, qui in hoc caput decretorum christianorum inquisiverunt, scriptores hi: Koppe N. T. Vol. VI. Exc. I. ad calc. *epp. ad Thessal.* ed. 3. c. Tychsen. 1823. (coll. Roehr *krit. Predigerbibl.* T. V. Vol. 3. 1824. p. 391. 392.) Storr *de notione regni coelestis* in eiusd. *Opusc. acad.* T. I. p. 253—300. Flatt *Diss. de notione vocis βασιλεία τῶν οὐρανῶν.* Tubing. 1794. 4. repetit. in *Commentt. theoll.* editt. a Velthusen etc. Vol. II. p. 421—472. Keil *hist. dogm. de regno Messiae Christi et app. aetate* etc. 1781. repet. in Eid. *Opusc. acad.* edit. Ven. Goldhorn. 1821. p. 22 sq. Eckermann *theol. Beitr.* T. II. St. 1. p. 67—223. Doederlein *Institt. theol. chr.* II. 235 sq. (ed. 2.) Reinhard *Plan Jesu.* ed. 4. p. 52—73. Hess *von dem Reiche Gottes.* Zuerich. 1796. 8. XII—XVIII. Abschn. Noesselt ad Rom. 14, 17. in *Opusc.* II. 112 sq. (Hebenstreit) *Versuch einer hist. krit. Abhdlg. üb. d. Aeussgn. Jesu v. d. Reiche d. Messias, zu Mtth.* 19, 27 sq. in Henkii *Mag.* II. 359 sq. et eiusdem: *Ueb. d. Unterscheidg. e. dopp. Wiederkunft Jesu,* in Henkii *Mag.* IV. 175 sq. *Historisch-exegetischer Scepticismus in Rück-*

an, ut aliis visum est, formula usus sit et opinione, his aetatibus inter populares suos pervulgata, et ex interiore natura atque fatis reipublicae Hebraeorum enata; quam, etsi probatum non ivisset, receperit tamen palamve professus fuerit eo quidem fine, ut, cedendo sapientissime inveteratae imbecilliorum sententiae, ad liberaliorem disciplinam recipiendam eo promtiores animos inveniret. Ab hac quaestione recte diiudicata nemo non videt quam pendeant multa. Alterum enim, quod loco posui posteriore, si verum est; non poterat Christus nisi invitus et aegerrime de regno verba facere, cuius plane omissurus fuisset mentionem, si non popularium exspectationi, verum soli sibi parere voluisset. — Hoc vero, quale sit, cum *ex historiis* unice intelligi possit, missa generaliore disputatione, *Synopticorum* super hoc argumento sententias et narrationes perlustremus.

Et huius quidem rei explorandae initium recte duci nemo diffitebitur ab eo tempore, quo primum Christus e privatae vitae umbris in publicum pro-

---

sicht auf d. Ausdrücke Jesu üb. d. v. d. Juden erwartete Messiasreich in Henkii *Mag.* V. 520 sq. Krummacher *üb. d. Geist u. d. Form d. evang. Geschichte.* p. 366 sq. de Wette *bibl. Dogm.* ed. 2. p. 196 sq. 229 sq. 272 sq. Ven. Bauer. *de causis, quibus nititur rectum super notione regni divini, in N. T. passim obvia, iudicium.* Lips. 1810. repetit. in *Comm. theoll.* a Ven. Rosenmuellero etc. editt. T. I. p. 2. Lips. 1825. p. 107 sq. Sartorius *üb. d. Zweck Jesu als Stifter e. Gottesreiches* in l. *Drei Abhdlgn. üb. wicht. Gegenst. d. exeg. u. system. Theologie.* Gotting. 1820. p. 129—170. Fritzschius *Comm. in Matth.* 3, 2. p. 109 sq.

**) Cf. Hartmanni diatribe: *hat sich Jesus für den von Gott verheissenen Messias wirklich gehalten, oder hat er sich bloss nach den Erwartungen seiner Zeitgenossen accommodirt,* in l.: *Blicke in d. Geist des Urchristenth.* *Abh.* I. p. 3 sq.

diit, doctorisque munus, cuius obeundi cupiditate et ingenti et sanctissima ab ineunte aetate flagravit, strenue tuitus est. Summam eius orationis, coram adfluente multitudine habitae, tradunt nobis Evangelistae his verbis: μετανοεῖτε, ἤγγικε γάρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν. Mtth. 4, 17. Mc. 1, 15. Ex qua oratione duo haec emergunt: Primum revocantur auditores a morum perversitate ac sordibus ad bonam frugem melioremque animi conformationem; dein vero, id quod nostra nunc interest perspexisse, regnum Messianum brevissimo *temporis* spatio (ita enim v. ἤγγικε melioris notae interpretes ad unum omnes explicant) adfuturum esse perhibetur.

Atque eodem tendunt ea loca, in quibus *coelestis regni praedicatio*, quae Christo tribuitur, cum *miraculosis* eius *sanationibus* coniungitur: Mtth. 4, 23. 9, 35. (Luc. 9, 2. 6.) Egregie igitur praeparabantur animi ad rite excipiendum sospitatorem futurum (quandoquidem ardentissimis votis ea aetate a plerisque Iudaeis exspectabatur), experiundo beneficia eius, qui tametsi Messiae nomen reticebat, apertis tamen verbis declarabat, haec tanta bona cum regno divino prope accelerante esse coniuncta. Praesentiam regis theocratici reique Messianae laeta initia non minore studio iussit discipulos per urbes provinciasque Palaestinae annuntiare, quibus, si nihil magis, hoc tamen effecit, ut latius proferret rerum maximarum exspectationem et aculeum in animis multorum relinqueret. Mtth. 10, 7. Luc. 9, 2. 6. 10, 9. 11. Nam sine dubio, qui regni coelestis initia instare audiebant, Iudaei nihil prius sibi quaerendum putaverunt sede ceterisque virtutibus principis huius regni. Ergo hac provida et prudente ratione rem aggressus Dominus, utrumque est assequutus, ut et rei Messianae spes alacriter

sustentaretur, et sui tamen nominis non fieret praeter tempus opportunum communique bono noxia mentio.

Verum prodeant, credo, alii, qui Christum idcirco negent Messianam sibi tribuisse potestatem, quoniam non semel suis interdixisse dicitur, ne se regem theocraticum profiteantur, idemque coram promiscua multitudine adstante repetierit. Huius igitur iussi qualis fuerit natura et ratio, videamus.

Agatur primum de Mtth. 12, 16. Is quidem locus ex eo genere est, ut non multum subsidii nostrae sententiae adversariis ferat. Christus enim cum ab eo loco discessisset, in quo homini, manu tabida laboranti, sanitatem restituerat, multosque post eum alios de affluente populi turba a corporeis malis liberavisset, traditur severe hos ipsos admonuisse: *ἵνα μὴ φανερὸν αὐτὸν ποιήσωσιν.* Haec non commode referuntur ad professionem Messianae in Christo dignitatis, qua interdictum fuerit Iesu comitibus. Imo omnis haec cautio pertinet ad miraculosas curationes, modo a Iesu perfectas, quarum rumorem late proferri a populo nolebat*); ne Pharisaei ceterique Synedrii assessores, quorum iam exacerbati erant animi sabbatica hominis aegrotantis sanatione, acriore commoti invidia, pestifera de perdendo optimo doctore consilia iusto citius exsequerentur. cf. v. 14. cl. Luc. 6, 11. Mc. 3, 6. (Cf. *ad rem* ipsa loca perquam similia Luc. 8, 56. Mc. 5, 43., ubi, sanata Iairi filiola, vetuit adstantes testes Christus, rem unam omnium admirabilem latius proferre sermonibus.) Hoc prudente Christi atque modesto facto Matthaeus ait eventum habuisse, quod

---

*) Idem placuit recentissimo interpreti, Fritzschio ad h. l.

Iesaias (42, 1 sqq.) de Messiae agendi ratione, a venditatione et ostentatione aliena, tradiderit. Quem locum Iesaianum his aetatibus in Messianis habitum fuisse, vel e chaldaica translatione colligi licet.

Nec magis huc valet Mtth. 16, 20. (cl. Mc. 8, 27—30. Luc. 9, 18—21.), si penitius cognoscitur. Rogatis enim discipulis, quonam in loco habeant Christum, Petrus eorum nomine ita respondet, ut eum dei filium libero ore profiteatur. Qua enuntiatione mirifice Iesum delectatum fuisse legimus, ita ut ingenuae professionis non ab humana Petri indole sentiendique ratione (σάρξ καὶ αἷμα), sed a divino afflatu originem repeteret. Tum in laudes effunditur constantiae fortitudinisque apostoli huius. Nihilo minus in fine orationis familiaribus diligentissime interdixisse traditur, ne se apud quemquam Messiam profiterentur. Exinde facile intelligitur, aliter coram amicis, aliter coram plebe, praeconceptis obcaecata opinionibus, de hac re statuisse Christum. Quod enim ab amicis lubenter audiebat, de eo celare populum non sine causa volebat. Add. Mc. 7, 36. al. Nec reprehendendus propterea, quod dedit aliquid temporibus, et sapientissimo consilio plebis effrenatas cupiditates coërcuit magis, quam relaxavit; de qua re statim dicetur copiosius.

Sed adsunt alia Christi dicta et facta, quibus satis declaravisse visus est, quo tendant consilia sua, quale nomen, quantam auctoritatem sibi tribuenda censeat. Legislationem tentare novam, sancitisque consuetudine ac religione vetustorum doctorum decretis puriore doctrina derogare, nemini nisi Messiae harum aetatum Iudaei licitum existimabant. Huius igitur partes sibi sumsisse Christum, quid tandem possumus dubitare, sua praecepta in eo sermone, quem de monte habuit,

opponentem vel ei, quae maioribus Israelitarum Mosis interventu contigit, institutioni; vel, id quod vero est similius, antiquiorum magistrorum placitis legi Mosaicae adiectis, et eodem, imo maiore in honore habitis. *)

Accedit, quod de regno dei ita eum praecipientem, itentidem audimus, quasi a suo exeat arbitrio facultas, civitatis in theocratica communione consequendae, et ad fructum per eam percipiendum perveniendi. Id quod nemo non videt esse auctoris conditorisve. Mtth. 5, 3. (Luc. 6, 20.) v. 10. et 20.

Quod si negabit aliquis, sensu strictissimo in his, quae excitavi, locis inesse, cum ibi certi cuiusdam generis hominum fore beati regni consortium asserat, aliorum neget, non autem, se esse daturum, affirmet: tamen unicuique persuasum erit, verum esse, quod dixi, lecta oratione Mtth. 7, 21 — 23., in qua profecto principem atque caput huius regni se profitetur. Luculente enim atque di-

*) Ita explicanda videntur verba Mtth. 5, 21. ἠκούσατε ὅτι ἐῤῥέθη τοῖς ἀρχαίοις, *percepistis, praeceptum esse a magistris antiquioribus legis.* Nam 1) Christus opponit se eorum auctoritati formula: ἐγὼ δὲ in sqq. — 2) 5, 43. occurrit post eandem formulam (ἠκούσατε ὅτι ἐῤῥέθη, nam τοῖς ἀρχαίοις ut hoc loco, ita iam in antecedd. nonnullis decretis brevitatis causa omissum, cf. v. 27. (?) 31. 38.) praeceptum, quod nullibi hoc ambitu reperitur in commentariis Mosaicis, sed perversae Iudaeorum et interpretationi et traditioni unice debetur. — 3) Commendat h. sententiam nexus cum v. 20., ubi in Pharisaeorum vanam pietatem et virtutem severe invectus fuerat: quam videtur a v. 21. exemplis singulis illustrare voluisse. — Omninoque, ut diximus supra, huius sermonis indoles *antipharisaica* potius est, quam *antimosaica*. — Dativum vero recte adhiberi passiva significatione, et notum est, et apte docuit Fritzschius ad h. l.

lucide proponit conditionem, cui qui satisfaciant, aditum sibi ad theocratiae Messianae bona perfruenda patefactum iri certo confidant. Ea non cernitur inani nominis Messiani praedicatione, ne unice honoribus quidem, Iesu Messiae habendis, sed vita voluntati coelestis patris convenienter acta. Hanc igitur cum postulet sua auctoritate Christus, flagitiosis et perditis hominibus omnem spem eius generis felicitatis praecidat: quis est, qui haec non Iudaici doctoris, non prudentis virtutisque amantissimi hominis, sed Messiae, sed humanarum divinarumque rerum Domini augustissimi, sed divini legati atque interpretis, sed iudicis integerrimi et gravissimi esse diffiteatur? —

Atque haec vere disputata esse, magis etiam apparebit accurata et perspicua interpretatione loci Mtth. 11, 2. sq. (coll. Luc. 7, 18. sq.), quem uti interpretum conatus neque idonea subtilitate neque facilitate expedire nobis sunt visi, tentabimus nos nexu sententiarum, unde in h. causa pendent omnia, accuratissime ostenso, quasi postliminio integritati suae, a qua ab aetatibus CHRYSOSTOMI ad unum omnes deflexerant, restituere *). Contendimus autem, in oratione ad Ioannis Baptistae discipulos habita, non tantum eximii huius viri et prophetae et depingi indolem et praedicari laudes, sed item Chri-

*) Haec iam alio loco (in *diss. de regno Christi.* Lips. 1826. 8. p. 85—92.) copiosissime a nobis erant proposita argumentisque stabilita. Sed cum nemini placuerit Censorum, in sententiae nostrae causas subtiliter inquirere, melioraque nos edocere, visum est, de re eadem bis dicere, ita quidem ut argumenta nunc et brevius constringamus et sub uno quasi obtutu collocemus. Ne autem nunc tandem desint novae explanationi, qui *nexum* et *linguae rationes* accuratissime explorare didicerunt, iudices subtiles, in votis est.

sti de se, futuro theocratiae Messianae rege, inesse iudicium. *Tribuit enim sibi partes primarias in opere Messiano perficiendo;* proximos honores concedens cognato dilectissimo, regis Messiani praecursori meritissimo. Quod cum satis apertis verbis declaraverit, adstantibus Ioannis sectatoribus, audiente maxima populi corona, quid tandem est, quod ambigamus fateri, Messianum sibi nomen nunc tectius, nunc dilucidius vindicavisse Dominum et quidem lubenter, voluisse enim, ut populares ad unum omnes agnoscerent.

His tribus enuntiatis continetur summa brevis orationis: Advenit praecursor Messiae. Adsum ego Messias ipse. Adsunt, qui adspirant (Iudaei, suis quidem commentis atque somniis imbuti) civitatem in theocratia Messiana. Hanc explicationem ut idoneis firmemus argumentis, haec subiungere placuit.

1) Verbis: Mtth. 11, 11. Luc. 7, 28.: *ὁ δὲ μικρότερος ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν μείζων αὐτοῦ ἐστιν* Christus non sectatorem, non apostolum, sed *se* ipsum designat, nunc quidem, vulgi existimatione, Ioanni Baptistae posthabendum, fama, aetate, meritis; in theocratia vero Messiana (utpote caput atque principem) vel hoc maximo inter mortales propheta praestantiorem. — Hac interpretatione, quam *internus sententiarum nexus* et *linguae* rationes non tam suadent ac commendant nobis, quam flagitant, inter antiquiores *) praeivit Chrysostomus **); nostra aetate, nescio quo fato,

*) V. uberiores Patrum h. l. expositiones, quas congessit Suicer. *thes. eccles.* p. 666—668. *s. v. βασιλεία.*

**) Cf. *Hom.* XXXVIII. in Mtth. T. I. edit. *Paris.* ap. *Morell.* 1636. p. 357 sq. vel T. VII. *Hom.* XXXVII. ed. *Montef.* p. 414 sqq. Chrysostomum presse, ut

cum neglecta iacuisset, unus, quod laetor Fritzschius *) recepit et tuitus est. **)

Argumenta, quibus haec nostra interpretatio nititur, haec sunt:

a) Interpungimus non cum his, qui vulgari explanationi adstipulantur post οὐρανῶν, sed post μικρότερος. Hoc autem vocabulo arbitramur Christum *semet ipsum* designare cautius et modestius, quatenus et aetate et auctoritate, et vulgi existi-

---

solet, sequitur Theophylactus eandemque sententiam profitetur Euthymius. Ita enim ille: μικρότερον, ἑαυτὸν λέγει, διὰ τὸ δοκεῖν οὕτω παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις. Μείζονα γὰρ αὐτοῦ τὸν Ἰωάννην ἐνόμιζον, ὡς ἐκ βρέφους ἐρημικὸν καὶ ξένῃ διαίτῃ χρώμενον. Τὸν γὰρ Χριστὸν, ὡς κοινῶς διαιτώμενον, ὑπεβίβαζον. Ὁ δὲ μικρότερος, φησιν, ὁ δοκῶν ἐλάττων αὐτοῦ, μείζων αὐτοῦ ἐστιν ἐν τῷ βασιλεύειν τῶν οὐρανῶν, ὡς μὴ μόνον ἄνθρωπος, ἀλλὰ καὶ θεός.

*) In *Comm.* in Mtth. ad h. l.

**) Paucissimis h. interpretationem, ex qua Christus seipsum appellavit μικρότερον, attingunt Grotius et Wolfius in *Cur. ad h. l.*, ne verbo quidem memorant Paulus atque Kuinoelius. Est vero, ut dicam, quod sentiam, non paucorum interpretum perversus et fastidiosus mos, ut opinionum, antiquitate sola, vel amabili quadam consuetudine sancitarum iusto tenaciores reperiantur, explicationesque, non rerum novarum cupidine inventas, novas tamen, vel, cum maioribus ex parte debeantur, retractatas tamen, et novis rationibus firmatas, subtiliterque auctas, *verbo*, et contracta fronte, imo severitate censoria refellere satis habeant, quod a notionibus quibusdam a prima rerum exegeticarum cognitione animo conceptis, recedere vel nolunt, id quod multo est frequentissimum; vel, quod rarius accidit, non possunt. Ergone in explicandis antiquitatis monumentis, liberrimo et ingenuo homine dignissimo negotio, intra Tertullianeam sententiarum *praescriptionem* (quae misera vocula infausto omine et pingui Minerva e iureconsultorum castris in theologorum scholas migravit) nos continebimus? —

matione minor censeatur Ioanne Baptista. *) Vix opus est, ut suppleas *αὐτοῦ* sc. *Ἰωάννου*, cum sequatur in fine versiculi. Ita *μικρὸς* de *aetate* dicitur Mc. 15, 40., de *externa* penes vulgum *dignitate* s. potius indignitate: Mtth. 10, 42. 18, 6. 10. 14. Mc. 9, 42. Luc. 9, 48. 12, 32. (?) 17, 2. De se loquitur, tamquam de altero, usu frequentissimo. Quod autem *ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν* reliquis antecedant, non puto aures legentium tanquam insolens male habiturum. Res enim, qua superior esset Baptista Christus, debebat *gravius fortius*que insigniri, ideoque ceterae orationi praemitti. — Habemus igitur collationem dignitatis Christi cum I. B. dignitate ac persona. **) Voluit Christus hac oratione cavere, ne vulgus, auditis, quae Ioanni tribuerentur, laudibus, in eum errorem incideret, ut magnificentius de Baptista, quam de ipso Christo, sentiendum existimaret. Omninoque hoc egit Dominus, ut parum confirmatorum de plebe hominum super sua et Baptistae persona

---

*) *Κατὰ τὴν ἡλικίαν καὶ κατὰ τὴν τῶν πολλῶν δόξαν*, ut cum CHRYSOSTOMO, vel: *κατὰ τὴν ὑμῶν ὑπόληψιν*, ut cum THEOPHYLACTO loquar.

**) Id quod profecto male negavit CHRYSOSTOMUS, qui, nisi omnia me fallunt, dogmaticis rationibus et inani timore praepeditus est, ne verum, quod feliciter detexerat, penitus videret. Ita enim ille: *τί οὖν, φησι, κατὰ σύγκρισιν τοῦ Ἰωάννου μείζων ἦν; ἄπαγε. Οὐδὲ γὰρ Ἰωάννης ὅταν λέγῃ, ἰσχυρότερός μου ἐστὶ, συγκρίνων λέγει· οὐδὲ Παῦλος, ὅταν Μωυσέως μεμνημένος γράφῃ, πλείονος γὰρ δόξης οὗτος παρὰ Μωυσῆ ἠξίωται, συγκρίνων γράφει. Καὶ αὐτὸς δὲ ἰδοὺ πλέον Σολομῶνος ὧδε λέγων· οὐχὶ συγκρίνων φησί.* Ipse tamen mitigans paulisper sententiam, propius sensit veritatem; subiungit enim haec: *εἰ δ' ἄρα δοίη μὲν καὶ κατὰ σύγκρισιν εἰρῆσθαι παρ' αὐτοῦ τοῦτο, οἰκονομικῶς ἐγένετο διὰ τὴν τῶν ἀκουόντων ἀσθενείαν.* —

dubium iudicium certis rationibus et ad rei veritatem sine ira et studio stabiliret. —

b) E dicendi genere Christi *antithetico* et *paradoxo*, cuius eum amantem fuisse, more Orientis doctorum, satis constat (cf. Mc. 9, 35. al.), explicabis; quod, cum statim ante de Ioanne confessus fuerit: *οὐκ ἐγήγερται ἐν γεννητοῖς γυναικῶν μείζων*, continuo tamen se ipsum vocaverit *μείζονα τοῦ Ἰωάννου*. Minime vero, quod antiquioribus, qui ecclesiastica dogmata perperam immiscebant textui, arrisit*), se ipsum excepit quasi non e muliere natum, sed insolito modo progenitum. Id enim a contexta oratione alienissimum. — Ceterum nec, si vulgarem sequaris explicationem, liberaberis hac, si qua est, insolentia sermonis, ut in *priore* enuntiato maior omnibus, qui e feminis nati sunt, praedicetur Ioannes, in *posteriore* autem vel minimi discipulorum Christi (non minus profecto illi utero progeniti) in regni coelestis disciplina Ioanne maiores dicantur. Alterum igitur altero vel tollitur, vel potius limitibus adstringitur. —

c) Vocabulum „*ἐστιν*" in fine v. 11. non refero ad rem *certo futuram* (quae est Fritzschii sententia, perperam provocantis ad v. 3. in quo *praesens ὁ ἐρχόμενος* item sit: *qui certo venit*; is enim locus ex alio est genere); quasi Christus non prius, quam Messiae provinciam in se recepisset, eum sit aliquando superaturus. Quid si iam nunc recepit? Imo iam nunc vincit, cum adsit Messianum imperium. De *praesenti* enim et persona et officii ra-

*) Ita is idem, quem toties excito, Chrysostomus suspicatus est a Domino his verbis ad originem provocari miraculosam: οὐ γάρ, ait, ψιλὸς ἄνθρωπος ἦν, οὐδὲ ὅμοιος ἀνθρώπῳ ἐτέχθη· ἀλλὰ ξένον τινὰ τόκον καὶ παράδοξον.

tione agit Dominus. Quae explicatio ultro sese offeret subtiliori historiae evangelicae indagatori. *Messianum* enim *institutum*, quod et h. l. designare βασιλείαν τῶν οὐρανῶν facile intelligitur *), licet in plurimis et clarissimis evangeliorum locis dicatur *futuro tempore* (post Hierosolymarum excidium) condendum idque solenni inauguratione et splendore cum maiestate coniuncto, in aliis quidem iisque paucioribus (Mtth. 12, 28. c. 13. tot. ὡμοιώθη etc. Luc. 11, 20. 17, 20. 21. de quo postremo loco v. diss. nostr. in Ven. Wineri l.: *Exeget. Stud.* T. I. p. 159—172.) ita adumbratur, ut videatur *iam praesens adesse.* Quod quidem per πρόληψιν dictum. Regni enim divini initia facta sunt (ex ipsa Christi doctrina) eius, qui illud regnum instituturus est, in has terras adventu et inter homines praesentia, doctrina de poenitentia, quam et ipse proponebat Christus, et suos proponere iubebat, cultoribus, qui huic doctrinae obsequantur, in unum coetum cogendis (severiore tamen bonorum ab improbis secretione in tempus solennis inaugurationis dilata), ipsa perpetua professione et asseveratione cum Christi, tum apostolorum, instare huius regni institutionem et miraculis huic orationi adiunctis. Cf. Mtth. 4, 23. Luc. 9, 2. 6. 11. Mc. 1, 39. — Cf. Keil l. c. p. 74. 75. 83. XI. et *inprimis* XVIII. sq. Nostra vox e necessariis temporum connexaeque orationis rationibus ad *posterius* genus locorum referenda **). —

*) Ambigua sunt et obscura, quibus Chrysostomus eiusque pedissequus Theophylactus (in Mtth. XI. et Luc. VII.) ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν interpretantur, verba: ἐν τοῖς πνευματικοῖς καὶ τοῖς κατὰ τὸν οὐρανὸν ἅπασιν.

**) Teste Suicero l. c. antiquiores complures per β. τ. ο. τὴν δεσποτικὴν καὶ δευτέραν παρουσίαν innui existimant, qua Christus iudicis omnium at-

d) Qui post *οὐρανῶν* interpungunt, vulgaris interpretationis amantes, nullo modo possunt, ut fieri solet, comparativum *μικρότερος* pro superlativo nude positum putare; id quod, quia absurdum est, fieri nequit. Imo sapienter iubent recentissimi Grammatici, e nexu repetere *τῶν ἄλλων* s. quod praetulerim, *τῶν ἄλλων πάντων*; ita ut vere ad duo genera restringatur comparatio, et in rei, quacum id, de quo agitur, comparatur, natura insit, ut nativam vim amisisse et cum superlativo coaluisse comparativus videatur. Nam qui ceteris sine exceptione omnibus maior est, is maximus est. Nos igitur decet a significatione sensum secernere. Similis est ratio locorum Mtth. 18, 1. Mc. 9, 34. Luc. 9, 46. cf. Winer Gr. p. 96. 97. (ed. 2.). — (E nostra quidem l. expediendi ratione nihil supplendum esse, praeter αὐτοῦ sc. Ἰωάννου, quod nemo feret aegre, supra dictum est.) Intelligunt vulgo aut *quemvis Christi discipulum*, qui diuturniore eius consortio sit usus, indeque nactus *uberiorem* consiliorum Domini *cognitionem* (Paulus), aut *religionis christianae doctorem* (Grotius, Wolfius, Kuinoelius al.), qui Christi *ambitum disciplinae*, ad exterorum salutem generisque humani liberationem pertinentis, habeat perspectum. Tempus igitur respici putant *post Christi passionem, et resurrectionem, missionem spiritus sancti*, quarum rerum quibus contigerit cognitio, praestabiliores ob hoc ipsum dici Ioanne B., cuius tempore coeperit aliquantum hoc mysterium illucescere (Mtth. 13, 17.), a prophetis adumbratum quidem, sed non aperte annuntiatum. — Ita vero ratione prorsus arbitraria et contorta infe-

que regis munere perfungetur. Id quod h. l. non tantum minime necessarium, sed fere contortum esse videtur.

runtur orationi, quae posteriorum sunt temporum, ne quid de hac vel temeritate vel audacia dicam, διδάσκαλος s. προφήτης post μικρότερος inseri, notamque *praesentis* temporis „ἐστι“ prorsus negligi. — Priorem igitur explicationem et suapte natura faciliorem dixerim, et *contextui* inprimisque *sequenti orationi* convenientiorem. Quid enim, quaeso, attinebat, in apostolis ceterisque *futuris* religionis christianae doctoribus nunc praedicare *futuri temporis* scientiam, idque, ut detraheretur laudibus Ioannis B. qui tamen vir eximius in *primaria* illa de *μετανοίᾳ doctrina* prorsus conspirabat cum Domino; et in tali quidem rerum Christi conditione, ut non essent innumerabiles apostoli, discipuli, sectatores, sed ut cum maxime popularium pertinacem incredulitatem conquereretur (Mtth. a v. 15 sq. Luc. a v. 31 sq.), ut miraculis, divinae legationis signis, edendis eorum oculos animosque in se doctrinamque vix ac ne vix quidem converteret? *) —

Sed ut hanc interpretationem magis etiam stabiliamus, age videamus, quam belle illa sequenti orationi conveniat. Verborum enim v. 12. ἀπὸ δὲ τῶν ἡμερῶν Ἰωάννου τοῦ βαπτιστοῦ ἕως ἄρτι ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν βιάζεται καὶ βιασταὶ

*) In hanc rem dignissimus est, qui legatur, Chrysostomus, qui: τινὲς δὲ φασὶν, ait, ὅτι περὶ τῶν ἀποστόλων τοῦτο εἴρηκεν ὁ χριστός· οἱ δὲ, περὶ ἀγγέλων. Ὅταν γάρ τῆς ἀληθείας τινὲς ἐκτραπῶσι, πολλὰ πλανᾶσθαι εἰώθασι. Ποία γάρ ἀκολουθία, ἢ περὶ ἀγγέλων ἢ περὶ τῶν ἀποστόλων εἰπεῖν; ἄλλως δὲ, εἰ περὶ τῶν ἀποστόλων ἔλεγε, τί ἐκώλυεν ὀνομαστὶ παραγαγεῖν; περὶ μὲν γάρ ἑαυτοῦ λέγων, εἰκότως κρύπτει τὸ πρόσωπον διὰ τὴν ἐπικρατοῦσαν ὑπόνοιαν, καὶ τὸ μὴ δόξαι περὶ ἑαυτοῦ μεγάλα τι λέγειν. Καὶ γάρ πολλαχοῦ φαίνεται τοῦτο ποιῶν.

ἁρπάζουσιν αὐτὴν simplicissima mihi ceterisque omnibus*) praeferenda videtur explicatio haec, ex qua βιάζεσθαι regnum dicitur divinum *sensu passivo* ab his, qui ab Ioannis aetate ad hunc diem summo ardore atque studio illud expetunt maximaque flagrant rei Messianae cito instituendae cupiditate.**) Sunt igitur βιασταὶ: qui omnibus opibus atque viribus arripiunt theocratiae Messianae beneficia.***) Ceterae interpretationes aut pugnare cum loquendi usu, aut a nexu plus minusve alienae videntur. †) —

Non autem hoc voluit Christus, multos hoc tempore *vere* intrare in coetum Messianum, sed magnum esse civitatis in hoc regno obtinendae inter populares desiderium. ††)

Nec vere quis dicat, ex nostra verborum interpretatione *non sine tautologia taedii plena* poni: καὶ βιασταὶ κ. τ. ἑ. post prius hemistichium: ἡ β. τ. ο. βιάζεται. Graviores enim aculeos et gradationem oratoriam (parallelismum, quem dicas *progressivum*) in hoc posteriore inesse, quis

*) Quas uberius recensitas habes apud Wolf. in *Cur.* magnamque partem refutatas ap. Kuinoel. in *Comm.* ad. h. l.

**) Id quod inest item in Hesychiana παραφράσει: βιαίως κρατεῖται.

***) Optime dicuntur a Chrysostomo: πάντες οἱ μετὰ σπουδῆς προσιόντες.

†) Cf. Keil. l. c. p. 55. 56. Wahl. et Schleusner. s. v. βιάζομαι. Nam Bretschneider. in *Lex.* s. h. v. orationis tenorem minus accurate respexit.

††) De nexu huius commatis cum antecedd. praeclare Chrysostomus l. c. καὶ ποίαν τοῦτο ἀκολουθίαν ἔχοι πρὸς τὰ ἔμπροσθεν εἰρημένα; πολλὴν μὲν οὖν καὶ σφόδρα συνάδουσαν. Καὶ γὰρ ὠθεῖ καὶ ἐπείγει λοιπὸν αὐτοὺς καὶ ἐντεῦθεν εἰς τὴν πίστιν τὴν ἑαυτοῦ· ἅμα δὲ καὶ τοῖς ἔμπροσθεν εἰρημένοις παρὰ Ἰωάννου συνηγορεῖ. Εἰ γὰρ μεχρὶ Ἰωάννου πεπλήρωται πάντα, ἐγώ εἰμι ὁ ἐρχόμενος.

non videt sponte? In eo autem, qui est parallelus, Lucae loco 16, 16. *βιάζεσθαι* seq. *εἰς* vi verbi *media* de his, qui, omni adhibita opera, intrare nituntur regnum dei, e linguae rationibus dici posse, consentiunt optimae notae interpretes. Nec mirum videri debet, pergit Christus v. 13., quod tanta sit huius regni inter huius aetatis homines cupiditas, et summa omnium exspectatio, si quidem non Ioannes primus, sed ante eum omnes V. T. prophetae de Messia venturo sint vaticinati. *)

Iam v. 14.: *καὶ εἰ θέλετε δέξασθαι, αὐτός ἐστιν Ἠλίας ὁ μέλλων ἔρχεσθαι*, quo tendat mens Christi, non puto esse obscurum, omnem cogitatorum seriem consideranti. Hoc dicit: si verum patimini vobis dici, si modo persuasum vobis ratumque habere velitis (libero enim ea de re vos uti decet iudicio**)), est Ioannes Elias ille proxime ante Messiae adventum exspectatus ***). Non re-

*) Hunc si tenueris loci nexum, minime opus est, ut ad transpositionem vv. 12. et 13. quam suasit *Anonym.* in HENKII Mag. II. 407. not. nullis adiutam Codicum suffragiis confugiamus.

**) Uti bene interpretatur CHRYSOSTOMUS l. c. *καὶ καλῶς εἶπεν· εἰ θέλετε δέξασθαι, τὸ ἀβίαστον δεικνύς. Οὐ γάρ ἀναγκάζω φησί. Τοῦτο δὲ ἔλεγεν, εὐγνώμονα ἀπαιτῶν διάνοιαν* etc.

***) Ita v. *δέχεσθαι* de his, qui benigne recipiunt magistrum eiusque doctrinam admittunt auscultantes legitur saepius. Cf. Mtth. 10, 14. 40. 41. 18, 5. Mc. 6, 11. 9, 37. 10, 15. Luc. 8, 13. *μετὰ χαρᾶς δέχονται τὸν λόγον.* 9, 5. 48. 18, 17. Io. 4, 45. Act. 8, 14. *ὅτι δέδεκται ἡ Σαμαρεία τὸν λόγον τοῦ θεοῦ.* 11, 1. *ἐδέξαντο τὸν λόγον θεοῦ.* 17, 11. *οἵτινες ἐδέξαντο τὸν λόγον.* 1. Cor. 2, 14. 2. Cor. 8, 17. 11, 4. 1. Thess. 1, 6. *δεξάμενοι τὸν λόγον.* 2, 13. *ἐδέξασθε οὐ λόγον.* 2. Thess. 2, 10. Iac. 1, 21. Fit hoc ad similitudinem hebraici לקח Prov. 2,

cte, opinor, in verbis: εἰ θέλετε etc. συγκαταβάσεως, quae Graecis patribus dicitur, formulam reperisse sibi visi sunt PAULUS in *Comm.* ad h. l. et SARTORIUS l. c. p. 131. hoc sensu: si ita vobis convenit existimare, si ab huius opinionis commento recedere nulli vultis, en Ioannem habetote Eliam, quem vos Messiae in has terras adventum praecessurum firmiter persuasum habetis. Nam Christum sprevisse hanc aetatis suae sententiam, nec nisi propter imbecille auditorum ingenium tulisse, ut in Ioanne B. pristina Eliae virtus resuscitata crederetur, non facile demonstrabit, qui tria haec maxima: orationis tenorem, linguae rationes, ceterorum temporum testimonia subtilius respexerit. Cf. Mtth. 16, 14. 17, 3. 4. 10—12. Mc. 6, 15. 8, 28. 9, 4. 5. 11—13. Luc. 1, 17. 9, 8. 19. 30. 33. Ioh. 1, 21. 25.*)

Iam si vere Eliae munere functus est Ioannes, quid inde consequatur, reputate vobiscum, nec, quis sit, qui post eum, divinis adiutus signis, prodiit, poteritis dubitare. Haec volunt verba v. 15. ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω, quo epiphonemate solet uti Christus (eumque sequutus auctor *Apocalypseos*), ubi in re *gravioris* momenti terminatur eius oratio, ad meditandum non minus, quam ad interrogandum auditores exhortaturus, ut

---

1. 4, 10. 24, 32. Iob. 22, 22. et לקח Prov. 4, 2. Deut. 32, 2. coll. Prov. 1, 5. 9, 9. 16, 21. 23. Ies. 29, 24. Huic geminus est usus verbi παραλαμβάνειν 1. Cor. 11, 23. 15, 1. 3. Gal. 1, 9. 12. Cf. KRUS. l. c.

*) Uberius exornarunt hoc dogma seriores Iudaeorum doctores. Cf. praeter ceteros PAULUS ad nostr. l. et LIGHTFOOT. in *Hor. hebr.* ad Mtth. 17, 10. SUICER. *thes. eccl.* I. 1318. Ex alio genere est locus Mtth. 22, 43. ubi Christus a pervulgata de Messiae origine sententia discedere videtur; de qua re deinceps dicendum.

bene vidit Chrysostomus l. c. qui: τοσαῦτα δὲ, inquit αἰνίγματα ἐτίθει διεγείρων αὐτοὺς εἰς ἐρώτησιν. —

Veniam dent lectores benigni, quod diutius, quam fas videatur multis, in h. l. enucleando sumus versati. At via nobis erat munienda, quidve ex ea, quam proposuimus, locum vexatum atque ambiguum explicandi ratione consequatur, perspicue tradendum. Haec igitur severissimo, sed *subtili* aequorum iudicum examini submittimus.

Ita caute quidem, satis tamen dilucide omnibus, qui attentis audiebant auribus, Messiani muneris a se suscepti gravitatem professum, temporibus hoc unice dedisse dicemus? Quasi talis *accommodationis* (quam vocant) ullum sit in oratione vestigium; quasi non queratur acerbe, fidem sibi, tot tantaque miracula patranti, denegari; quasi non disertis verbis dixerit, *advenisse* Messiam (ἦλθεν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, ἐσθίων καὶ πίνων etc. τελωνῶν φίλος καὶ ἁμαρτωλῶν. v. 19. quo posteriore enuntiato, qui negaverit, Christum ad se ipsum respicere, novi neminem); quasi non perspicue fassus fuerit, a se, patris coelorum familiarissimo, rerum divinarum scientiam animique tranquillitatem petendas esse, a v. 25 sq.

Alio tempore (17, 24—27.), cum de vectigali, in templi aerarium solvendo, interrogatus esset ab exactoribus Petrus, affirmassetque, se una cum magistro hoc boni civis officio defuncturum; occasionem arripuit Christus, ut se, dei filium, evidenti ratione ab hac sacra tributa pendendi necessitate eximendum esse perhiberet. Quae argumentatio quam sit a perspicua Messiani nominis professione exorsa, quis tandem tam excors est, ut negare possit? Hoc tamen testimonium coram uno de familiaribus editum est; non enim plures adstitisse dicuntur. Id autem tantum abest, ut

causam nostram minuat, ut egregie confirmet. Nam si plebis iudaicae causa Messianum nomen sustinebat Dominus, qui in eius interiorem familiaritatem adsciti fuerant, discipuli citius debebant in communionem secretorum consiliorum venire, paulatimque meliora edoceri, quam in vulgi opinionibus ultro confirmari.

Aliud argumentum, ex quo intelligentioribus pateat facile, quae fuerit mens consiliorumque ratio Christi, recte ducitur ex appellatione τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, *) quam et persaepe ad se referri voluit Dominus, et non ab interioris tantum admissionis discipulis, familiaribusque, sed item a plebe multa, ab adversariis acerrimis audiri.

Et primum hoc recte dixit Scholtenius, scriptor in hac causa diligentissimus, nec sobrio iudicio destitutus, at verbositate rerumque tritissima-

---

*) De formula τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, qua, suam personam indicans, frequenter Iesus sit usus, videndi sunt scriptores hi: Scholten. *Spec. herm. theol. de appellatione τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, qua Iesus se Messiam professus est.* Trai. ad Rhen. 1809. 8. Heumann. *Syll. diss.* I. 4. 488 sq. Gaillard. *Spec. quaestionum in novum instrumentum de filio hominis.* Lugd. Bat. 1684. 4. Messerschmidt. *Comm. phil. de sacra formula et dictione ὁ υἱός τοῦ ἀνθρώπου etc.* Viteb. 1739. 4. Less *Opusc.* II. diss. 6. Rullmann *de verbis ὁ υἱός τοῦ ἀνθρώπου.* Rint. 1785. 8. et in *Select. hist. philos. theol.* I. 271 sq. Bertholdt *Comm.* in Dan. 7, 13. 14. II. 463 sq. et in *Christol.* p. 34. 35. de Ammon. *theol. bibl.* I. 194 sq. Bauer. *Theol. bibl. N. T.* I. 45 sq. Schmidt. *Bibl. f. Krit. u. Exeg. d. N. T.* I. 583 sq. Schmidt. in Henkii *N. Mag.* II. 507 sq. Wetstenius, Grotius, Paulus, Michaelis, Kuinoelius, Fritzschius ad Matth. 8, 20. Lampius ad Io. 1, 52. 12, 34. Lueckius ad Io. 1, 52., denique Tholuckius ad Io. 1, 52. et 12, 34. Eichhornius ad Apoc. 1, 13. p. 45. Add. Surenhus. in βιβλ. καταλλαγῆς ad Io. 12, 34. p. 363. Eckermann *Beitr.* I. 1, 78.

rum copiosa expositione fastidiosus, *) vulgarem esse errorem, ex uno interprete ad alterum perlapsum, ut Iesus confidenter dicatur tanta delectatione captus huius dicendi formae, ut plus quam *octogies* in evangeliis ea usus esse reperiatur. Quae enuntiatio quo evidentiorem habet falsitatis speciem, eo magis mirandum, potuisse vel clarorum atque subtilium interpretum mentem decipere. **) Loca enim, in quibus *eadem* vox Christi a *pluribus* Evangelistis traditur, magna levitate *sigillatim* ita sunt recensita, ut *totidem* diversorum Iesu dictorum formulaeque usus in paucis frequentis testimonia exstarent. Novam profecto et admirandam multiplicandi exempla locorum *parallelorum* praesidio rationem! Quid quod, si vel loca unice respicias, in numero *octogenario* maiore offenditur, nec immerito sedulus interpres, Scholtenius, eumque ne satis quidem subtili computatione prodiisse demonstrat? (Haec, quae videntur minutam diligentiam probare, eo maiore sunt plausu excipienda, quod accurati sunt et profundioris studii, quale multum haec aetas reformidat.) Octogenarium enim numerum non superari, addita serie locorum omnium, in quibus h. formula apud Evangelistas deprehenditur, luculenter ostendit, discessitque iure suo ab iis pericopis, etsi *paucissimae* sint, in quibus non Christi, sed aliorum ore profertur. ***)

---

*) l. c. p. 49. 50. et p. 59 sq.

**) Hoc errarunt inter alios Gaiblardus, Michaelis, Heumannus, Lampius ad Io. 1, 52. Cf. Scholten. l. c. p. 59 sq.

***) Nos, quo maiorem rei fidem addamus, non abs re putavimus, seriem addere locorum, in quibus Iesus ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου dicitur, quoniam Scholtenii librum (cf. p. 61. 62.) in omnium esse manibus confidere non licet. Sunt haec: Mtth. 8, 20. 9, 6. 10, 23. 11, 19. 12, 8. 32. 40. 13, 37. 41. 16,

Et hoc sapienter monuit, hanc appellationem non eatenus familiarem fuisse Domino, prouti temere visum sit his, qui non proprio Marte in rem inquirentes, sed aliorum recoquentes iudicia, Iesum *tantum non semper* uti hac denominatione, mire ei grata, contenderint. Leges enim haud paucos, et longiores, et maxime memorabiles Iesu sermones, in quibus ne *semel* quidem hanc appellationem detegas. Alio ibi nec uno modo suam designavit personam. Huc refer, praeter *allegoricos* Ioannei evangelii sermones, orationem de monte habitam (Mtth. c. 5—7.), colloquium cum Samaritide muliere (Io. 4.), cum Martha atque Maria (Io. 11.), disceptationes cum Iudaeis, Hierosolymis festi paschalis tempore (Io. 5.), item tabernaculorum festo (Io. 7, 9. 10.) et templi instaurati (Io. 10.) agitatas; sermones denique extrema nocte ad familiares conversos (Io. 14—16.).

Nec, opinor, negabit quisquam, adfuisse Servatori opportunitatem, in his etiam causis eligendi, quod sibi potius visum esset; si ab omni parte verum esset, quod dictitant, non aliam ei aeque familiarem et dilectam sui appellationem fuisse.

---

13. 27. 28. 17, 9. 12. 22. 18, 11. 19. 28. 20, 18. 28. 24, 27. 30 (*bis*). 37. 39. 44. 25, 13. 31. 26, 2. 24 (*bis*). 45. 64. Mc. 2, 10. 28. 8, 31. 38. 9, 9. 12. 31. 10, 33. 45. 13, 26. 14, 21 (*bis*). 41. 62. Luc. 5, 24. 6, 5. 22. 7, 34. 9, 22. 26. 44. 56. 58. 11, 30. 12, 8. 10. 40. 17, 22. 24. 26. 30. 18, 8. 31. 19, 10. 21, 27. 36. 22, 22. 48. 69. 24, 7. (ubi *coelestis legati* verba referuntur) Ioh. 1, 52. 3, 13. 14. 6, 27. 53. 62. 8, 28. 12, 23. 34. (ubi *forsitan* Iesu vox a Iudaeis repetitur) 13, 31. Act. 7, 56. (ubi Stephanus loquitur.) — Hunc vero numerum, si a locis *parallelis* discedas, egregie imminui, et sponte intelligitur, et abunde docet tabula *synoptica* e diversis Evangelistis ad temporis rationes, quae Heringae, praeceptori eius, potiores sunt visae; a Scholtenio accurate concinnata.

Quid vero fuerit in causa, quod ab aliis *perraro* hoc nomine appelletur Christus, id dici *perspicue* nequit, nisi perfecta formulae explanatione. — Ita vero rem instituendam putavi, ut *primum*, quare pleraeque interpretationes, olim adamatae, ferri nequeant, ostendam; *deinde*, quaenam mihi tum e linguae usu, tum e connexae orationis rationibus potior videatur, aperiam.

1) Ducant agmen patres Graeci, quorum ad unum omnium eo redit sententia, ut formula τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου Christum se *hominem*, *humanae participem naturae*, *de homine natum* (*ortum e Maria*) insignivisse dictitent (ἐνανθρώπησιν, ἔνσαρκον οἰκονομίαν etc. vocant); ita quidem, ut in *oppositi* loco Domini *divinitas* et intima cum summo numine societas vitaeque consortium sint habenda *). Urgent (ut Epiphanius l. c.) vim singularem, quae sit in formula υἱῷ θεοῦ, si ex adverso posueris cum τῷ υἱῷ τοῦ ἀνθρώπου. — Quorum interpretum studia subtile illud et multorum tristissimis certaminibus agitatum discrimen humanam inter atque divinam optimi atque unici Servatoris naturam, textus simplicitati intulisse, non arbitror negaturum esse sobrium et cordatiorem interpretem. — Sed alia etiam obstant, quibus, vel hac missa dogmatica distinctione, vetamur simpliciorem *hominis* notionem in h. formula

---

*) Huc referendi sunt: Euseb. *H. E.* I. 2. s. fin, Epiphan. *adv. haer.* II. 1. (*Haer.* 57. 58.) Chrysost. *hom. in Ioh.* 27. (26.) *ad Ioh.* 3, 13. cl. *hom. in Io.* 39. (40.) et *hom.* 54. (55.) *in Mtth. ad c.* 16, 13. Theodoret. *Comm. in Dan.* 7, 13. Theophyl. *Comm. in Jo.* 6, 62. (qui *dubiam* sententiam pronuntiavit) *in ep. ad. Hebr.* 2, 7. *ad Luc.* 22, 48. ubi *filium Mariae* diserte transtulit.) Euthym. Zigaben. *in Mtth.* 16, 13. *in Io.* 3, 13. 5, 27. 28. quibuscum cf. *in Mtth.* 12, 32. 8, 20. 13, 37. — Cf. Scholten. l. c. p. 166 sq.

quaerere, etsi eam post renatas literas permulti praestantesque interpretes, *) recentiori nostraque aetate minime pauci **) retinuerint. — Quamvis enim e Hebraismo in vulgus noto ***) nemo dubitet *υἱὸν ἀνθρώπου* pro *ἄνθρωπον*, *τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων* pro *hominibus* poni, praesertim poetis; tamen hic usus ei, quam volunt, interpretationi stabiliendae minime consentaneus est. Nonne enim *ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου cum duplici articulo* graviorem habebit vim et profundiorem significatum? Aut quid aliud in causa esse censebimus, quod *ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου* (*uno* excepto loco Io. 5, 27.), non *υἱὸς ἀνθρώπου* scriptum sit? Praeterea, si hoc voluisset Dominus, quid, quaeso, non *simpliciore* usus est ratione? Neque hoc, hominem esse Christum, quisquam vel inimicorum, vel amicorum ignorabat dubitabatve. Nihil dixisset, quod ad genus insolens revocari posset. Quare non dixit se *ἄνθρωπον*, ut omnem vel malevolentiam vel stoliditatem audientium praeverteret? Iure etiam miramur, quod nec amici Iesu, nec adversarii hanc appellationem (si fuit ea *synonyma* nomini *τοῦ ἀνθρώπου*) Christo tribuerint, si ab *uno* Stephani exemplo Act. 7, 56. discedas (nam de ceteris, uti videbimus, potest ambigi); altero vero *τοῦ ἀνθρώπου* nomine frequenter fuerint usi. Imo secernuntur potestate sua *ἄνθρωπος* et *ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου*. Rem conficit, quod simplex *hominis*

*) Ut Zwinglius, Bucerus, Camerarius, Maldonatus aliique. V. eorum recensum ap. Scholten. p. 172.

**) Ut Schoettgenius, Olearius, S. Glassius, Eichhornius, Wetstenius, Michaelis, Eckermannus, Rosenmuellerus, Schmidtius, alii.

***) Quare minime necesse erat, quod Scholtenius rem et facillimam et notissimam cum summo lectorum taedio tanta tamque odiosa copia per omnes V. T. libros tot paginis doceret. p. 20—56.

appellatio nullo potest pacto inveniri in locis his: Mtth. 12, 32. c. 24. 25. 26, 64. Io. 3, 13. 12, 23. 13, 31. al. et cum negotiis, quae in iisdem τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου aut esse aut futura dicuntur. Ita igitur qui existimant interpretes, et sermonis accurati leges violant, et exsanguem atque ineptum sensum formulae inferunt, qui non emendari nobis videtur eo, quod alii addunt, *modestiae causa* ita Christum esse loquutum *). —

2) His geminum est eorum genus interpretum, qui *hominem aliquem*, *alium*, *illum*, *certum quendam*, hebr. אִישׁ, breviter: *pronomen indefinitum*, nostrorum hominum: *man*, *jemand*, *Einer*, *ein Anderer*, *ein Gewisser*, *Er*, *den ich euch nicht erst nennen darf* (c. emphasi) = ego, hac formula expressum sibi persuadent, qua ita usus fuerit Christus, ut, personarum enallage in omnibus linguis pervulgata, *modeste* se ipsum insigniverit, quasi alium. Id vero aliqua veri specie dictum fuisset, si et locis, de quibus agitur, haec ratio conveniret, et aliunde satis constaret, Servatorem optimum simplex verbulum ἐγὼ, quod tantis illi et tam acribus armis invadunt, cane et angue peius refugisse. Utrumque nulla poterit probabili ratione

*) Cf. Scholten l. c. p. 174 sq. Huc referendus est Boltenius ad Mtth. 5, 16. ad Mtth. 17, 12. et ad Mc. 2, 10. qui h. usum e syriaco idiomate non apte repetiit. Haec enim coniectura de versionibus Evangeliorum graecis, quae ansam dederint errorum, ex ignorantia Syriasmi ortorum, ut vel ἄνθρωπος vel ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου in locum pron. indef. sufficerentur, ob incerta, imo vana argumenta, cui superstructa est, cordatioribus non placebit. Ut ne dicam, excipiendum esse Lucam, quem Graece scripsisse Boltenius concedit. Scholten. p. 179. Prope ad eius sententiam accedit Paulus in *Comm.* ad Mtth. 8, 20. et huius vestigia presse sequitur Fritzschius in *Comm.* ad l. eund. ut alios non memorem.

doceri. Omnium minime vero debebant ad Ezechielis usum in voc. בֶּן אָדָם provocare, ut tertiam personam primae (s. pronomini) substitutam esse demonstrarent. Quae enim in eo libro frequentissima est, formula non prophetae loquenti de se tribuitur, sed aut deo, aut coelestibus legatis, in sermonem cum vate congressis *). Sed, ut ad id redeam, quod primo loco urgent, modestia quadam et nescio quo sensu decori ductum vitavisse Christum sui disertam appellationem, minime hoc vere atque accurate dicitur. Nam in oratione montana coram magna hominum vi verba faciens, adeo non detrectavit solemne illud atque disertum ἐγὼ, ut potius eo non sine gravitate et sapientissimo consilio usus esse reperiatur **). Neque alia loca frustra quaeres, per quae divinus doctor primae, uti vocant, personae pronomen et quidem varios eius casus liberrime advocavisse in sermonibus deprehendatur. Cf. Mtth. 14, 27. 8, 7. 10, 16. 12, 27. 28. 20, 22. (*bis*). 21, 27. 23, 34. 26, 39. 28, 20. Mc. 6, 50. 9, 25. 10, 38. 39. 11, 33. Luc. 8, 46. 10, 3. 11, 19. 20, 8. Io. 4, 14. 26. 32. 38. 5, 30. et al. multa. Locis vero, quae huc referri solent, tantum abest, ut h. explicatio sit consentanea, ut nihil noverim, quod candido lectori vel in prima versione possit magis exile, ieiunum, contortum, durum videri. Quod ne lectorum patientiae illusisse merito putemur, aut eorum acumini diffisi esse videamur, persequi

*) Cf. Ez. 2, 1. 3. 6. 8. 3, 1. 3. 4. 10. 17. 25. 4, 1. 6. 5, 1. etc. Recensum locorum habes ap. Scholten. p. 49. Recte hic addit, memoriam fefellisse Grotium, qui (ad Mtth. 8, 20.) *Zachariam* quoque huius dicendi formae exempla suppeditare contenderit.

**) Suam videlicet legumlationem divinitus condendam opponens obsoletae et perversissimae doctorum iudaicorum disciplinae.

nobis per loca singula non licet; sed quanta vis sermoni afferatur, quam inanis prodeat sententia, vel ex Io. 12, 34. Luc. 24, 7. Act. 7, 56. Mtth. 8, 20. 9, 6. 11, 18. 12, 18. 32. al. manifestum est. Imo haec omni specie veri carent. —

3) Vix est, quod ab his divellas eorum sententiam, qui formulam transferunt: *hic homo quem coram intuemini, ego qui vobis adsum.* Quanam enim necessitudine cum his, de quibus expositum est, contineatur, in aperto est *). In *art.* volunt esse vim demonstrandi singularem. Ita Hessius, Langius, alii. Quae formula quum Iesu fuerit in paucis familiaris, inde factum dicunt, quod cum eius *posterioribus temporibus* recordati fuerint apostoli rerumque evangelicarum scriptores, Iesu amici, emphasin in re suapte natura minime emphatica repererint, et in Danielitici oraculi, ex omnium sententia Messiani, similitudinem incidentes, meditatum consilium in hoc eligendo nomine, cuius sancte memoriam in monumentis servaverint, Christo non reveriti sint tribuere. Sed hi interpretes suis se implicant verbis **). Nam si *nulla emphasis* inest in ὁ υ. τ. ἀ. quo tandem iure verti iubent: *hic* homo? Nonne sic aliquid ἐμφάσεως inferunt, siquidem non *hominem quemlibet* ex formula arbitrantur designari? Duorum igitur articulorum suum esse ius concedent. — Contra rationem ipsam expediendi h. usum eadem valent argumenta, quae ad eam, quae praecessit, sententiam refellendam adduximus. Nobis enim neque necessaria videtur, neque facilis, neque ad idoneam locorum explanationem accommodata. Quod vero

*) Huc an rectius referas Pauli et Fritzschii verba ll. cc. dubitari posse videtur. Habent enim commune vinculum cum iis, quae sub n. 1. 2. leguntur.

**) Haec prae ceteris valent contra Paulum l. c.

pia (si ita vocari fas est) memoria deceptos rerum christianarum scriptores maiorem et augustiorem volunt formulae addidisse vim, quae a Christi mente aliena fuerit, id plane arbitrio sumtum est et ne a veri quidem similitudine commendatur, cum ne unum quidem huius rei male intellectae et in alium sensum post Christi obitum detorsae vestigium reperiatur. Imo offendet patronos huius sententiae, quod, quibus tantum inesse videbatur in hoc nomine dignitatis et quasi sanctitatis, fontem in Danielitico libro detexisse sibi visi, simplicitatemque Christi orationis amplificantes Messiae cultores nunquam posthac ad eam formulam redierunt. — Id quod apostolorum literae cuinam tandem non persuadebunt? —

4) Quarto loco *) ponantur omnes **), qui ad huius explanationem formulae addunt aliquid, quod *aliunde* est sumtum. Et in hoc quidem campo summam videre est sententiarum varietatem: quam exinde admirari licebit, quod eidem dicendi formae sensum prorsus *contrarium* inferre nulli dubitaverint. His brevius defungamur.

Et quidem plurimi antiquiores recentioresque interpretes hac se formula Christum designavisse suspicantur tanquam hominem *excellentissimum*, *optimum*, *perfectum*. Kuinoel. ad Mtth. 8, 20.

*) Quod ut uno quasi conspectu complectar, formido haec una magna movet, ne copiosius tractando sententias parum credibiles, minus igitur verosimiles, ne dicam absonas atque ineptas, lectorum cordatiorum iram excitem aut egregium taedium gignam. Is enim mos est interpretum multorum, ut res futiles ample refellendo augeant ineptiarum aeternae oblivioni dandarum numerum. Nemo enim tam stolide scripsisse sibi videbitur, quin *uberem* ad minimum refutationem adversariorum speret. Quo necesse est crescat audacia mediocrium scriptorum manebitque bonorum interpretum mira paucitas.

**) Cf. Scholten. p. 182 sqq.

Ille addit, idoneo consilio Christum subobscure esse loquutum, nolentem *palam* profiteri dignitatem Messianam. Cui adfinis est opinio, *animum* Domini *benignissimum*, ergaque homines *amantissimum* adumbrari. Quae explicatio uti Patribus acceptissima fuit, divinam Servatoris naturam huic locutioni oppositam existimantibus, ita iam supra refutari debebat. Est autem falsa, quippe optata, non inventa. Hoc tantum vere dicunt, duos articulos in: *ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου* non sine caussa esse additos. Cuiusmodi vero id sit, quod accedat, et ἔμφασιν formulae addat, id aliunde est efficiendum. Rationibus dogmaticis, non exegeticis ducti ad hanc *praestantiae* notionem venerunt, quae locis minime multis consentanea est. Iudicent periti! Nos ut uno exemplo defungamur, cum ad omnia, quae huius usus sunt, provocare ob rei amplitudinem non liceat, num Act. 7, 56. credibilius est, et reliquorum N. T. scriptorum doctrinae accommodatius, Iesum, a Stephano visum ἐν ἐκστάσει, adstetisse dexterae divinae *praestantissimum hominem* an *Messiam?*

Hos omnes, qui facili discrimine rei summam et tanquam arcem causae invenisse rati, *υἱὸν τοῦ θεοῦ* et *τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου vi oppositorum* valere praecipiunt, (male in auxilium vocantes apostoli vocem Phil. 2, 6 sq. e qua in scholis dogma de Christi exinanitione ductum est) refellet vel unus locus Luc. 22, 67—70., ubi Iesum atque *Iudaeos* utramque appellationem in eodem loco habuisse, nec quidquam *discriminis subtilioris* in ea suspicatos esse, sole meridiano clarius patet. *)

Verum quis non valde miretur et lubricam fateatur esse viam, quae ad formulae explanationem

*) Alternat praeterea cum nomine *filii dei* (Lampe ad Io. 1, 52.) in ll. his: Mtth. 16, 13. cl. v. 16. 26, 63. 64. Io. 3, 13. cl. 16. 17. 18.

per *etymologicas* rationes ducit, quod, ἐμφάσεως articulorum memores, *contrariam* potestatem *vilissimi, contemtissimi, infimo loco habiti* hominis extunderunt interpretes. *) Ad humilem depressamque suam in his terris conditionem credunt Dominum alludere. Eius similitudinem usus suppeditare sibi aiunt hebraicum בְּנֵי אָדָם v. c. ψ. 49, 3. cui oppositum existimant בְּנֵי אִישׁ. Sed non tantum ibi *prius* vertitur a LXX. per γηγενεῖς, *posterius* (!) per υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων; sed etiam universim (cum DE WETTIO in *Comm.* ad h. l.) negandum ac pernegandum, voc. אָדָם in hebraicis carminibus *miseriae deterrimaeque conditionis*, uti nec אִישׁ contraria *opulentiae atque nobilitatis* potestate pollere. Minime enim l. c. flagitat membrorum parallelismus sententiae huius cum sqq. (יַחַד עָשִׁיר וְאֶבְיוֹן) aequalitatem, neque maior necessitas ad has tales notiones confugiendi apparebit in ψ. 4, 3. 62, 10. quae vulgo ad hunc usum referuntur. Imo si quid tale mente supplendum, apparet ex adiunctis, ex disiunctis, s. ex iis universim, quae aliunde accesserunt, ex tota orationis conformatione. Inest nullo modo in *significatione.* — Ceterum ea formulae potestas male convenit cum Mtth. 13, 32. 20, 28. aliisque locis. Non eadem profecto ratio est hebr. בֶּן אָדָם, et ῥήσεως graecae: ὁ υἱός τοῦ ἀνθρώπου. Iesum in

*) Ita WETST. ad Mtth. 8, 20. GROT. ad eund. l. LAMPE ad Io. 1, 52. et alii multi. Imo WETSTENIUS atque LAMPIUS utramque notionem, et *pulcerrimi* et *vilissimi* miro modo in h. voce coaluisse arbitrantur. Tamen triumviri originem e V. T. recte viderunt. Ceterum Targ. ψ. 80, 18. quem affert WETST. l. c. ubi pro בן אדם transfertur מלכא משיחא, hoc tantum probat, Targumistam Messiam reperisse.

proponenda hac locutione respexisse ad Il. his temporibus in Messianis habita: Ies. 53, 3. ψ. 22, 7. plane incertum est. — Praeterea iure cum Schoettenio *) quaeras, quare nemo eorum, qui abiecte de optimo Servatore sentiebant, hoc in eum convitium congessisse deprehendatur? Dictis autem Iesu, in quibus de excelsa conditione sua, de reditu splendidissimo, de regno stabiliendo sermonem instituit, h. minime convenit notio. — Cf. inter al. Io. 3, 13. 1, 52. Act. 7, 56.

His multo ineptius, imo absonum videtur eorum commentum, qui *filium Adami, alterum Adamum generisque humani restitutorem* intellectum volunt, male conferentes Rom. 5, 14—19. 1. Cor. 15, 45. Num enim, obsecro, fas est e Paulinis sententiis, quarum serior fuit origo et auctoritas, Christi voces authenticas explicare? Et quidem, invito loquendi usu, invita oratione connexa, cum eorum, qui simplicitatem rectumque sensum interpretationis amant, fastidio? — Nam, ut de *priore* dicam, Adamum τὸν ἄνθρωπον simpliciter dictum fuisse, et τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου = Adami filium sensu praegnanti atque emphatico, neque per se probabile est, neque constat e libris nostris. Imo, ubicunque primi hominis mentio fit in N. T., 'Αδὰμ eius nomen flectitur. Cf. Luc. 3, 38. Rom. 5, 14. 1. Cor. 15, 22. 45. 1. Tim. 2, 13. 14. Iud. v. 14. Voc. הָאָדָם quod non nego in commentariis Mosaicis primitus *appellativam vim* (*der Mensch* sc. *der damals einzige*) obtinuisse, in *proprii nominis* usum atque auctoritatem mutatum est inter Iudaeos et Aramaice loquentes et Graece scribentes. Quare, si hoc voluisset Christus, quid tandem impedimenti erat, quo minus se υἱὸν τοῦ 'Αδὰμ (Luc. 3, 38.) appellaret? Et si hoc maxime fecisset,

*) p. 194.

quonam tamen tu iure contendas, hanc unam suffecisse formulam, ut quanta esset praerogativa Christi prae ceteris mortalibus, qui eodem iure viderentur *υἱοὶ τοῦ* 'Αδὰμ appellari posse, *dilucide* perspiceretur ab audientibus? Nulla addita explanatione, qua Adami alterius negotium, officium, dignitas patesceret? Nisi reconditam, nescio quam vim sponte dicas tribuisse auditores voci, quae ut esset suapte natura tritissima, ita intellectu facillima.

Verbo monendum, ne defuisse quidem *), qui veram, si diis placet, vim formulae exquirentes, *τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου* de *Mariae* s. *Hevae* filio prolatum esse dicerent. Quo profecto nescio, an quidquam aliud magis sit per oscitationem dictum. Quis demonstrabit, ex usu loquendi N. T. et contexta oratione *τὸν ἄνθρωπον nude* positum notionem *παρθένου*, *γυναικὸς*, Εὔας, Μαρίας continere? —

5) Relicta *etymologica* via, quae tot commenta progenuit, tot *arbitrariarum* (liceat verbo barbaro rei summam complecti) interpretationum foecunda mater fuit, unice probanda est *historica* ratio, in formulae *originem* inquirendi veramque eius *potestatem* explicandi. Eam rationem fatendum est amplexos esse nostrae aetatis cordatiores interpretes plerosque, ita tamen ut, quid verum sit et primarium in h. causa, perspicientes, de suo plus minusve adderent, quod rei uberius declarandae inserviturum esse crederent, et tamen abhorreret a vero. Fontem appellationis viderunt esse oraculum, haud dubie Messianum Dan. 7, 13. 14., in quo Messiae, de coelesti nube in has terras ad *aeterni regni* initia condenda adventus describitur, et figura adumbratur, quae ad humanae formae li-

*) Schleusnerus al. V. Scholten. 163 sq.

neamenta prope accedit, כְּבַר אֱנָשׁ. Haec eo, quo Christus prodiit, tempore multorum in ore atque deliciis fuisse videtur vaticinatio. Iisdemque aetatibus, credibile est, scholas invasisse iudaicas cupidinem, ex oraculis ad genus Messianum pertinentibus solerter ea deligendi; quibus Epitheta viri desideratissimi augeri, eiusque origines, adventus, fata variis modis sensibus et quasi oculis obiici possent. Parum igitur curata et nexus veri leges et sensus locorum historicus. Idem obtigit Danielitico, de quo agimus, loco. Quod *comparationi* fuerat aptissimum, id mala arte in *Epitheton perpetuum* e scholis ad plebem abiit. Nam nec huic aut insolita aut difficilis visa est formula. *Quo tempore* ea, et *quonam facti auctore* in communem fuerit de re Messiana loquendi usum recepta, id, deficientibus vetustis testimoniis, nequit sine audacia pronuntiari. Ita mihi nulla neque emphasis, neque ambiguitas videtur adesse. Neque alia, nescio quae *spiritalis*, notio adiungi solebat. *) Eadem est ratio et similis e connexa oratione origo in v. צֶמַח, quod quasi privum erat sospitatoris futuri. Cf. Ies. 4, 2. Ier. 23, 5. 33, 15. Zach. 3, 8. 6, 12. et Ioanneum ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ, cuius forsitan sedes fuit Ies. 53, 7. et sim. (cl. Act. 8, 32.) —

Haec quidem formulae explanandae ratio uti cum locis, quae ad hoc genus referuntur, omnibus convenit egregie; ita et facilitate ceteris est commendabilior indeque, credo, probabilitate magna placebit, quoniam in his locis, in quibus reditus sui mentionem vel uberiorem vel breviorem fecit Dominus, inest multa cum Daniel̄iticis oraculis

*) A qua ratione tamen ne nostri quidem itemque praestantissimi interpretes plane abstinent, uti Lueckius et Tholuckius ad Io. 1, 52.

similitudo. Quam profecto nemo contendet esse fortuitam. *)

Superest, ut ea loca considerentur, in quibus non a *Iesu*, sed *ab aliis* nomen τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου obvium est. Quorum fateamur perexiguum esse numerum **). Unus est Io. 12, 34. e Iudaeorum in Christum oratione, qui cum mirati essent Iesu de exaltatione Messiae v. sui ipsius per obitum vocem, de *aeternitate* rei Messianae persuasi, in h. verba erumpunt: τίς ἐστιν οὗτος ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, qualis tandem est, quem tu informas, Messias singularis? Hanc si tenueris seriem colloquii, non necessarium est putare ***), Christi orationem a Ioanne in brevius contractam nobis exhiberi, id quod propterea visum est, quod formae τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, quam regessisse narrantur Iudaei, nullus est in antecedente Christi oratione locus. Imo commodius inde concludas, et Iudaeis notam fuisse hanc Messiae appellationem, eamque cum ὁ Χριστὸς (v. eod.) permutatam fuisse †). — Alter est locus Luc. 24, 7. in quo coelestes legati verba *Christi* repetunt. Hic verius ad prius genus refertur. — Tertius, quem rectius dixeris *principem*, est Act. 7, 56. in quo Stephanus protomartyr ἐν ἐκστάσει dicitur adspexisse Iesum,

*) Apocalypseos auctor *apertis verbis* repetiit visionem Danieliticam. 1, 13. 14. 14, 14.

**) Sed non satis accurate Luenckius ad Io. 1, 52. et Fritzschius ad Mtth. 8, 20. *unum* dicunt esse locum huius generis.

***) Cum Lampio et Tholuckio ad h. l.

†) Synonymas habet appellationes τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου atque Χριστοῦ et Tittmannus *Melet. ss.* ad h. l. Ceterum, quod *ante omnia* tenendum, in ipso Danielis l., unde sumtum nomen τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου (7, 13. 14.), de *aeterno* Messiae regno sermo est. *Eo aegrius* tulerunt Iudaei mentionem *mortis* Messiae. Cf. etiam Dan. 2, 44.

τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, dexterae divinae adstantem. —

Causam vero si quaeras, ob quam *ab aliis* tam raro usurpata reperiatur haec formula, et in Christum translata, ut plane desideretur in apostolorum scriptis, vix poterit *certa* proferri. Quae mihi vero videntur similiora, apponam, non pro indubitatis ea venditaturus, non de tripode dicturus, nec aegre laturus, si ab alio, argumentis *exegeticis* atque *historicis* uso, meliora edoctus fuero. Fuerat h. formula e Daniele recepta *), ita tamen, ut, etsi e schola satis esset familiaris plebi et vitae, tamen remaneret aliqua memoria sensus *literalis*, qui in oraculo inesset. Inprimis autem hoc Epitheton Christo videbatur idoneum ad suam *in his terris* provinciam Messianam designandam. Politicas vero rationes praevaluisse, sive e modestia quadam hunc delectum fluxisse, non dixerim. Nam nec populus nec optimates ignorabant, Messiam sub h. latere formula, nec, cum in extremo vitae periculo Messianum nomen suum disertis verbis iussus esset coram Pontifice profiteri, alia putavit voce esse utendum. Sibi in deliciis erat, bene cognita ab aequalibus, in numerum Epithetorum a studiosis Iudaeis studiose relata. Et *brevitatis* etiam quaedam ratio fuisse videtur. Iesu vero amicis, quibus intime persuasum esset de Christi ad dextram *divinam* sublati infinita gloria *coelestique* maiestate nunc, nec satis aptum visum est h. τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου nomen, nec pro tam *excelso*, in quo nunc constitutus erat Dominus, loco satis honorifi-

*) Hanc formulae originem perspexerunt praeter iudaicos Danielis interpretes R. Gaonem aliosque, triumviri, quos dixi, Wetstenius, Grotius, Lampius, et recentiorum interpretum ingens vis: Stahlius (Eichhorn. *Bibl.* VI. 687.), Kuinoelius, Lueckius, Tholuckius aliique.

rum *). Ergo abstinendum eo penitus iudicaverunt, et appellatio τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ unice eius locum occupavit. (Sed ne in Evangeliis quidem τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ appellationem non satis esse frequentem, in vulgus notum.)

Vulgo obvium est ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. Quorum articulorum suam esse vim, non est dubitandum. Denotatur enim *is*, *quem omnes norunt*, *qui omnium ore fertur*, (sensu eximio ita vocatus) *filius hominis*, *Danieliticus*, = Messias. Tamen *unus* **) his repugnat locus Io. 5, 27. in quo omnium consensione Codd. legitur υἱὸς ἀνθρώπου. De *Messia* tamen haec esse explicanda, neque vv. ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστὶν cum sq. enuntiato consocianda, ut sit = ἄνθρωπος (quae distinctio a Ioannea simplicitate connexaque oratione alienissima est), plurimi sensere interpretes. Et qui vulgatam interpunctionem retinent, vertentes υἱὸν ἀνθρώπου per ἄνθρωπον, non minus falluntur. Nam non eam ob causam iudicium sibi a Deo traditum dixit Iesus, quod sit hominum unus, sed quod *Messias* sit, cuius haec plane est propria provincia. Si *hominem* esse sufficeret, omnes mortales (id quod sapienter Chrysostomus monuit, alterius tamen, quam dixi, explanationis patronus et anomaliae huius severior iudex) eadem essent iudicandi praerogativa instructi ***). Nec, quae Paulus apostolus et scriptor ep. ad Hebraeos de humana Christi natura, operis Messiani causa assumta, tradunt,

---

*) Simile quid suspicatus est Lampius l. c. quem nonnulli sequuti videntur. Argumenta tamen non *enucleate* et *distincte* attulerunt.

**) Perperam igitur Fritzschius ad Mtth. 8, 20. dixit, *nonnunquam*, *ut* Ioh. 5, 27. υἱὸν ἀνθρώπου sine articulo hoc significatu occurrere.

***) Plura v. ap. Scholten. l. c. p. 14 sq.

imo philosophantur copiosius, Christo apud Ioannem *temere* tribui possunt. —

Itaque, si dicendum est ingenue, quod sentiam *), arbitror, h. uno loco quadam sermonis incuria υἱὸν ἀνθρώπου pro τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου irrepsisse. Quod in locutione et gravi et frequenti usu in Iesu sermonibus celebrata vix putaverim aegre ferendum esse. Certa alia rem enodandi ratio facilior nunc non adest. —

Quae si recte disputata sunt, sequitur, doctorem divinum, populares inter cupidissimos rerum novarum splendidiorisque rei publicae conformationis appetentissimos prodeuntem, neque *verbis*, neque *factis* respuisse augusti nominis Messiani professionem. Verum tamen sapientissime quod dandum erat et temporibus et ingeniis, dedit; nec *temere* dignitatem iactans, plurimis quidem ob mentis imbecillitatem insanasque cupiditates facile exitiosam futuram, et indefesso honestissimoque studio id agens, ut quid *sibi* primarium videretur in tam excelso munere recte tuendo, *sensim* perspicerent cordatiores. Non enim prosunt omnibus omnia; multaque opus est arte, cautione, sudore multo, ut ad id, quod verum est atque bonum, pervidendum, erigatur plebis natura, non tam tarda, quam opinionum falsarum accessione foede corrupta. Doctorum vero hominum ea indoles

*) Similis est vox Luecкii (ad Io. 1, 52.) qui discrimen inter τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου et υἱὸν ἀνθρώπου inane et spinosum putat. Atque eodem inclinat mens Fritzschii, l. c. comparari iubentis τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ et υἱὸν τοῦ θεοῦ et frequentissimum insignemve formulae usum in causa fuisse dicentis, quod articulus subinde omissus sit; quamvis ille, Pauli insistens vestigiis, a *vero* sensu et originis vocabulorum *recta* inventione aberravisse videatur, uti supra demonstravimus.

fuit, et etiamnunc est, ut in *voluntate* magis imperandique cupidine, quam in veri rectique ignorantia fons animorum perversitatis sit quaerendus et obstruendus. Qui labor omnium difficillimus et ingratissimus, imo suapte natura vanus ne summo quidem doctori prospere cessit.

Cuius rei funestum exemplum exstat in l. Matth. 12, 28. cl. Luc. 11, 20. qui item ad id, de quo quaerimus, Christi consilium maxime pertinet. Gravissimis verbis castigat Dominus stoliditate admirabilem Pharisaeorum malignitatem, daemonum expulsionem, a se perfectam, auctori Satanae, malorum geniorum principi, tribuentium. Videant, quid dicant: Diabolum suam ipsum dominationem discordia destruere, adversus ministrorum famulitiique machinationes temere militantem. Quod si existimari, nisi perabsurde, non possit, alterum reliquum esse, ut spiritus *divini* adiumento malas naturas corporibus excutiat. Hoc *posterius* enuntiatum ita effert: *εἰ δὲ ἐν πνεύματι θεοῦ ἐγὼ ἐκβάλλω τὰ δαιμόνια, ἄρα ἔφθασεν ἐφ' ὑμᾶς ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ.*

Inde hoc patet, sumsisse Christum, sumsisse adstantes Iudaeos (his enim nulla explicatio additur), largam spiritus divini effusionem, in debellanda ope Satanica efficacem, Messiae adventui fore adiunctam *). Iam vero miraculosas sanationes suas deum auctorem habere cum nemo nisi per invidiam prorsus insanam negare posset, nonne iure dicere poterat: *ἔφθασεν ἐφ' ὑμᾶς ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ*, opinione vestra, qui exspectatis Messiam, citius regnum divinum venit **), — adsum ego Messias.

---

*) Bertholdt. Christol. p. 149.

**) Ita enim explica *ἔφθασε* cum Er. Schmidio et Fritzschio ad h. l.

Hoc prudente modo et *aperte* et *tecte* regem se theocraticum significavit.

Similiter apud Luc. 17, 20. 21. in oratione ad Pharisaeos, tempus adventantis Messiae diligenter exquirentes, conversa respondisse nobis videtur Christus: *adesse* inter populares hoc regnum, sed *praesentem* Messiam a nemine observari. Incredulorum enim Iudaeorum ex his, quas dixi, causis *longe maxima* pars fuit. Tarditatem igitur et socordiam auditorum rerumque gestarum spectatorum increpat. Sed quoniam h. explanatio alio loco (uti supra est dictum) argumentis suis a nobis est stabilita, acta agere nunc non placet.

Nec alienum ab hac causa existimabitur, subiecisse pauca de ll. Mtth. 22, 41 sq. Mc. 12, 35 sq. Luc. 20, 41 sq., in quibus Christus pervulgatam popularium, doctorum inprimis iudaicorum, de Messiae natalibus Davidicis opinionem correxisse videtur. Quis enim non fatebitur, talia arctissimo cum professione nominis Messiani vinculo contineri? —

Interrogationum laqueis petitus et a Sadducaeorum, et a Pharisaeorum catervis, quarum magnifice impetum stolidasque artes fregerat*), converso

*) Minime equidem sum nescius, nonnullis criticis parum probabilem videri hanc *seriem* narrationum, a c. 21. Matthaei, de refutata a Christo *multis*, imo pro temporum angustiis *nimis multis* modis adversariorum malignitate, Matthaeumque chronologiae parum memorem atque amantem *more suo* ad *argumenti similitudinem* coacervavisse, quae essent *dissimilium temporum ac locorum*. Sed fatendum est, *interna* confusionis argumenta in his pericopis non satis valida adesse, alterum alteri vinculo satis facili (vel *dierum* mentione facta cf. Mtth. 21, 18. cl. 23. 22, 15. 23. 34. 41.) adnecti; *externa* plane deesse, si ab uno l. Mtth. 21, 12 sq. (cl. Mc. 11, 15 sq. Luc. 19, 45 sq.) discedas, in quo potior nobis *Ioannis* (2, 14 sq.) auctoritas semper visa est.

ad Pharisaeos sermone, cuiusnam filius ipsis videatur Messias, quaerit. Illi: Davidis, inquiunt. Quibus ita respondit, ut e sacris literis demonstret, errare, qui ita existiment e carmine (Ps. 110, 1. quo e communi aetatis opinione celebravit Messiam Davides, divino spiritu afflatus ἐν πνεύματι v. 43.). Messiam ibi a Davide appellari Dominum sedemque ei, hostium inter debellationem, ad dextram divinam adsignari. Non posse autem filium s. posterum a patre s. proavo dici Dominum. Cuius vehementia dicti adeo perculsi traduntur Pharisaeorum animi, ut cito obmutuerit lingua neque ultra captiosis quaestiunculis tentare sint ausi eum, qui subtilitate multum vincebat perversa ingenia.

Iam de consilio huius Christi sermonis mirifice disputatum video. Quid ego sentiam, breviter simpliciterque dicam, nexum unice tenens et linguae usum, alias aliorum opiniones ut penitius cognoscant, lectorum otio relinquens.

I. Brevior est Christi oratio, quam ut exinde de eius mente *certo* iudicari possit. Hoc quidem

(*Bis* enim templo eiectos fuisse numularios ac mercatores, uti nupere repetiit Tholuckius, si ad *exegeticum sensum*, deficientibus in utramque partem argumentis, confugere licet, persuadere nobis non possumus. Meliora, quae coniectando tentem, nunc non habeo, et paene despero me habiturum, quam qualia leguntur apud Lueckium in *Comm. ad h. l.*) *Marci* atque *Lucae* consensui in hoc servando ordine nihil tribuo, si quidem *Matthaei* pedissequi videntur hodie quam plurimis, neque memoro *communem traditionem evangelicam*, rem altioris indaginis. Ceterum ad assequendum *consilium* oratiunculae, de qua nunc agimus, has quaestiones non maximi ponderis esse dixerim. — [Ne quis me Luc. 7, 36 sq. sicco pede transivisse criminetur, de quo, an *idem* sit factum, quod refertur Mtth. 26, 6 sq. Mc. 14, 3 sq. Io. 12, 1 sq. disceptatur, moneo, vel post Schleiermacheri acumen dubium *manere* iudicium.]

in aperto est, disputare eum *e concessis*. Sumit de Davide agere, imo a Davide confectum esse carmen. Sed Messiam recte inveniri, Davidis progeniem in loco, in quo inveniebant omnes, negat. Causa nunc, opinor, non omnibus sufficiet, poterat enim maior patre filius, rex summus, et a patre dici Dominus; verum, his quibus dixerat, suffecit, ut errasse se in sacrorum librorum interpretatione intelligerent (μὴ εἰδότες τὰς γραφὰς v. 29.).

II. Christum *omnino* et *universim* improbasse vulgarem de Messiae Davidica origine sententiam, ex eius verbis colligi nequit. Nec, quam in partem interpretatus fuerit Psalmum, quem excitaverat, ad liquidum poterit perduci. Quid *non* insit in v. 1. dicit argumento, quod erat κατ' ἄνθρωπον firmissimum. Quid *vere* insit, non addit. *Temporis* eum offensum fuisse diversis rationibus, propterve causas *historico-criticas* (quas haec aetas appellat) ineptam sibi visam communem ἐξήγησιν, id quidem e textus *simplicitate* nisi multis artibus extundi non poterit *). — Sed hoc dandum, illustre hoc exemplum posuisse Evangelistas, ut falsam subtilitatem coniunctosque Pharisaeorum Sadducaeorumque impetus a doctore optimo maiori sa-

*) Quare non possum assentiri his, quae e docta PAULI ad h. l. disputatione consequi videntur, carminis auctorem negatum esse a Christo Davidem, hoc inprimis urgente, non posse eum Davidis *posterum* esse, qui *Davidis aetate* ad dexteram divinam Dominus beato otio hostium caedem adspectans assidere iubeatur. Nituntur enim haec omnia, eruditione atque acumine splendentia, interpretatione artificiosa, imo contorta. Boni autem interpretis est, non ultra textus verba sapere velle, omnibusque advocatis praesidiis historicis, fines, quibus se continere debeat critica ars, *dilucide* indicare; coniecturas vero, quae coniecturis nituntur, vel missas facere, vel pro coniecturis dare. —

gacitate devincta esse ostenderent, populum *lubenter* (Mc. 12, 37.) adstetisse veriora tradenti, aculeumque orationis, qui valeret contra αὐτὸς ἔφα doctorum, in audientium fuisse relictum animis.

Superest, ut post orationes de insigni Iesu atque luculento *facto* dicamus, quo et nobis *abunde* et *palam* declaravisse visus est, esse se regem theocraticum, a popularibus avide exspectatum; *solemnem* dico doctoris optimi *introitum* extremo, quod in his terris egit, paschatis festo *). De quo non uno plane modo tradunt Evangelistae Mtth. 21, 1 sq. Mc. 11, 1 sq. Luc. 19, 29 sq. cl. Io. 12, 12 sq. Summa rei ad haec redit.

Hierichunte (cf. Mtth. 20, 29.) Bethaniam profectus (quo in loco, quindecim stadiorum intervallo distante ab Hierosolymis e *Ioannis* testimonio Lazarum ingenti miraculo e mortuis in vitam revocavit, cuius rei inauditae fama latissime celebrata est, numerumque sectatorum Christi mirifice auxit Io. 12, 9—11. 17—19.), inde iter in urbem capitalem parat. Cum appropinquasset Bethphagen vicum versus montem olivarum, missis aliquot discipulis, postulat ab incolis, sibi familiaribus, asininum pullum, quo vectatus Hierosoly-

*) Posteaquam ignea tela Bahrdtii *et auctoris fragmentorum Guelpherbytanorum*, contra Iesu integritatem consiliorum, ex hac narratione pessime desumta, idoneorum interpretum, textus simplicitatem, historicam probabilitatem, phychologiae leges egregie tuentium et placidis et acrioribus studiis penitus refrixere; Iliada post Homerum scriberet, qui veritatis historicae vindicem cupidius ageret. Satis sit ablegavisse lectores ad Reinhard. *Plan Jesu.* p. 150—160. Harras. in Eichhorn. *Bibl.* X. p. 189—242. (quem hominem quam cuperem parciorem verborum, subtiliorem ingenio!) Kaiser. *bibl. Theol.* I. 249 sq. Bauer. *bibl. Theol. d. N. T.* I. 70 s. [.. Grotium, Paulum, Kuinoelium, Fritzschium in *Comm.* ad h. l.

mas ingrediatur. Conceditur. Adscendit animal pacificum minimeque ignobile *) Iesus, stratis discipulorum vestibus quasi ephippiis, ut commodius sederet. Comitantur magna discipulorum vis, mire factorum testes, vestimenta consternentes, desectis arborum ramis viam ornantes **), Messiae, regi summo, io triumphe! altissimis vocibus acclamantes, festa carmina canentes, (cf. ψ. 118, 25. 26.) deo pro tanto beneficio grates agentes. Accedunt alii, ex urbe effusi, vel in itinere comites se adiungentes (et pedites, et, uti credi non ineptum est, asinis camelisve invecti ***)), crescit eundo turba, easdem voces itentidem repetens! Ita magna pompa urbem templumque intravit Dominus. Nonnulli de Pharisaeis (quorum ante convenerat consilium in Iesu capiendo interimendoque Io. 11, 47—57, sed desperabant fere animi cf. 12, 19.), rumpentes odio atque invidia, immiscent se turbae (Luc. 19, 39.) hortanturque Iesum, ut silentium imponat discipulis. Quibus ille, si hi tacent, ait, lapides clamabunt. Decantant eadem in templi aedibus pueri, sacerdotibusque et Pharisaeis

---

*) *De antiqua asinorum honestate* vix opus erat, ut perdoctam diatriben scriberet immortalis GESNERUS; res enim vel ex Aiace Homerico et Isaschare Mosaico notissima. Cf. et 1. Regg. 1, 38. — Ceterum et Rabbini perhibent Messiam asino equitaturum, centum maculis insignito, pulcerrimo, et quidem (miram subtilitatem!) eodem, quo olim Abrahamus, ad immolandum filium iter suscipiens (Gen. 22, 3.), et Moses, in Aegyptum profectus (Ex. 4, 20.) fuerint usi. Cf. LIGHTFOOT. et SCHOETTGEN. ad h. l. Meminisse et hic iuvabit, Messiam subinde vocari a doctoribus iudaicis *alterum Mosen*. Equus erat *belli* symbolum, et *bellantium* iumentum. Hos. 14, 4. Prov. 21, 31. Ier. 17, 25.

**) Multis docuit WETSTEN. ad h. l. hoc modo autiquitus reges a gratulantibus exceptos fuisse. Cf. 1. Macc. 13, 51. 2. Macc. 10, 7. 2. Regg. 9, 13.

***) Quae est PAULI coniectura l. c.

aegerrime ferentibus et increpantibus Iesum, ita ille *approbat* ovantium voces, ut Psalmi epiphonema suum faciat: „ex ore impuberum parabo mihi laudem." Reliqua huius loci non sunt. —

Hoc Christi facinus saepe offendit multos, talia quaerentes: nonne ita *politicum* regem se fassus est? nonne dominationem plebis, templi, urbis affectavisse dicendus? Alii, qui penitius aliunde noverant Christi ingenium, subtilitatis amantes, tamen professi sunt, se, *qua* tandem *mente* hoc fecerit, ancipites haerere. Quibus omnibus ita breviter respondere liceat.

I. *Quo consilio* ductus hac regali fere pompa Hierosolymas ingressus sit Christus, *disertis verbis* ipse non dixit. Possis igitur iure tuo conciso illo „non liquet" defungi. Sed *divinare* veram causam e *nexu historico* facile licet. E narrationis indole intelligitur, *nihil praeparati*, *nihil meditati*, *nihil artificiosi* huic rei a Christo gestae subesse. Vel de via fessus, ut sublevaret corpus *), vel ne videretur ullo modo pedes lucem et adspectum populi fugere, impetusque et insidias adversariorum extimescere **), vel denique, quod ita esset moris inter viatores nobiliores, in viis frequentibus, vel etiam, id quod nobis unice verum videtur, *ob has omnes causas coniunctas*, asinum adscendit, et, ovante populo, in urbem est ingressus. Sciebat, insidias sibi strui, necem parari. (Io 12, 54. 57.) Sed, quod est altissimorum animorum, gratulantes popularium voces non respuit, de Messiana di-

*) Ita Bauerus l. c. p. 75. censuit, quae sententia profecto non evertitur Pauli observatione, deorsum vasisse Christum satisque iter pediti fuisse expeditum (Luc. 19, 37. πρὸς τῇ καταβάσει τοῦ ὄρους τῶν ἐλαιῶν). His enim iumentis utuntur Orientales non tantum in locis deviis et difficilibus.

**) Pauli sententia.

gnitate sua ita persuasus, ut iustos honores sibi tributos aequo animo reciperet. Ita igitur, quod ante *privatim* audierat, *caute*que enuntiari iusserat, quod praematuris rumoribus propagari aegre tulerat, ne mortem pro communi bono sustinendam contra ius fasque accelerarot, nunc, cum secum constituisset pro Messiano instituto vitam potius profundere, quam a se suoque munere deficere resque coelestes negligere, neminem celare volebat.

II. Verum longissime abfuisse eum a *politicis*, quae vocant, consiliis, etiamsi minus dilucide perspiceretur e singulis doctrinae de regno divino partibus (de quibus infra dicendum); luculenter intelligeretur ex his, quae solemnem introitum excipiunt, Christi dictis atque factis. Pergit in templum, refellit adversarios, populo res divinas proponit, sanat aegrotos. Nihil curat auram popularem, non persequitur regios honores, non auget congregatque sectatorum catervas, non invadit templum, non urbem. Opportunitate tumultus excitandi inter festorum dierum exteraeque plebis praesentiam nullus utitur. Nihil metuunt Romani, nihil perturbatur suspiciosissimus (cf. Ioseph. *Antt.* 18. 3. 2. cl. Luc. 13, 1.) Pilati animus *). Interdiu in templi aedibus doctoris munere perfungitur. Nocturno tempore redit Bethaniam, *propriae* timens securituti, non *alienae* infensus.

III. Ita res evenit, ut dicamus brevissime, non *invito* Iesu, sed *inopinato*. Rem eum industriose instituisse, ut eventu comprobaretur oraculum, a Iudaeis nunquam non in Messianis habitum Zach. 9, 9. cl. Ies. 62, 11. (ex *utroque* enim conflatum est), id neque *authentica* Domini voce confirmatur, nec *per se* spectatum ullo modo est probabile.

*) V. Reinhard. l. c. p. 156 sq.

Causam veram supra adiecimus. Memoratu autem est dignissimum, hunc nexum rei a Christo gestae cum V. T. oraculis, Messiam canentibus, plane ignorari a *Marco* atque *Luca*. Et hic quidem rem exinde etiam paulo aliter informare videtur, quod non vulgum, sed *discipulos* (ἅπαν τὸ πλῆθος τῶν μαθητῶν v. 37. cl. v. 39. ἐπιτίμησον τοῖς μαθηταῖς σου.) triumphales voces edidisse scribit. Memorant haec duo αὐτόπται *Matthaeus* et *Ioannes*. Sed horum etiam diversa est ratio. Nam *Ioannes* simpliciter tradit, Iesum, invento pullo asinino, in eo consedisse, καθώς ἐστι γεγραμμένον etc. Sed is idem ingenue et apertis verbis addit (12, 16.), discipulis sub hoc tempore pompae Christi sublimius consilium ignotum fuisse, eosque post decessum magistri (ὅτε ἐδοξάσθη) nexum rei gestae cum vetere oraculo perspexisse. Ergo quis credat, hoc argumentum a Christo discipulis explanatum fuisse? Imo *ex eventu* in h. interpretationem deducti apostoli suo iudicio. — Et *Matthaeum* inprimis summa suspicio est, male intellecta versione Alexandrina Zach. 9, 9. *), rem gestam aliquantum vaticinio accommodavisse, ut esset aptior praedictioni eventus, si quidem haec talia in historiis Messiae agi debuisse, e lectione prophetarum firmissime persuasum habebat.

*) Hoc dico, quod *unus* habet Matthaeus, duos asinos, matrem cum pullo a Christo fuisse quaesitos v. 2. dimissos usuique adhibitos. v. 7. Haud dubie Iesus e sententia scriptoris utroque asino *alternis vicibus* vectus est. Id quod statui potest, etiamsi v. 7. in fine ἐπεκάθισεν ἐπάνω αὐτῶν non de iumentis (quibus profecto insedisse *eodem tempore* utrisque non dici poterat, nisi inepte a Matthaeo Christus), sed de vestibus debeas explicare. Sed fundus rei est in v. 4. 5. ubi Matthaeus, *more suo* V. T. oraculum, eventu probatum dicens, male in vv. ἐπὶ ὄνον καὶ πῶλον, υἱὸν ὑποζυγίου vocabula

Sed quorsum haec copiosius disputo? Etenim Messiam se professum esse Christum, quis non vel inde manifesto deprehendet, quod Iudaeorum proceres ex hoc fonte temere et flagitiose affectati regii nominis causam criminandi petierunt, capitale iudicium instituerunt? Hinc rem sanctissimam in ludibrium vertentes, hominem innocentissimum et optimum corona, e spinis confecta cinxere truces milites, hinc purpureum, quod deceret regem, pallium ei induerunt. Eodem tendit et titulus in crucem positus, quo Iudaeorum regiam dignitatem a scelesto homine arreptam esse indicatum voluerunt *). —

Accedit una omnium luculenta vox, qua Iesus coram pontifice maximo, in vitae versans discrimine, in iudicio, quod ad has tales causas cognoscendas erat constitutum, provocatus iureiurando asseruit, se esse Messiam: Mtth. 26, 63. 64. Mc. 14, 61. 62. (cl. Luc. 22, 66—71. ubi Dominus simillima non *uni* pontifici, sed synedrii assessoribus *omnibus* respondisse traditur). Et Synedrio quidem data erat potestas, explorandi doctores iudaicos, peregrinantes, spiritu actos. Liberrimo et fortissimo animo fassus est, quod sibi captivitatem certumque interitum, adversariis, sanguini suo inhiantibus, laetitiam summam allaturum esse tute praevidit, non alia de causa, quam quod sine veritatis intimaeque persuasionis professione vitam non esse vitalem sanissimo et divino

---

καὶ non cum hebr. textu *idque* (limitativum), sed *at* (progressivum) esse vult. Inde duos finxit asinos. Nam apud Zachariam וְעַל עִיר בֶּן־אֲתֹנוֹת non differunt a praeced. עַל־חֲמוֹר. — Cf. Bauer. l. c. p. 76. et Fritzschius in *Comm.* ad. h. l. Lueckius *Comm. in Io.* II. 342. 343.

*) Bauer. l. c. p. 37.

iudicio senserat. Qua voce num praeclarius et evidentius testimonium cordati desiderabunt lectores? —

Simillimae voces, coram Samaritide muliere et Pilato procuratore editae, cum in commentariis *Ioanneis unice* deprehendantur, huius autem nos scriptoris doctrinam, quoad eius fieri potest, *seorsum* tractare decreverimus, alio loco explanabuntur.

His igitur, quod volebam, satis mihi demonstravisse videor, e *Synopticorum* traditionibus Iesum non simulavisse Messiam, sed ore, factis, animo fuisse. — Itaque non moramur lectores. —

PARS V.

DE PARABOLIS, REGNI MESSIANI RATIONES UNIVERSE ADUMBRANTIBUS *).

Venio ad *parabolicum* genus dicendi, quo Christum apud *Synopticos* usum esse reperimus, in doctrina de regno coelesti aequalibus tradenda. Neque tamen aut mei officii, aut huius loci est, de figurata hac oratione universe fuseque dicere **),

*) De parabolis Christi videndi sunt: SUICER. *thes. eccles.* II. 566 sq. CHRYSOSTOM. *Homil. ad Mtth.* 20, 1 sq. GROTIUS, *ad Mtth.* 13, 1 sq. STORR. *diss. de parabolis Christi* in ejd. *Opusc. acad.* I. 89 sq. KRUMMACHER. *üb. d. Geist u. d. Form d. evang. Gesch. in hist. u. aesth. Hinsicht.* p. 425—493. CONZ. *morgenl. Apolog. od. d. Lehrweish. Jesu in Parabeln u. Sentenzen. Leipz.* 1809. p. 1—92. ERNESTI *Interpres* N. T. ed. AMMON. p. 127. MORI *super Hermeneut. N. T. Acroases.* ed. EICHSTAEDT. p. 314 sq. LUECKE *Grundr. d. neutest. Hermen.* p. 109. KAISER *Grundr. e. Syst. d. neutest. Herm.* p. 122 sq. *Ueb. d. Localität d. Parabeln Jesu* in l.: *Beitr. z. Befördg. d. vern. Denkens in d. Relig.* Heft. XI. n. 3. p. 138—150. ERASMUS in l.: *de ratione verae theologiae. Basil.* (ed. FROBEN.) p. 155. (qui locus de difficultate interpretationis librorum sacrorum, ab hoc dicendi genere oriundae, est facile *princeps* eius aetatis.) VAN LIMBURG BROUWER. *de parabolis Iesu Christi.* Lugd. Bat. 1825. 8. W. SCHOLTEN. *diatr. de parabolis I. C.* Delph. Bat. 1827. 8. Lectores advertisse iuvat ad librum UNGERI, qui super eadem causa *Lipsiae* propediem prodibit, qui p. 2—7. recensum antiquiorum recentiorumque scriptorum exhibuit, de *his* addens iudicium.

**) De notatione, s. *etymologia*, quae vocatur, vera-

quod argumentum et ab aliis occupatum video, et tale est, ut, si dicendo exhauriendum esset, pro-

que vi nominis *parabolae*, de notis quibus distinguatur a finitimis orationis modis (*fabula*, *allegoria*, *apologo*, *proverbio* etc.), de hermeneutico usu interpretandique regulis subtilioribus copiose dixerunt van Limburg-Brouwer. l. c. p. 12—20. 132—184. Scholten. l. c. p. 13—61. p. 103 sq. p. 150 sq. subtiliter, at non verbose Unger. l. c. p. 1—30. Patrum Graecorum, qui neque satis acute, neque subtiliter in indaganda vocabuli potestate versati sunt, vix poteris vestigiis insistere. Ita Chrysost. *in Ps.* XLIX. (al. XLVIII.) ἐστὶ παραβολή, inquit, ὁ αἰνιγματώδης λόγος, ὅ πολλοὶ λέγουσι ζήτημα, ἐμφαῖνον μέν τι οὐκ αὐτόθεν δῆλον ὂν ἀπὸ τῶν ῥημάτων, ἀλλ' ἔχον ἐντὸς κεκρυμμένην διάνοιαν. Quibus verbis, quae recepit Etymol. M., non *definitionem* inesse, sed *notam* tantum *accidentem* declarari, qua παραβολὴ sit αἰνίγματι affinis, plane nobis persuasit Unger. p. 12. Itemque Clemens Alexandr. *Strom.* VI. 15. ita dicens: ἡ παραβολή λόγος ἐστιν ἀπό τινος οὐ κυρίου μὲν, ἐμφεροῦς δὲ τῷ κυρίῳ, ἐπὶ τ'ἀληθὲς καὶ κύριον ἄγων τὸν συνιέντα, ἢ, ὥς τινές φασι, λέξις δι' ἑτέρων τὰ κυρίως λεγόμενα μετ' ἐνεργείας παριστάνουσα, *allegorias grammaticas* verius descripsit, quam *parabolas*. Unger. p. 23. Maiori iure laeteris de hermeneuticis regulis, quas in hac aetate et in hoc rerum exegeticarum statu rara ingenii felicitate detexit Chrysostomus, etsi nunc quidem ubi in interiorem artem interpretandi hoc genus multo usu penetratum est, in *historia disciplinae* talia semina veri magni facere iuvet, artis perito non satisfaciant. Ita ille: *Hom.* LXIV. (al. LXV.) *in Matth.* XX. 1.: οὐ χρὴ πάντα τὰ ἐν ταῖς παραβολαῖς κατὰ λέξιν περιεργάζεσθαι, ἀλλὰ τὸν σκόπον μαθόντας δι' ὃν συνετέθη, τοῦτου δρέψασθαι, καὶ μηδὲν πολυπραγμονεῖν περαιτέρω. Et paulo post: οὐ χρὴ πάντα περιεργάζεσθαι ἐν ταῖς παραβολαῖς. — Voc. παραβολῆς ad similitudinem hebr. מָשָׁל et chald. מַתְלָא cum in N. T. literis latiore etiam sensu adhibeatur de quovis scite sententioseque dicto, aut proverbio, in quo suam de vita rebusque humanis sentiendi rationem recondere solet vulgus indoctum, et quod in sermone multorum versatur (πολυθρύλλητου), dilationem

pter ambiguitatem difficultatemque tam variam disputationem requireret, qua diductus animus timendum sit, ne ab arce causae facillime aberret.

Paucis praemonuisse sufficiat; hanc docendi rationem neque novam inauditamque fuisse auditoribus Iudaeis, neque Christi consiliis, temporum rationibus, captui adstantium minus accommodatam. Nova non fuit; nam et prophetae V. T. subinde, etsi rarius, *in his quidem, quae aetatem tulerunt, scriptis* (est enim admodum credibile, *saepius* hoc esse factum) hac ratione sunt usi, ut popularibus collatione per imaginem s. per narrationem fictam eamque verisimilem vel e rerum natura vel e vita hominum petitam rem sublimiorem serio illustrarent *). Neque Iesu aetate hic mos

---

quandam continens (unde nomen commune); id nos satis excusabit, si ad concisa etiam dicta, quae sunt huius generis, nostrumve locum plenius illustrant, subinde descenderimus. — Ceterum de prisca vocabuli apud Graecos Romanosque potestate, in multis distante ab usu orientali quum sit uberior disputatio, feliciter expedita ab UNGERO l. c., ad unum relegasse sufficiat lectores locum SENECAE *Ep.* 59. (p. 267. ed. RUHKOPF.), qui mihi semper princeps visus in h. causa: Invenio *imagines*: quibus si quis nos uti vetat, et poetis illas solis iudicat esse concessas, neminem mihi videtur ex antiquis legisse, apud quos nondum captabatur plausibilis oratio. Illi, qui *simpliciter, et demonstrandae rei causa* eloquebantur, *parabolis* (en *latum* vocis ambitum!) referti sunt: quas existimo necessarias, non ex eadem causa, qua poëtis, *sed ut imbecillitatis nostrae adminicula sint, et ut discentem et audientem in rem praesentem adducant.*

*) Utor definitione parabolae, quam satis tuta via reperisse visus est UNGER. l. c. p. 30. Hanc si tenueris (quam tamen auctor non tam ad *orientales* universe, quam ad *Christi* parabolas relatam voluit) egregie diminuentur huius dicendi rationis in V. T. exempla, quae inter alios attulit GLASS. *Phil. sacr.* ed. DATHE. p. 1308 sq. Nam Iud. 9, 8 sq. narratio de arboribus, in rege quaerendo eligendoque oc-

inter Iudaicos doctores evanuisse videtur, quidquid in contrariam rem ab antiquioribus theologis e dogmaticis rationibus acrius, quam circumspectius sit disputatum. Etenim, etiamsi e V. T. nihil tale ad nos pervenisset, tamen credibile non esset, nova plane disciplina usum esse Dominum, sine magna plebis discipulorumque admiratione et stupore, cuius tamen nullum vestigium in monumentis reperitur. Et communis Orientalium mos, Orientalium ingenio debitus, magno in hac caussa est argumento. Is idem servatus in Talmudis libris, qui parabolico dicendi genere est refertus. Quam rem qui ita expedivisse sibi visi sunt interpretes, a serioribus Iudaeorum doctoribus existimantes evangelia studiosissime lecta et potissimarum parabolarum argumenta surrepta esse, hi, vano timore agitati, ne usitatam fuisse dicentes inter magistros hanc disserendi rationem, de dignitate aut praestantia sermonum Christi detraxisse viderentur, contenderunt, quod omnium est maxime incredibile. Imo *traditione* propagata h. consuetudo, quamvis concedendum sit, *talmudicas* parabolas et poetica indole, et brevitate, et sententiarum concinnitate, denique ingenua simplicitate et, ut verbo complectar, castitate ab *evangelicis* vinci *).

---

cupatis, ad *fabulam* unice referenda est. Vidit hoc iam SCHOLTEN. l. c. p. 69. 2 Regg. 14, 9. 10. tutius dixeris perbrevem apologum, quam parabolam. Ita relictae sunt 2 Sam. 12, 1 sq. (Nathanis prophetae Davidi proposita de ove pauperis narratio) et Ies. 5, 1 sq. (narratio de vinea mendaci) quae sub h. genere comprehendantur. Nam de *Ezechiele* quidem nunc non loquar; quamvis enim ille sit collationum vel audaciorum nostroque sensui parum convenientium, amantissimus; tamen tutius plerasque ad *allegorias* retuleris, quam ad parabolicum genus dicendi.

*) Cf. exemplum, quod apposuit LIMBURG-BROUWER p.

Verum hoc non ita intelligi volo, quasi argumentum vel ab antiquioribus, vel a sui temporis magistris sumserit Dominus *). Hoc enim quid minus verosimile? Nam materies ubique obvia. Cum enim infinita sit vis in rerum natura earum, quae aliqua relatione et signo rebus sensuum iuditio subductis, ethicis divinisque respondeant, item cum varia Iudaeorum vita, varii mores, fictarum narrationum innumerabiles caussas praebeant, num fas est credi, priscis aliorum collationibus, quas edidicerit, defunctum esse Christum, ingenio tam puro, ut in rebus coelestibus totus habitaret, vitamque in hos sensus cadentem sine perpetua rerum aeternarum memoria vitalem non duceret? Id quod propius intuenda indole huius dicendi generis luculenter apparebit.

Plerasque Iesu parabolas vel latiore vel arctiore vinculo cum doctrina de regno coelesti contineri, res est notissima. His tradendis *primum* hoc studuit Christus efficere, ut regni a se condendi *summam praestantiam*, cui posthabendum sit, quidquid usque habent res humanae praeclarum atque expetendum, suspicarentur sensimque perspicerent auditores parum confirmati de plebe vel discipulorum grege, quorum profecto exigua erat sagacitas, solertia, nulla exercitatio ad res divinas

93 sqq. SCHOLTEN. p. 75 sq. Pluribus h. l. post VORSTIUM et LIGHTFOOTUM persequutus est WEISIUS in diss. caute legenda: *De more Domini, acceptos a magistris iudaicis loquendi modos sapienter emendandi.* Viteb. 792 4. rec. in *Comm. theoll.* ed. VELTHUSEN etc. V. p. 117 sq. Persimiles sunt (uti demonstratum est ll. cc.) narratiunculae de divite epulone, de operariis a patre familias in vineam vocatis, de quinque prudentibus et quinque fatuis virginibus. Et si fides habenda HIERONYMO *ad Mtth.* 17. plurimus vel sua aetate fuit in Palaestina huius generis dicendi usus.

*) SCHOLTEN. l. a. p. 78.

sine imaginum involucris percipiendas. *Deinde* hoc strenue egit, ut per hunc disserendi modum officiorum suorum memores fierent, qui spe civitatis in hoc regno obtinendae animos pascebant, simulque a vana exspectatione deterrerentur, quos rei Messianae princeps, Christus, societati theocraticae inhabiles iudicaverat, Pharisaei similesque deterrimae voluntatis homines *). Non erat igitur, quod mirarentur antiquioris recentiorisque aetatis interpretes, quod Iesus in re omnium gravissima proponenda tropico et figurato maluerit, quam plano et simplici genere orationis uti. Causae plures et in hominibus, et in temporibus, et in rei tractandae ratione inerant. Qui enim sermonis habitus nostris hominibus, apertiori adsuetis generi dicendi, ad aenigmatis obscuritatem accedere videtur, Hebraeis ceterisque orientalium partium gentibus, quae auribus ad eum audiendum multo usu subactis accedebant, mire gratus est visus. Et cum huic disserendi modo, in quo neque interna veritas, neque amabilis simplicitas simplexque maiestas, neque lumina orationis desiderabantur, a *prophetarum* disciplina viderentur assuefacti aequalium animi, Christus, *summus propheta*, a laudabili more noluit recedere. Et, quam haec non essent inaudita, dilucidius etiam perspiceretur,

*) Quare non possunt assensu probari, qui statuunt, Christum, ut parceret vitae insidiisque dudum structis evaderet, sub extremo vitae tempore parabolico genere dicendi coram Pharisaeis, capitali odio in eum incensis, usum fuisse. Quo errore vix vidi evidentiorem. Tantum enim aberat, ut hoc dicendi genere itentidem proposito placarentur animi, ut vehementius exacerbarentur. Perennetante enim Iesu, quid subsit veri narratiunculae, fessi sunt, nescientes de se fabulam narrari. Quod ubi perspexerant, quo tandem pudore nefarios homines suffusos existimabis? — Ad hanc causam infra paucis redibo. —

si doctorum Palaestinensium, Domini aetatibus supparium, plura ex hoc genere exempla *satis undique comprobata* afferre criticis licuisset. Id tamen propter incertam iudaicorum monumentorum aetatem dubiamque fidem negotium et longe difficillimum et parum fructuosum.

Aliud argumentum in ipsa re inest. Acrius feriunt animum similitudines, penitus infiguntur memoriae collationes, ne possit elabi, quae parabolis tegitur, sublimior sententia *). Eoque hoc magis emergit, quod ductae sunt ex rebus, quae vulgo notissimae sunt, quod, uti diximus, vel e rerum natura sumuntur, vel in commercio hominum vitaque publica et privata versantur. Accedit, quod parabolis usus, ad audiendum iucundis movendisque affectibus idoneis, sed subobscuris et uberiore interpretatione indigentibus, ad interiorem meditationem facilius auditores invitavit, et aculeos in eorum animis reliquit. Ita poterant, qui ingenii et animi quadam delectatione deliniti erant, rebus, quae ad collationem erant adhibitae, saepe obviis, quotidie narratiuncularum reminisci veritatemque facilius quaerere et invenire. Verum et stupidioribus et malignis atque invidis animis

*) Similia de rationibus, quae Christum moverint, ut hoc sermonis genus studiose coleret, sensit Chrysost. *Homil. in Ioh.* XXXIV. (p. 692.) *Primam* affert: ὥστε ἐμφαντικώτερον γένεσθαι τὸν λόγον, καὶ μᾶλλον ὑπ' ὄψιν ἄγειν τὰ λεγόμενα· ἡ γάρ διάνοια τῆς συντρόφου τῶν πραγμάτων εἰκόνος ἐπιλαβομένη διανίσταται μᾶλλον, καὶ ὥσπερ ἐν γραφῇ τὰ πράγματα ὁρῶσα κατέχεται μειζόνως. Altera haec est: ὥστε καὶ γλυκαίνεσθαι τὴν διήγησιν, καὶ μονιμωτέραν εἶναι τῶν λεγομένων τὴν μνήμην. Οὐ γάρ οὕτως ἀπόφασις χειροῦται, καὶ ἐνάγει τὸν ἀκροατὴν, ὡς ἡ διὰ τῶν πραγμάτων διήγησις, καὶ ἡ ὑπογραφὴ πείρας, ὃ διὰ τῆς παραβολῆς ἐστὶ μετὰ πολλῆς γινόμενον ἰδεῖν τῆς σοφίας.

ne corrumperetur doctrina, hac ratione praeclare cavisse dicendus est. Tali enim perfectae suisque numeris absolutae narrationi nihil poterat alieni, nihil absoni immisceri, nativusque et altius reconditus orationis sensus interpretandi sive calumniis sive stoliditate contribari. Proderat igitur opertum celatumque dicendi genus, quod nec poterant contemnere, qui non intelligebant, idiotae, et debebant assentiri malevoli animi, rei sive in ordine physico, sive ethico gestae internam veritatem sanctasque leges agnoscentes.

Sermonem *parabolicum* in *apostolorum* scriptis nusquam occurrere, res est nota quidem, sed non satis perpensa. Et ne Domini quidem parabolarum ulla in his literis mentio est. Quod indicio esse putárim, genus hoc dicendi, ut rerum christianarum *primordiis* promovendis et aptissimum et salutare fuit, ita crescentibus ecclesiis, et genus hominum *ex Iudaeis Graecisque* mixtum exhibentibus parum convenisse. Eatenus prorsus ego assentior KRUMMACHERO, qui *mysticae aetati* sive *infantiae* religionis christianae hunc docendi discendique modum tribuit.

Alia eiusdem viri, propius huc pertinens, conjectura est: talem fuisse Christi per parabolas docendi rationem, ut iis *unice* uteretur ad doctrinam de regno dei *sensim* proponendam, et pictae imaginis instar pedetentim evolvendam illustrandamque, et quidem *solis* apostolis, quibus luculenta esset institutio ad doctorum munus prospere administrandum. Nullam *morum* doctrinam tradi, imo omnia ad *epici carminis* indolem ac formam redire. Ea sententia quo est ingeniosior, multorum plausum, aliorum reprehensionem invenit; et nobis non poterit, nisi tractatis *sigillatim* parabolis, quae huc referri solent, et *sub uno obtutu* locatis, examinari. Hoc enim negotio peracto,

rectum super ea re iudicium sponte aderit. Ita autem hoc a nobis instituetur, ut vel breviorum similitudinum sententioseque dictorum, si modo aliquo cum capite rei, quam tractamus, vinculo continentur, (latiore sensu in vocabulo παραβολῆς, מָשָׁל, nobis favente) ratio diligens habeatur. —

Quae autem *Lucae* peculiares sunt, parabolae, cum *ethici* sint argumenti, demonstrandum erit *num* omnino et *quanam ex parte* ad explanandam illustrandamve regni divini notionem faciant. De morum vero conformatione civium regni Messiani (uti indicatum est supra) non hoc, sed sequente capite de instituto erit quaerendum.

Ac primum de Matth. 9, 11 — 13. (cf. Mc. 2, 16. 17. Luc. 5, 30 — 32.) videndum. Qui locus, a Matthaeo ceteris Evangelistis uberius expressus, parabolam sensu strictissimo non continet, sed tamen, cuiusnam homines indolis adsciverit in disciplinam suam Christus, adhibita *similitudine* ad intellectum facillima v. 12. (*οὐ χρείαν ἔχουσιν οἱ ἰσχύοντες ἰατροῦ, ἀλλ' οἱ κακῶς ἔχοντες*) nos docet. Ex quo, quam sit diversum futurum, quod Christus annuntiabat, regnum ab eo, quod commentis vulgi doctorumque propediem exspectabatur, auditori non plane hebeti obscurum esse non poterat. Nam non dubitavit, quin vilioris sortis hominum, qui propter commercium cum Romanis quotidie initum et servitia exteris praestanda contemtissimi et Iudaico nomine vix digni videbantur *), familiaritate uteretur. Tales prae

*) Perperam Michaelis *Annott.* ad h. l. ἁμαρτωλοὺς dicit homines, *a veri dei cultu alienos*, quibus opponantur v. 13. δίκαιοι, *Iudaei*. Verum ipse paulo ante l. Iosephi *de B. I.* II. 14. 9. demonstraverat, Iudaica de plebe homines portitorum officiis functos esse, publicanorum nomine. Quam ille affert-rationem, ob quam portitoribus Iudaicis opus fue-

ceteris aptos iudicavit novae disciplinae; Pharisaeis autem, insolitam mirantibus Messiaeque futuro minime convenientem agendi rationem, respondit, munus sibi iniunctum postulare, ut non qui satis se instructos putent animi bonis*), sed peccatores aut peccantium nomine diffamatos ad regni a se instituendi societatem vocet. Nec tanti habendum esse cultum sacrificiorum, ut non a *beneficentia*, quae, cum *benevolentia* coniuncta, vere est nominis sui, multum superetur.

Is locus, cum sit *duplici* nomine notabilis, et ut Servatoris mens de abroganda lege Mosaica illustretur, quidve praestandum sit civibus regni

---

rit adiutoribus exteris, ne sabbati tempore in summum rei vectigalis detrimentum uterentur Iudaei, ea firmari testimoniis nequit. Et si vel hoc dederis Michaeli, ne tum quidem pagani *soli* dicuntur a Christo vocati et invitati v. 13. Aderant enim Matthaeus eiusque collegae (τελῶναι), quos Iudaeos fuisse nemo ad hunc diem dubitavit. Sed habet latiorem ambitum h. verbum. Adscribuntur quidem a Iudaeis gentes exterae ἁμαρτωλοῖς, sed non omnes, qui ἁμαρτωλοὶ vocantur, necesse est sint pagani. (Imo et Gal. 2, 15. addit voci apostolus: ἐξ ἐθνῶν, cl. v. 17.) Portitores ob perpetuum cum exteris commercium munerisque rationes invisi Iudaeis videbantur h. nomine *omnes* digni. Cf. quae de simili usu v. רשע recte docuit Bolten. *Bericht d. Matth. v. Jesu d. Messia.* p. 146.

*) Ita equidem δικαίους v. 13. explano. Ita acerbam εἰρωνείαν cum Grotio et Kuinoelio contra Fritzschium tueor. Is enim sufficere affirmationem, adiectamque negationem tantum, ut per *oppositionem* fortius enuntiaretur sententia, existimavit. Qua sententia nihil vidi languidius. Graviores habet aculeos et *certam relationem* h. oratio, volebatque sentiri a Pharisaeis Dominus, quam sibi odiosa esset simulata pietas, quod vel in illo: πορευθέντες δὲ μάθετε ex ipsa Fritzschii explanatione inest. — Καλεῖν dici de invitatione ad communionem regni Messiani, quae impetratur per μετάνοιαν, e nexu satis est manifestum. —

theocratici futuris, intelligatur, dignus est, quem accuratiore examine tractemus. Quibus vero ita dilacerata oratio, et, quae sequentibus capitibus adsignanda erant, magno malo praeoccupata videbuntur, hos admonemus, nexum iussisse, ut, quae una orationis parabolicae vel huic aliquantum geminae serie et quasi compage proposita sunt, non disiungamus, sed consociemus, quibus ea momentis potiora argumenti nostri capita attingant, in progressu disputationis ostensuri.

In interpretanda dictione: *ἔλεον* *) *θέλω, καὶ οὐ θυσίαν* (Mtth. 9, 13. quae 12, 7. recurrit, cll. *similibus* ll. Mtth. 23, 23. Mc. 10, 38.), quaerendum: a. an Hoseas 6, 6. et qui eius verbis usus est Christus, *omnem* externum numinis cultum, qui per sacrificia exercebatur, voluerint abrogatum, b. quid sit *ἔλεος*, quod eius loco inducitur et commendatur. Puto verba prophetae: כִּי חֶסֶד חָפַצְתִּי וְלֹא־זָבַח וְדַעַת אֱלֹהִים מֵעֹלוֹת non *comparativam*, (quod Grotio, Paulo aliisque placuit), sed *simplicem* negationem continere. Primo enim versus paralleli membro diserte negatur, sacrificiis deum delectari; affirmatur, pietatem ei esse acceptam. Altero instituitur *comparatio* rectae dei cognitionis cum holocaustis; sed talis, ut, si illa adsit, haec melius abesse dicantur. Non dicitur, utrumque genus a numine amari, sed, si optio sit, reiectis sacrificiis, non nisi recta divinarum virtutum cognitione deo homines probari. Credasne, prophetam hoc voluisse: deum cupere quidem sacrificia, magis tamen humanitatis officia et pietatem? Minime vero. Ne cupivit quidem sacra externa, ob hoc ipsum, quod sui cognitione magis delectabatur. Sed ne quis nos dicat argutari in explanando sermone *populari*, non diffitemur, magis

*) Insolentior forma videtur verior.

stabilitum iri loci nostri interpretationem, si praeverbio מִן negationem inesse probare possis. Et vere *negativam* potestatem (*non* cl. Prov. 8, 10.) suspicati sunt Storr. (*Observ.* p. 251 sq.) Weckherlin. (*Synt.* p. 184. ed. 2. *)) Vater. (*hebr. Gramm. ed.* 2. p. 324.), refragante Gesenio *Lehrg.* 689. Anm. n. cl. tamen *Lex.* s. h. v. n. 8. 9. 10. c. ubi signif. *sine* et ante Fut. et Inf. *ne*, *ut non*, e nexu, concedens, reapse eodem tendit **). Huic potestati magna vis accedere videtur e *priore* enuntiato, quo *apertissima negatio* continetur, nihil cum obstet, quo minus, in loco ambiguo, alterum e priore membrum explicetur, uti *vicissim* saepe factum. Contexta oratio apud Hoseam *neutri* interpretationi unice consentanea est. — Prophetam, Mosaicis utentem institutis, *nunquam* fas fuisse loqui de sacris penitus abrogandis (quae est Pauli in *Comm.* ad h. l. aliorumque sententia), non facile persuadebitur. Quidni enim statuamus, veriora eum vidisse, de gratia divina, a benevola mente rectoque numinis cultu unice pendente? Id quod perspexisse non vulgi huius aetatis esse poterat, sed excellentium sapientia virorum. Et gemina de vano sacrificiorum cultu iudicia legas Ps. 40, 6—9. Ier. 7, 21 sq. Ps. 50. 51, 18. 19. Ies. 1, 11. 13. cl. 6, 17. et Gesen. ad h. l. ***). — Sed mittamus *Hoseam*, de cuius vera mente dubitabunt forsitan me peritiores; *Christum* teneamus,

*) Weckherlini tamen mirus hic error, quod ob praecedens וְאַל (Prov. 8, 10.) et וְלֹא n. l. existimat מִן non tantum *non*, sed *et non* denotare.

**) V. etiam Ewald. *krit. Gr. d. hebr. Spr.* p. 598 sq. de *remotiva* praeverbii potestate, cui *negativa* multis modis est affinis.

***) Nam 1. Sam. 15, 22. quem vulgo excitant, *nexus* causa plane ab hoc genere est alienus.

cuius non est ambigua sententia. Is certo certius vv. ἔλεον θέλω καὶ οὐ θυσίαν significavit Pharisaeis: minime deum delectari sacrificiis offerendis, sed animo erga proximos benevolo et misericorde. *Non enim totum prophetae apophthegma, sed partem protulit, non sine causa omisit alteram, quae dubiae interpretationis videri posset, et mitigare dicti insolentiam* *). En! splendidum exemplum liberrime excultae a Christo prophetarum disciplinae! (Unus Cd. Alex. ap. LXX. consentit cum Matthaeo, οὐ exhibens; vulgo *bis* edunt ἤ.) Ἔλεος h. l. ea est animi pietas, quae humanitatis officiis sincere et erga miseros colendis proditur. Beneficentiam in stipe eroganda conspicuam, quae expers haud raro est amoris, quî commendaverit Christus Pharisaeis, qui largiendis cum pompa beneficiis gloriolam penes vulgum captabant? Cf. int. al. Mtth. 6, 2.

De proverbiali Christi locutione Mtth. 9, 14—17. cl. Mc. 2, 18—22. Luc. 5, 33—39. supra (p. 84.) paucis est dictum. Nunc hoc addam, me tueri quidem hanc explanationem, ex qua Christus his collationibus e vitae communi usu sumtis dixisse creditur universam sententiam hanc: nihil esse faciendum, quod a re, loco, tempore hominibusque sit alienum **), designans apte agi a Ioannis discipulis jejunia, doctorem morte ereptum lugentibus, inepte acturos esse Christi discipulos, praesente et superstite doctore. Nunc hoc tamen offendit, quod non tantum Baptistae sectatores, ve-

*) Cf. Ven. Winer. *Gr.* 176. 177. qui contra Fritzschium, καὶ οὐ, et h. l. in *Comm.: non tam, minus, quam* enarrantem, probabili subtilitate disputavit.

**) Dignissima lectu sunt, quae de h. ll. scripsit Morus *de discr. sensus et significationis* in *Diss. theol. et philol.* ed. 2. p. 93—96.

rum ap. Mtth. v. 14. item οἱ Φαρισαῖοι ap. Luc. v. 33. et Mc. v. 18. οἱ τῶν Φαρισαίων μαθηταὶ ieiunia exercentes in interrogatione Christo proposita memorentur *). In quos non cadit ea causa, quae excusabat Ioannis discipulos. Hoc ita expedietur, ut utrumque consocietur.

Nam, quae est prima similitudo, de sponso, paranymphis aliquando subtrahendo, moestitiaeque futurae, uti praesentis laetitiae, causa locuplete: ea tunc demum idoneam habet vim, si ad Christi Ioannisque discipulos, varia utentes fortuna, referatur. Pharisaeorum rebus haec nullo modo idonea collatio. Verum his, quae sequuntur, cum, uti dixi, graviter inculcet Dominus, nihil esse faciendum in vita communi absoni, carpere una videtur Pharisaeorum, qui exteris ritibus legi ceremoniali voluntate adiectis essent deditissimi, perversam sedulitatem. Inique enim postulari, ut, quae morosa sentiendi vivendique ratio potior visa sit huic scholae, eadem a novo genere disciplinae requiratur. Tecte igitur affirmavit Servator, alia a se esse exspectanda. Quae disputatione infra proponenda dilucidius patebunt. *Persuadere enim mihi non possum, Pharisaeorum nullam in responso dando habitam esse rationem* **).

---

*) Sec. *Mtth.* percunctantur Christum Ioannis discipuli, sec. *Luc.* Pharisaei, sec. *Mc.* *videntur* utrique sermonem instituere.

**) In alia abit Paulus in *Comm.* ad h. l. *Recte* monuit Fritzschius (in *Comm.* ad h. l.): *totas sententias*, non *locutiones singulas*, ut ῥάκος ἄγναφον, ut ἀσκοὺς παλαιοὺς etc. in explicatione premendas esse. *Non recte* neglexit, haec et Pharisaeis esse dicta. — *Quartae* similitudinis, quae est *Lucae* peculiaris (v. 39.) sensus est: Qui meliore sorte utitur (Christi discipuli, eo superstite), non cupit deteriora (Pharisaeorum disciplinam). Imo beatam praedicat sortem suam. Aliter Paulus in *Comm.* haec de indul-

Sequitur caput *Matthaei* XIII. refertum parabolis, *regni divini rationes naturamque* illustrantibus.

Quarum antequam recensum exhibeamus, videtur ea dissensio consideranda breviterque diiudicanda, quae super *consilio*, quo usus fuerit parabolico genere dicendi, in ipsa Christi oratione offertur.

Loca, de quibus quaeritur, sunt: Mtth. 13, 10—17. Mc. 4, 10—12. Luc. 8, 9. 10.

Et *Matthaeus* quidem narrat, Christum, post parabolam de satore seminisque varia indole propositam, a discipulis interrogatum, *cur hoc genere sermonis coram populo utatur*, hoc responsi dedisse, causam esse, quod solis apostolis regni coelorum arcana cognoscendi facultas data, illis negata sit; affertque suam in causam verba Iesaiae 6, 9. 10. (ὅτι βλέποντες οὐ βλέπουσι κ. τ. ἑ.), cuius plenius dictum statim apponit v. 14. 15.: καὶ ἀναπληροῦται αὐτοῖς ἡ προφητεία Ἡσαΐου, ἡ λέγουσα: ἀκοῇ ἀκούσετε, καὶ οὐ μὴ συνῆτε, καὶ βλέποντες βλέψετε, καὶ οὐ μὴ ἴδητε κ. τ. ἑ. quo ille, quid sub auspiciis muneris sui divino iussu dicendum sit popularibus, quorum pessima erat indoles, enuntiat. — Facile igitur patet, *e mente huius Evangelistae*, non spem praeclusisse Dominum plebi rudiori, ad doctrinae suae hactenus tectae et reconditae, cognitionem fructumque perveniendi, sed viam munivisse. Nam ὅτι (quia) *causale* est, traducitque orationem ad *conditionem* aequalium, quae tale genus dicendi postulet. Imbecillitatem adstantium, quorum mentis acies obcaecata sit praeconceptarum opinionum vi, Iesaianorum popularium indolem referentium, non pati, ut

---

gentia Christi erga Ioannis discipulos dicta censet. Sed a nexu hoc videtur alienius.

apertiorem dictionem adhibeat, et compendiariam docendi viam ingrediatur, postulare similitudines, rei sublimioris integumentum, cuius suavitate illiciti ad meditandum suscitentur animi, veritatemque, si non adsequantur, suspicentur tamen; sensim meliora gravioraque adsequuturi. —

Aliter rem informasse videntur *Marcus* atque *Lucas*, qui discipulis, non *causam parabolici generis dicendi*, sed *sensum parabolae propositae e* Iesu percontantibus, talia tradunt Dominum regessisse: cognita quidem esse coelestis regni arcana *discipulis*, *reliquis* vero non *interioris admissionis auditoribus* parabolis dici omnia, idque fieri, ut ap. *Mc.* v. 12. est: *ἵνα βλέποντες βλέπωσι καὶ μὴ ἴδωσι κ. τ. ἕ.* vel, ut *Luc.* habet v. 10. *ἵνα βλέποντες μὴ βλέπωσι, καὶ ἀκούοντες μὴ συνιῶσιν.* Tum hoc dixisse videbitur Iesus, *hoc ipso fine* parabolas electas, ne populus earum sensum percipiendo, idoneam novae doctrinae Messianae scientiam adsequatur et ad bonam redeat frugem. Qui sensus acerrime offendens lectorem, haud dubie inest verbis, si praeverbium *ἵνα* ea positum potestate existimas, ut *finem* s. *consilium* indicet (*τελικῶς* s. *αἰτιολογικῶς* Grammatici vocant), quam apud Graeciae scriptores constantissime tuetur.

Verum in his non poterant nec debebant acquiescere Patres Graeci, sec. maxime IV. eorumque princeps Chrysostomus (v. loca, congesta a Suicero in *Thes. eccles.* s. v. *ἵνα* I. 1454 sq. et s. v. *ὅπως* II. 497 sq.), sedulo praecipientes, non pauca esse sacrorum scriptorum loca, ut Io. 9, 39. Rom. 5, 20., in quibus *ἵνα* non *τελικῶς*, sed *ἀποβατικῶς* s. *ἐκβατικῶς* sumi vertique debeat: *hoc effectu, ut; unde eveniet, ut* et sim. Hunc quidem particulae usum serior Graecitas plane ignoravit, acerrime tamen Chrysostomum antesignanum sequutos videmus nostrae aetatis interpretes quam

plurimos, desperantes, sine tali praesidio, uti nostro argumento, ita aliis Scripturae vexatissimis locis lucem afferri posse. Paucissimi nostrorum hominum hanc praeverbii vim negant, uti THOLUCKIUS ad Rom. 5, 20. LUECKIUS ad Io. 9, 39. Quam rem altae indaginis *et subtilissima disquisitione ob universum Scripturae, quem dicam, typum dignissimam*, equidem cum disputando hic exhaurire nec possim, nec velim, salva rei perspicuitate et gravitate, dicam breviter quid, nostrorum respectu locorum, de hoc usu sentiam.

I. Etiamsi ἵνα ap. *Mc.* et *Luc.* non αἰτιολογίας, sed ἐκβάσεως esse dixeris (quod an iure fiat, videtur ambigi posse), tamen hac re causam nostram non magnopere adiutum, nec Christi de proponendarum parabolarum consilio sententiam mitigatum iri arbitror. Qui enim praevidet doctor, e suis sermonibus nihil neque ad intellectum, neque ad vitam fructus redundaturum esse ad discipulos, nec tamen abstinet ab hoc genere docendi, is aut impie agit, aut stolide. Debet, id quod prudentis est atque honesti hominis, aut apertiore uti sermone et fructuoso, aut, si tali non est locus propter auditorum imbecillitatem, reticere praematuram seculo sapientiam. Sin minus, vel nocere *vult* doctor, sui commodi causa (*consilium* habet nocendi, ἵνα τελικῶς), vel certe non prodest sine tali consilio stultus. — Ergo *grammatice*, ut mihi quidem videtur, nihil efficies ad leniendam Lucae Marcique verborum duritatem. — Istam inveteratam formulam: ἵνα pro ὅτι esse positum, qui est mos tritissimus multorum, nodum difficultatis non expediendi, sed praecidendi (SCHLEUSNERI, KUINOELII, GRATZII, VATERI ad Mc. l. c. al. *)), hodie vel verbo castigare egregie

*) Refragante iam WAHLIO in *Cur.* ad eund. l.

taedet. Decet haec vox infantiam interpretationis librorum N. T. —

II. Aliis argumentis pro utriusque Evangelistae verbis agendum. Nam

a. tenendum, non suis, sed prophetae verbis Christum in rem suam uti. Id quod luculentissime intelligitur e *Matthaeo*, Iesaiae dictum disertis verbis proferente v. 14 sq. In tali, qui similis argumenti causa excitatur, vetusti scriptoris loco temere facere, qui singula cum pulvisculo excutiat, et ad latum unguem resecet, quis tandem non confitebitur? — Magis etiam haec, qualia sint, intelligerentur, si constaret, *invenisse hanc aetatem in vaticinio Iesaiano rei Messianae olim gerendae atque excipiendae augurium.* — Sed hoc non ausim dicere, cum probare argumentis non possim. Vidit certe simillimam rationem Iesus, remque ita informavit, ut, divina moderante providentia, ita animo constitutos fore auditores suspicaretur, quemadmodum propheta vel futuros esse Messiae auditores cecinisset vel suos aequales habuisset. *Ita in fatis fore, ut nihil sapiant, nihil resipiscant*, et vel hac ratione typus rerum Messianarum, in prophetarum mente scriptisque reconditus, eventu comprobetur (ita tamen, ut *consilium* fallendi plebem a sanctissima persona Messiana absit longissime). Fit enim nonnumquam in popularibus scriptoribus et per antiquarum linguarum usum, ut meditato consilio tribui videantur, quae, quominus hac, non alia ratione evenirent, locorum, temporum hominumque rationes efficiebant, vetustis historiis similia praebentibus. Et saepe utriusque Foederis scriptores *consilium* ab *eventu* non ea, quae criticum decet, ἀκριβείᾳ distinguunt.

b. Marcus in huius enuntiati insolentia sibi non constat, addens v. 33. *καὶ τοιαύταις παραβο-*

λαῖς ἐλάλει αὐτοῖς τὸν λόγον, καθὼς ἐδύναντο ἀκούειν. Quae verba manifesto sunt indicio, genere dicendi parabolico Christum non esse usum ad captum vulgi deprimendum, sed erigendum, ut horum, quibuscum res ei esset, sapienter consuleret rationibus (συγκατάβασιν vocant). Haec igitur concinunt cum his, quae supra de consilio parabolicae dictionis praemonenda esse duximus.

c. Habet in hac re decernenda haud dubie non exiguam vim *analogia Christi disciplinae*. Τὸ γράμμα ἀποκτείνει, τὸ δὲ πνεῦμα ζωοποιεῖ! Quis, quaeso, sibi persuadeat, Christum, qui non potuit aequo ferre animo, esurientes cibo per breve duntaxat tempus destitui *), qui in has terras se venisse professus est, εἰς τὸ εὐαγγελίζεσθαι τοῖς πτωχοῖς, qui funestam Hierosolymarum sortem, morti per popularium insaniam subeundae proximus, acerbissimis lacrymis innocens pro sontibus deflevit **), qui deo pro operis successu inter infimae sortis homines grates egit intimas, qui vitam pro suis profudit, sincerae divinaeque virtutis exemplum unicum, hunc eundem Christum adèo sui fuisse immemorem, ut sermone perobscuro uteretur, eo fine, ne, qui aeterno animorum pabulo exsatiari cupiebant, quidquam lucis ac commodi ex eius doctrina perciperent, auditores de vulgo, pessimis Pharisaeorum artibus quotidie obnoxii? ***) Itaque vero proximum est statuere

---

*) Ita ingeniose PAULUS in *Comm.* ad hh. ll.

**) Aptissime hoc tertium monet VAN LIMBURG-BROUWER. p. 126.

***) Ceterum μήποτε ap. Mc. v. 12. non potest: *si forte* verti, quae significatio vere obtinet Luc. 3, 15. 2. Tim. 2, 25. A contexta enim oratione hoc alienum. Imo verte: *ne*, IB. —

d. Marcum et Lucam male intellexisse mentem Christi et a genuino verborum sensu deflexisse. Hoc enim utcunque malum nonne aequius feretur, quam vel blasphemiam vel ineptias dicta esse putare, qualia ne in mediocri quidem homine suspiceas? Unde error sit natus, nos fatemur ignorare. Coniectando nihil tentabimus. Satis sit, ostendisse, Matthaeum, apostolum ab ore Domini pendentem et αὐτόπτην rerum gestarum unice verum vidisse et tradidisse. Hunc sequi fas est in recte aestimando Christi de parabolica dictione consilio.

e. Debet tamen hoc concedi, Christum apostolos, evangelii futuros praecones, voluisse *citius* ad profundiorem doctrinae suae notitiam pervenire, unde seorsim iis in parabolico sermone ducem interpretemque se praebuit. Mtth. v. 11. 12. Mc. v. 11. Luc. v. 10. Populum, per naturam suam tarde erudiendum, nec recte percipiendae interpretationi nunc satis aptum, maluit varia similitudine proponenda eo deducere, ut sensim dispicerent in rebus divinis. Huc redit discrimen *exotericam* inter atque *esotericam* Christi disciplinam, cuius meminit Mc. v. 11. Alias parabolas Christus apostolis intra privatos parietes proposuit. Auxit igitur ambitum disciplinae. Mtth. v. 44. 45. 47. *).

Ceterum ne quis putet, apostolos penitus perspexisse de regno coelesti institutionem, quae per parabolas fiebat, et hac in re multum superasse

*) Nonnulla, sed parum subtilia de hac causa leguntur ap. LIMBURG-BROUWER. p. 122 sq. et SCHOLTEN. p. 92 sq. 127 sq. Nam UNGERI disputationes nondum vidi. Add. praeter GROTIUM, PAULUM et KUINOELIUM in *Comm.* ad h. l. quae habet MORUS, vir desideratissimae inter interpretes etiam memoriae, *Diss. theol. et philol.* p. 391 sq.

populi captum, haec talia velim accuratissime perpendat.

Sec. *Mtth.* 13, 10. non requirunt discipuli a doctore parabolae, modo expositae, explanationem, sed de fine huius dicendi generis quaerunt. Quibus ille: *ὅτι ὑμῖν*, inquit, *δέδοται γνῶναι τὰ μυστήρια τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, ἐκείνοις δὲ οὐ δέδοται* *). *Ὅστις γὰρ ἔχει, δοθήσεται αὐτῷ καὶ περισσευθήσεται· ὅστις δὲ οὐκ ἔχει, καὶ ὃ ἔχει, ἀρθήσεται ἀπ' αὐτοῦ.* Hoc voluit: vestra animi indoles talis est, voluntas rationesque ceterae tales, ut possitis vel absconditas, subtiles, planeque novas doctrinae de coelorum regno partes **) (sua sponte, Christove duce?) perspicere: illis vero (plebi promiscuae) hoc negatum est. Negatum est non a Christo, quasi is celare decreverit populares luculentiorem rerum divinarum Messianarumque scientiam, et immani consilio hoc tentaverit, ne miserum vulgus unquam sapere audeat, sed negatum est a perversis cupiditatibus, quibus agitantur, a mentis acie obcaecata inveteratis erroribus, a quotidianis in pristinos errores incidendi periculis, brevi, si talia sensu latissimo naturam vis dicere, sane a natura. — Tamen non despe-

*) Cf. simillimam vocem 19, 11: *οὐ πάντες χωροῦσι τὸν λόγον τοῦτον: ἀλλ' οἷς δέδοται.* Ceterum vim enuntiati: *ὑμῖν δέδοται* etc. felicissime expedivit Morus l. c. cuius apponam verba: His Esotericis concessum erat, talia perspicere, h. e. ea erant conditione, ut possent facilius perspicere. Nam modus loquendi: *non concessum est illi hoc*, significat: ille hoc non potest facere, accipere, propter *περιστάσεις* animi, corporis, rerumque externarum.

**) *Μυστήρια* velim *subtilius* perpendant, qualia sint, quam ad hoc tempus factum video. Nonne enim vel in hac voce inest, *nova et hactenus inaudita esse proposita?*

rat de meliori fruge quondam percipienda, nam si desperasset, putasne temerario labore docteris tanto cum gaudio fuisse perfuncturum? — Paradoxi autem, quod in proverbio fuit, ὅστις γὰρ etc. sensum, huic nexui aptissimum, hunc statuo: ut doctrina (sublimior praesertim, nova, innumerisque inimica erroribus) recipiatur animoque et menti insedeat, ut verum latius pateat, opus esse aliqua veri notitia, cui alia atque alia superstruantur: qui vero hac quamvis exigua veri cognitione careat, eum credibile esse, vel nativum veri sensum, unicuique a natura datum, ad maiora acquirenda, esse amissurum. —

Nihilo minus Iesus v. 18. discipulis explicat similitudinem, quasi nondum potuissent expedire. Et v. 36. ipsi requirunt interpretationem parabolae, cl. v. 51. συνήκατε ταῦτα πάντα. Et haec cum v. 16. 17. non plane conspirare videntur. Accedit, quod aliis in locis v. c. Mtth. 15, 16. in eadem causa conqueritur Dominus tardum apostolorum intellectum.

Magis haec confirmantur *Marci* relatione, qui in ea re discedit a Matthaeo, quod discipulos tradat statim post primae parabolae expositionem seorsum Christo quaestionem de sensu dicti proposuisse 4, 10. Quam Iesus adeo aegre tulit, ut his verbis in eos inveheretur: οὐκ οἴδατε τὴν παραβολὴν ταύτην; καὶ πῶς πάσας τὰς παραβολὰς γνώσεσθε; Nihilo minus huic eorum desiderio non nunc tantum, sed saepius satis fecit v. 34. χωρὶς δὲ παραβολῆς οὐκ ἐλάλει αὐτοῖς· κατ' ἰδίαν δὲ τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ ἐπέλυε πάντα. Ergo haec facultas parabolicam disciplinam assequendi arctis erat limitibus adscripta.

Hae similitudines ita sunt comparatae, ut prima lineamenta ducant doctrinae de regno dei, et

huius instituti unici atque admirandi quandam quasi adumbrationem exhibeant.

Primum Mtth. 13, 1—9. Mc. 4, 1—9. Luc. 8, 4—8. collatione de semine in agros *e natura soli Palaestinensis* variae indolis non eodem eventu sparso describit doctrinae a se propositae inter varia hominum genera sortem variam. In hac oratione neque usum vitae multum, neque verum et rei naturae perquam consentaneum augurium desiderabis. Denotantur haec hominum genera. Primo loco praesagit sibi auditores pessimae frugis, in deterrimis toti habitantes cupiditatibus, Satanae imperio subditos. Hi, ne e sua potestate exeant, curabit Diabolus. Sequuntur homines, non omnino mali, promto animo recipientes doctrinam, at fundum boni non habentes, aliquo veri honestique sensu instructi, quem tamen ut certo iudicio vitaque iudicio consentanea corroborent, adduci non possunt. His finitimi sunt homines rerum mundanarum studio capti, imo abrepti, ideoque coelestibus negotiis, quae vix primis quasi labris attigerunt, inhabiles. Denique memorantur natura boni et bonae indolis augendae firmandaeque sincerissimo studio flagrantes, fructus et laetissimos et uberrimos perceptae doctrinae ferentes. — Multiplices esse gradus, has inter classes medios iacentes naturae nostrae, credo nec negare nunc quemquam; nec negavisse Christum, praesertim cum, de quo *extremo* loco disserit, hominum genus diverso fructuum proventu ipse distinxerit. — Ceterum haec, quo tutius credi possint, sensum exhaurire parabolae, facit ἐπιμύθιον Mtth. 13, 18—23. Mc. 4, 14—20. Luc. 8, 11—15., *externum* interpretationis praesidium. — Verum quid inde ad illustrandam nostram causam sequatur, quaeris? Tene summam. Rem dicit de regno dei doctrinam (ὁ λόγος τῆς βασιλείας Mtth. 19, 18.) quae bo-

nam indolem anquirat, nec omnibus acceptam futuram, nec omni plausu carituram, inter interna atque externa impedimenta in hac mortali vita serpentem. Quae ut acrius descenderent in animum auditorum, et itentidem cogitatione volutarentur, epilogum hunc addidit: (Mtth. 13, 9: Mc. 4, 9. Luc. 8, 8.): ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω!

Gemini argumenti est, quae a *Matthaeo* adnectitur, collatio (v. 24—30.*) cl. ἐπιμυθίῳ a Iesu solis discipulis praesentibus subiuncto v. 36—43.) de bono semine in eodem agro intersperso loliis, non ante messis tempus metu, ne segeti sincerae officiatur, exstirpandis. Quibus hanc sublimiorem sententiam voluit expressam. Talis est exspectatio coetus Messiani, ut ad eum implendum accessuri sint una cum bonis homines nefarii, a diabolo, perpetuo et acerrimo rei Messianae adversario subornati. Qui magnopere cavendum sit, ne praematuro studio ab adiutoribus regis theocratici (rei Messianae doctoribus et administris) e societate recens condita inhabiles socii removeantur. Fore enim periculum, ut non satis prudenter talis delectus instituatur, et ne bonis quidem parcatur. (V. 29. 30. hoc etiam inesse videtur, *otium esse concedendum novi instituti sectatoribus, ut resipiscant.*) Neque tamen secretionem bonorum ab improbis a Messia eiusque regno perpetuo alienam fore. Sed redire talis iudicii provinciam ad Messiam eiusque ministros, angelos, et ei quidem tempori adsignandam esse, quo sit adventurus, ut huic rerum humanarum conditioni finem imponat (ἐν τῇ συντελείᾳ τοῦ αἰῶνος sc. τούτου**)) novusque seculorum or-

*) Hic *primum* obvia formula: ὡμοιώθη ἡ βασ. τ. οὐρ. quae solet praemitti, ut, quo tendant collationes, perspiciatur. Cf. 18, 23. 22, 2. Verte: *similes sunt regni divini rationes*, ei, quod evenit homini etc.

**) Hoc verbum, cui ne satis quidem aptum in V. T.

do sit auspicandus. Tum suum cuique datum iri. — Quae res quum ad eam disputationis partem pertineat, quae est de tempore, quo adventurus sit Christus, deque ceteris rebus, cum hoc reditu coniunctis, nunc, ne argumentum posthac copiose tractandum, praeripuisse videamur, his satis sit animum advertisse, quibus videatur *universe* auditorum animos occupasse.

a. Opponuntur sibi regnum diaboli et regnum dei, *οἱ υἱοὶ τῆς βασιλείας*, Messiae sectatores (*non tantum* Iudaei), potissimo iure ad civitatem obtinendam instructi, et *οἱ υἱοὶ τοῦ πονηροῦ* v. 38. *τὰ σκάνδαλα*, *οἱ ποιοῦντες τὴν ἀνομίαν*, et *οἱ δίκαιοι* v. 41. 43. illi praemiis ornandi et in regnum patris recipiendi v. 43. hi extremis afficiendi suppliciis v. 42.

b. Communio haec *in his terris* auspicanda, non erit labis expers, non purissima. Praevidit rei Messianae caput, eius potiundae cupidos fore non tantum bonos, sed item malos et parum confirmatos, quibus vetat mala sedulitate aditum negari, tum, ne saepe erretur, et hi quoque, qui etsi non optimi sint, tamen non sint mali, a coetu excludantur, tum, ut quam plurimi adducantur ad societatem unam omnium optabilem (id quod in sequentibus varia similitudine indicat), quibus quidem occasio non desit improbis, bonorum exemplo resipiscendi.

Id idem argumentum tractat brevior parabola, Matthaeo peculiaris solisque apostolis privatos inter

---

reperitur, tenendum est, non nisi apud *Matthaeum* 13, 39. 40. 49. 24, 3. 28, 20. et auctorem *ep. ad Hebraeos* 9, 26. scriptores prae ceteris Iudaizantes, reperiri. Inesse ei vestigia notissimi Iudaeis serioribus discriminis inter עוֹלָם הַזֶּה et עוֹלָם הַבָּא nemo non videt. Fusius de his ad locum de *παρουσίᾳ* dicendum.

parietes (v. 36.) proposita v. 47—50. de reti piscatorio, variae indolis pisces continente, ulteriori delectui destinatos. Res vero, ad quam res excelsior similitudine confertur, quam sapienter petita ex actionibus vitae, *piscatoribus* familiaris, coram quibus verba faciebat Servator!

Caeterae breviores similitudines (ὁμοιώσεις Origenis), quae his vel subiunctae, vel interpositae leguntur, tum plebi promiscuae, tum apostolis propositae, *latioris* illae argumenti, partim *praestantiam* huius regni, cui posthabendum sit, quidquid in ardentissimis votis et rebus carissimis collocari solet, non uno modo declarant, partim *spectabilia a contemtis initiis incrementa* vividis coloribus depingunt, partim eximiam *vim in mutanda funditus hominum sentiendi ratione* conspicuam indicant. E priore genere sunt collationes de thesauro, in agro abscondito Mtth. 13, 44. de mercatore, pretiosissimum unionem emente v. 45. 46. ad genus alterum pertinet de grano sinapis dictum v. 31. 32. cf. Mc. 4, 30—32. Luc. 13, 18. 19. Tertii denique generis est de fermento massam farinaceam perstringente similitudo. v. 33. Luc. 13, 20. 21.

Longo recensui parabolarum *) alia breviore locutione ap. Mtth. v. 51. 52. finem imponit, quae

---

*) E Matthaei v. 35. mente huic etiam docendi rationi Christus se dedit, ut antiquo vaticinio (ψ. 78, 2.) satisfieret. Fecit hoc more suo Matthaeus, neque quidquam exinde effeceris, nisi alia argumenta adfuerint, ad stabiliendam sententiam hanc: *multas variorum temporum parabolas ab Evangelista congestas esse, ut insigne aliquod parabolicae dictionis Messianae* exemplum exhiberet. — Ceterum v. 34. ταῦτα πάντα ἐλάλησεν ὁ Ἰησοῦς ἐν παραβολαῖς τοῖς ὄχλοις καὶ χωρὶς παραβολῆς οὐκ ἐλάλει αὐτοῖς non universe dicta videri, sed restringenda esse ad id temporis, de quo modo verba fecerat Evangelista, monuit Fritzschius in *Comm.* ad h. l. Verum concedatur, in *hoc* Evangelista dubiam manere in-

apostolis, futuris novi instituti praeconibus, *potissimum* destinatas fuisse declarat. Vult enim, eum, qui recte doctus sit naturam regni coelestis (cf. de voc. μαθητευθεὶς Suicer. *thes. eccles.* II. 286.) in eaque tradenda aliis rite versari cupiat, non tantum diu cognita praecepta, sed *novam* etiam *disciplinam* proferre *). Quibus verbis non *varietate tradendi* morum praecepta resque divinas distare dixit suae disciplinae alumnos a Pharisaeis (hi enim dexteritate in docendo non carebant), sed *reapse* et rerum a se traditarum natura.

Quo minus autem has parabolas uno tenore nec longioribus intervallis enuntiatas esse credamus; quod multis interpretibus vix credibile est visum; nihil impedire nobis videtur, imo, si *internam* argumenti *cognationem* rite spectaveris, a vero proxime abest **). Contraria certe sententia invictis

---

terpretationem, *Marci* tamen verba quod attinet (4, 33. 34. καὶ τοιαύταις παραβολαῖς πολλαῖς ἐλάλει αὐτοῖς τὸν λόγον, καθὼς ἠδύναντο ἀκούειν. Χωρὶς δὲ παραβολῆς οὐκ ἐλάλει αὐτοῖς· κατ' ἰδίαν δὲ τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ ἐπέλυε τὰ πάντα.) non possum, quin plane assentiar Ungero l. c. p. 75. in eum sensum dicta accipienti, ut Christi *consuetudinem* hoc dicendi genere utendi describant populariter neque cum pulvisculo sint excutienda. Nam apertam alias orationem a Christo fuisse adhibitam, nec Marcus negatum voluit. Temere Chrysostomus aliique ante χωρὶς supplent: ἀλλὰ τότε οὐδέν.

*) Antiquiores interpretes (v. Wolf. in *Cur.* ad h. l.) καινὰ καὶ παλαιὰ *de V. ac. N. T.* explicantes, a recta quidem via deflexerunt. Minus tamen placent recentiores, quorum agmen ducit Grotius, de sola tradendi praecepta regni coelestis varietate s. de *formali disciplina*, non de *novo* rerum traditarum *argumento* intelligi iubentes. Verum vidit Vaterus in *edit. N. T.* ad h. l.

**) Certe quod non omnes eodem loco apud Lucam Marcumque legantur, id non offendet reputantem, bis et saepius easdem collationes variata paululum forma, materia integra, diversis occasionibus a do-

argumentis non poterit doceri. Quidquid tandem verosimilius videbitur, ad nostram causam illustrandam minoris hoc erit ponderis. Satis sit docuisse, tali genere dicendi effecisse Christum, ut suspensi tenerentur animi cupidissimique redderentur rerum antehac inauditarum (τὰ μυστήρια) percipiendarum, avide item expeterent adventum regni, quod assereret doctor summus esse habendum in re carissima, unica, magnorum effectuum motuumque causa.

At in his minime acquievit Servator. Imo qualia nunc quasi per transennam dispiciebant, ea erant identidem et quidem *dilucidius* recolenda et *per partes* describenda. Hinc saepius ad parabolicam dictionem rediit, ubi singula doctrinae de divino regno capita illustrabat. Has quidem et longe gravissimas et numero plures similitudines suis quasque locis dispensandas nunc intactas relinquemus, ne videamur, secus facientes, ipsi nobis non satis constitisse et in alienum fundum invasisse.

Omnium vero frequentissime in eo loco, qui est de indole atque officiis civium theocratiae Messianae, illustrando doctor summus figuratum hunc disserendi modum in usum vocavisse dicendus est. De quo jam ex instituto nobis agendum. —

ctore divino potuisse proferri prolatasque grate excipi. De consensu mirifico scriptorum evangelicorum in his, quas *communes* habent, parabolis, deque eorum et Iesu ipsius *referendi simplicitate*, verbis modo magis, modo minus servatis, apte disputavit Unoerus l. c. p. 69 sq. Consilium, quo de industria has oratiunculas composuerit Matthaeus, nec ego possum detegere certum, multo etiam minus series quaedam continua et meditata ex eo, quo nunc leguntur, ordine poterit sine artificiis duci. Ad quam rem infra redeundum.

PARS VI.

DE INDOLE ATQUE OFFICIIS CIVIUM THEOCRATIAE MESSIANAE *).

Regni cuiusvis indoles non cernitur tantum e dignitate principis, sed item ex eorum, qui ei adscribuntur, natura morumque conformatione. Quare nobis ante omnia videndum, *quales* Iesus Christus, quem Messianum sibi principatum vere sincereque tribuisse multis supra ostensum est, imperii propediem augurandi consortes esse voluerit, quanam officiorum religione obstrinxerit, animi mentisque quemnam quasi habitum necessarium iudicaverit ad civitatem in novo coetu impetrandam et Messiana bona perfruenda. — Inde certissime iudicabis de eius doctrinae cum Pharisaeorum scholarumque et vulgi de rebus Messianis commentis atque fabulis vel consensione vel repugnantia. —

Et, quid Domino in hac causa primarium fuerit visum, divinando et nos et Iesu aequales credo facile adsequutos esse, vocem eius percipientes, qua doctoris munus auspicatus est (Mtth. 4, 17. cl. Mc. 1, 15.): μετανοεῖτε, ἤγγικε γὰρ ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν. Nam eum quidem, qui, Ioanne Baptista praeeunte, requirebat severam et

*) Plura huc pertinentia reperiuntur in Diss. sic inscripta: *Explanatio loci Matth. 5, 3. μακάριοι οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι et proxime sequentium aliquot sententiarum* etc. in Knappii *Scr. var. arg. max. partem exegetici atque historici* II. p. 351—380. ed. 2.

dignissimam, ad digne excipiendam rem tantam, Messianam, animi sensorum in melius mutationem, exspectarine poterat, perversas superstitiosasque opiniones, ut de maiorum in deum meritis posteritati multum profuturis, ut de pietatis signis externis genuinae pietatis vicariis, ut de sacrorum rituum accuratissima cognitione et usu virtute maioribus (quippe facilioribus!), ut de factis, non re, sed nomine honestis, recta videlicet honestaque agentium voluntate destitutis, et similes, quales plebi proceribusque Iudaeorum acceptae diuturnoque usu verissimae videbantur, sua disciplina et vita aliturum aucturumque esse?

Imo alia omnia docet cordatos lectores divina oratio, in monte Galilaeae e *Matthaei* (cap. 5—7.) relatione habita. Quod quidem monumentum, sempiterna memoria dignissimum, utrum ex orationum variis locis aetatibusque variis habitarum quasi disiectis membris in unum corpus suis apte constans articulis redegerit Scriptor historiae Iesu, et huic loco non sine causa inseruerit, aut negare praefracte aut affirmare, arrogantioris nobis videtur, quam veri amantioris interpretis. Pugnant in utramque partem multi et idonei interpretes: quorum tamen nonnullos magis memores esse velim, non de re evidentibus argumentis ad liquidum perducenda, sed plus minusve probabilibus coniecturis assequenda, agi, et eius vocis, quam plurimis in causis Iureconsulti recte iactant: *neganti incumbere probationem.* Ut quid sentiam, dicam: mihi neque internus sententiose conciseque dictorum nexus, in tali genere dicendi non nostrarum subtilitate scholarum curandus, nec ambitus orationis, a Christi consuetudine (si comparaveris extremas c. 24. 25. orationes longioresque sermones, ad apostolos in discessu apud Ioannem conversos c. 13, 31 — c. 17. quaecunque tandem sit de *forma* horum, quos

posteriore loco posui, accurate servata sententia;) non alienus, neque ratio doctoris munus profitendi, a Christo inita, quae anquirebat potius, quam repudiabat tam latum sermonem, nec ceterae libri Matthaeiani rationes, quas crepant, internae hoc iubere videntur, ut hunc sermonem, nativa sublimitate insignem et etiamnum gravitate concinnitateque dictorum, ἐκπλήττοντα τοὺς ὄχλους (Mtth. 7, 28.) ordine suo eximendum et in varias, nescimus quot quantasque particulas, diluendum arbitremur. *)

Quae vero generis *eiusdem* Lucas Marcusque aliis dispersa locis exhibent, regulae instar sine temeritate esse non possunt, tum ob alias causas, tum, quod summum est, propterea, quod *nunquam* poterit argumentis evinci, sententias easdem non potuisse *bis saepiusque* in causa eadem, occasione et tempore ac loco diversis, advocari et quidem cum fructu.

Sed haec fusius tractare, cum huius loci non sit, manum de tabula! —

Iuvat enim propius causam principem illustrare. Montem igitur, *Matthaeo* referente, cum adscendisset Christus, vidissetque ad se confluentem magnam vim afflictorum, aerumnosae vitae vicissitudinibus vexatorum magnisque malis laborantium hominum: quales et optet et deligat regni Messiani cives, non tecte dixit, ita exorsus sermonem: μακάριοι οἱ πτωχοὶ τῷ πνεύματι, ὅτι αὐτῶν ἐστιν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν.

---

*) Praeter alios satis sit relegavisse lectores ad librum aureum D. Schulzii: *d. chr. Lehre v. h. Abendm.* p. 313 sq. et ad ea, quae nimia subinde verbositate, contra monita sunt ab Heydenreichio in diatr.: *Bemerkgn. üb. einige unlängst erregte Zweifel an der Authentie u. d. apost. Ursprung d. Evg. Matthaei* in Winer. *Diar. crit.* III. 414 sq.

De cuius sensu enuntiationis quantis sit litibus decertatum ab omnium aetatum interpretibus, neminem fugit peritum. Nos, quid vero videatur simillimum, ex historiis internisve rei Hebraeorum publicae rationibus repetentes, nova explanationi aliis per partem debitae argumenta addentes, candide dicemus. Lucae vero dissensio, qui in eadem, uti videtur, oratione, tradit Servatorem *simpliciter* praedicasse beatos *τοὺς πτωχοὺς, ὅτι αὐτῶν ἐστιν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν*, quomodo componenda sit, statim subiungendum.

Constat, vetustiorum prophetarum nobilissimum, Iesaiam, optimatum luxuriem, insolentiam, in iure dicundo perfidiam erga hos, qui deteriore loco essent constituti, non apertius fassum, quam acerbius conquestum esse. Nec minores aerumnas perpessi, qui barbarorum ludibriis obnoxii numinisque patrocinio exules orbati sibi videbantur. Avitarum legum tenaces, prophetis dicto audientes, oportebat eos exterorum impotentem tyrannidem, una cum opulentiorum insolentia popularium, qui barbara sacra barbarosque mores amplexati fuerant, experiri. Horum misera sors e *Ieremiae* querelis nota. Inde explices hominum genus, in Psalmis prophetisque saepius obvium, חֲסִדִים, עֲנָוִים, עֲנִיִּים, אֶבְיוֹנִים geminisque vocabulis dicti. Cf. ψ. 12, 2 sq. ψ. 137. 139. (inprimis a v. 19. ad fin.) Mich. 7, 2. Cohel. 7, 15. Dan. 3. 6. Ies. 57, 1. (et Gesen. ad h. l.) Sensim igitur adsueverunt animi sententiae, non verae, sed vero proximae, luculentisque *exemplis* confirmatae, *paupertatem modestiae veraeque pietati esse coniunctissimam, officere divitias animorum saluti earumque usu ad vitam libidinibus deditam flagitiorumque sordibus inquinatam ferri mortales.* Cf. Ies. 2, 7 sq. 53, 9. et ad utrumque l. Gesen. Mich. 6, 12.

Prov. 18, 23. et Iob. 27, 19. cl. v. 8. 10. Exilii tempore utraque notio in unam coepit coalescere; nam Ies. 53, 9. עָשִׁיר et רָשָׁע in *parall. synonym.* leguntur *). Gemina est *Siracidae* sententia 20, 21. *ἔστι κωλυόμενος ἁμαρτάνειν ἀπὸ ἐνδείας καὶ ἐν τῇ ἀναπαύσει αὐτοῦ οὐ **) κατανυγήσεται* ***).

Nec erat, Christo vivente, ea rerum Iudaicarum forma, quae hos, in quorum animis radices egerat haec sentiendi ratio, erroris convinceret. Nam, qui principatum rerum civilium atque sacrarum tenebant, rerum copia diffluentes, legis periti, sacerdotes, Romanarumque partium prudentiores, quam sinceriores adsectatores; satis illi se instructos animi bonis putabant, pietatemque magna non sine

---

*) Ingeniosa sunt verba LUTHERI *Opp.* T. VI. (*Altenb.*) f. 369. a. in explicatione c. LIII. Iesaiae: *Wie ein Reicher. Die hebräische Sprache hat also ihre Art zu reden, wiewohl dunkel genug, dass ein Reicher so viel heisst, als ein gottloser Mensch. Solche Weise und Brauch ist vielleicht daher gerathen, weil die reichen Wänste gemeiniglich gottlose Leute sind; also nennt Christus den Reichthum im Evangelio auch den unrechten Mammon. It. Ein Reicher wird schwerlich in's Himmelreich kommen. Darum giebt der heilige Prophet zu verstehen, dass Christus also hingerichtet und gestorben sey, wie ein Aufrührerischer, Gottloser und Verführer. Weil aber unser Herr Jesus Christus eben also gestorben ist, (wie Esaias hier seinen Tod verkündiget) so ist es eine genugsame Beweisung, dass er sey eben der wahrhaftige Messias.* — Et in. *comm. super Genes.* c. XXV. T. IX. (*Altenb.*) f. 745. b.: *Jesaiae am 53. Cap. werden die Reichen anstatt der Gottlosen gesetzt, darum dass zwischen einem Reichen und Gottlosen kein Unterschied ist, wo es ohne den heiligen Geist ist, und sie nicht gottselig und gläubig sind.* —

**) Οὐ contra sensus facilitatem et nexum male a nonnullis exterminatum. Cf. BRETSCHNEIDER. ad h. l.

***) Alia exterorum scriptorum, Graecorum inprimis poëtarum dicta congessit GROTIUS ad Matth. 6, 3.

pompa simulantes, fallebant plebem, quo tutius insanam imperandi animis libidine cupiditatem explerent, et in clandestina flagitia incumberent. Iidem ingenti vectigalium ineptissimarumque legum mole vulgum recto libertatis usu privare et in durissimam mentis servitutem adducere conabantur, quamvis a strenua eorum, quae aliis inculcabant, observatione, ut fit, plurimum abhorrerent ipsi, Luc. 11, 46. Hoc tale iugum nemini non grave, credibile est aegerrime sustinuisse prae ceteris eos, qui in summa rerum egestate versantes, magna inter mala morum simplicitatem animique modestiam vita factisque referre studebant et salutarem reipublicae immutationem una cum correctione morum a sospitatore venturo perficiendam avide non magis quam pie exspectabant. (*Leidende und Arme des Volks, welche die theokratische Hoffnung in ihren edleren Theilen beharrlich festhielten, und sich durch grössere Sittenreinheit auszeichneten: Stille im Lande.*) Tales maxime fuisse videntur, quos *Matthaeus* vocat πτωχοὺς τῷ πνεύματι. Iam *primum*, quare ita ordinanda iudicemus verba: τῷ πνεύματι, e linguae usu atque connexa oratione docendum, *dein* quale hominum genus nobis videatur significari apud Matthaeum, rursum e sermonis nexusque legibus eruendum, *denique*, quid moverit Lucam, ut *simplicius* Christum traderet beatos praedicantem regnoque dei habiles iudicantem *pauperes*) ex historiis evangelicis et usu dicendi primaevae aetatis christianae diiudicandum.

I. Simplicissima et necessaria haec ratio est, ut τῷ πνεύματι proxime antecedenti πτωχοὶ iungatur vertaturque: *pauperes animo* *), non ad *re-*

*) Ita h. verba copulavere Syrus, *Latinarum versionum auctores*, veterumque quam plurimi, nostra aetate Kuinoelius, Knappius. Gratzius, Fritzschius aliique multi.

motius *μακάριοι* trahatur, ut genus et indoles felicitatis distincte designetur h. m.: *quoad animum beati* sunt pauperes*). Nam**) a. Hebraei et Chaldaei, אַשְׁרֵי et טוֹבֵי ponentes, genus indolemve beatitatis, ad corpus ea animumve spectet, non denotant accuratius. Nec in seqq. *μακαρισμοῖς* quidquam additum habes, quo ad *animum* eos maxime referendos esse, apertis sit verbis indicatum. — b. De animi humani affectione quadam aut habitu exponentes Hebraei et Aramaei, huiusque naturam informantes, adjectiva et participia, in statu constructo posita, vocc. לֵב et רוּחַ ita solent adnectere, ut cum his tanquam in unum nomen coalescant. Ita obvium est שְׁפַל רוּחַ Prov. 29, 23. Ies. 57, 15. גְּבַהּ לֵב Cohel. 7, 9. (al. 8.) גְּבַהּ רוּחַ Prov. 16, 5. al. et in N. T. cuius inde usus fluxit: καθαροὶ τῇ καρδίᾳ Mtth. 5, 8. (ubi nemo ad h. diem interpretum τῇ καρδίᾳ cum *μακάριοι* consociavit) ταπεινὸς τῇ καρδίᾳ 11, 29. ζέων τῷ πνεύματι Act. 18, 25. ἀπεριτμητοὶ τῇ καρδίᾳ Act. 7, 51. τῷ πνεύματι ζέοντες Rom. 12, 11. ἁγία καὶ σώματι καὶ πνεύματι 1 Cor. 7, 34. al. — c. Si *animo beatos* dicere voluisset pauperes Matthaeus, scripsisset haud dubie ex more Iudaeorum Graece loquentium, qui alia verborum structura, *nulli ambiguitati obnoxia*, utuntur: *μακάριοι τὰ πνεῦμα*, *μακαρία ἡ ψυχὴ τῶν πτωχῶν*, a *dandi casu*, in tali verborum collocatione parum apto, abstinuisset, ut est apud Sir. 31, (al. 34.) 15.

*) Placuit hoc recentiore aetate Oleario, Oedero, Heumanno, Bruckero, I. D. Michaeli, Rosenmuellero, Paulo aliisque.

**) In his b. Knappium (l. c. p. 355 sq.), quem praeceptorem nobis in re exegetica contigisse, etiamnum laetamur, ducem sequuti sumus; ita tamen, ut argumenta et in brevius contraheremus et novis subinde augeremus.

φοβουμένου τὸν κύριον μακαρία ἡ ψυχή. — d. Ut vitaret errorem in legentium animis, scribere Matthaeum oportuisset: μακάριοι τῷ πνεύματι οἱ πτωχοί. Nam quod PAULUS dixit ipsa fortiore voce τῷ πνεύματι quorsum pertineret, notatum esse, debebat scriptor, quod voce uti non posset, ipsa locatione certo esse indicio, quae verba mente atque cogitatione essent comprehendenda *).

II. Hoc stabilito et fixo, in potestate, formulae τῶν πτωχῶν τῷ πνεύματι subiicienda, multo minus a *certo linguae usu* sunt profecti interpretes, quam in divinando et *probabili* aliquo *sensu* assequendo substiterunt, ita ut multo magis, quid prope absit a vero, suspicarentur, quam, quae unica vera sit explicatio, evidentibus rationibus docerent. Eo pertinent omnes, qui hac dicendi forma designari putant homines contristatos (*innerlich Leidende, herzlich Betrübte*) *demissos animo, modestos, candidos, humiles, suaeque sibi tenuitatis conscios* **) (*geistlich Leidende, geistlicher Hülfe Bedürfniss Fühlende, Arme im Geist oder im sittlichen Bewusstseyn, entgegengesetzt den Armen im Fleisch*), *voluntate pauperes* ***) (quale postremum si dicere voluisset Matthaeus haud dubie luculentiore voce, ut τῇ προαιρέσει aut simili usus fuisset). Talia non *stricte* insunt in verbis. Imo pendet vera explanatio a recta explicatione voc.

*) Ut scite observatum est a FRITZSCHIO in *Comm.* ad h. l.

**) In hunc similemve modum haec verba libuit liberius παραφράζειν, quem explicare subtilitate grammatica KNAPPIO, DE WETTIO (tribus in scriptis cf. l. *Christl. Sittenl.* I. 246 sq.) KUINOELIO, GRATZIO (in *Comm. in Mtth.* l. c.) aliisque.

***) Vix digna est, quae memoretur mira ratio WETSTENII, explanantis: beati sunt *iudice* spiritu divino, recte refutata hoc uno argumento a FRITZSCHIO, quod tales, qui adepturi essent Messiani regni gaudia et sibi ipsis beati viderentur.

πνεύματος. Et plurimi quidem *spiritus feroces, elatos, superbos* intelligi iubent, quibus egere dicatur hoc, quod in beatis ponitur, hominum genus. Hanc tamen rationem nuperrime reprehendit Fritzschius, hoc usus argumento, quod in nulla lingua, qui non obnoxius sit vitio, qualis est superbia, *eo pauper* appelletur, sed dicatur pauper iis rebus, quae ornamenta afferunt, ut virtute. Itaque suadet aliam explicationem, ut intelligantur *homines ingenio et eruditione parum florentes.* Ille tamen verbis magis quam re a vulgata sententia dissidere videtur. Incidit enim in novas difficultates. Nam si homines non tantum doctrina (quod facile ferretur), sed etiam ingenio, quo nemo sine magno bonae causae detrimento caret, destitutos Christo imprimis caros, regnoque divino habiles iudicatos esse contendas, cave, ne ad Iuliani imperatoris cavillationes facile relabaris, qui in *pauperibus ingenio*, quos Dominus elegerit, tantopere nec iniuria offensus est. Quis enim *egestatem infirmitatemque ingenii* in laude ponit? Quin haec alio et faciliore modo expediri possunt: orationis enim de monte habitae consilium antipharisaicum, nexus, linguaeque leges postulant, ut voc. *πνεύματι* (uti pariter in hebr. רוּחַ factum videmus) *arctiorem* ambitum tribuamus, non quodvis, sed tortuosum et corruptum insolentia perversaque sapientia Pharisaeorum ingenium, eruditionem vanam et solidis fructibus carentem intelligentes. — Nec debet silentio praetermitti, Iesum verba Iesaiana (61, 1 sq.) respexisse videri, quibus in synagoga Nazarethana manifesto ita est usus, ut se ad pauperes laeto nuntio recreandos missum esse confiteretur. Luc. 4, 18.

III. Iam si hoc sensu τοὺς πτωχοὺς τῷ πνεύματι apud *Matthaeum* acceperis, quaeritur, num falsa sit *Lucae* descriptio, qui 6, 20. τοὺς πτωχοὺς

beatos a Servatore fuisse praedicatos simpliciter scribit. Et falsam esse, existimarunt doctissimi homines, argumentis usi talibus: a Luca, parum accurato auditore, remotius stante ab oratore, facillime, aliis oblivione praetermissis, subiunctis aliis, alium factum esse sermonem, imo corruptum, quippe qui, paganis potius quam Iudaeis scribens, et quidem seriori aetate, respectum neglexerit Domini ad Pharisaicum ingenium, de suo etiam addiderit illa οὐαὶ, quae μακαρισμοῖς antegressis mente Lucae, non Iesu responderint *). Paupertatem aeque ac divitias per se neque laudanda, neque in vitio esse ponenda, cum nec bonum nec malum quemquam faciant, nec idoneum reddant regno dei, neque illo excludant. Inferri disciplinae christianae ab his, qui secus statuant, severitatem nimiam, ideoque ineptam, omnia enim vel in iure regni Messiani adipiscendo a *sentiendi ratione*, qua quis vel inter abundantiam vel inter egestatem utatur, suspensa esse.

Verius haec dicta forent, si ex parte minus *coniecturis* niterentur, quibus, si alia subsunt interpretandi subsidia, abstinere decet sobrium interpretem. Equidem, ut dicam, quod sentiam, fateor, dissensum inter utrumque commentariorum Iesu scriptorem speciosum magis, quam verum et gravem mihi videri. Nam, qui ingenio erant simplici (non elato) eruditione nulla (igitur ne perversa quidem iudaicorum doctorum), iidem erant, teste harum aetatum historia, opibus carentes, egeni, rursumque qui in pauperibus habebantur, mentis animique indolem a fastu et exitiosa Pharisaeorum sapientia, inter opulentiam nata, alienissimam prae

*) Cf. Schleiermacher. *üb. d. Schrift d. Lukas.* I. 90. Eodem inclinat de Wettius *christl. Sittenl.* I. 247 sq. Cf. etiam Gratz. l. c.

se ferebant. Inde fit, ut *πτωχοὶ τῷ πνεύματι* sint = *πτωχοὶ*. Iam, *utra* formula vere usus fuerit Redemtor in hoc, qui montanus vocatur, sermone instituendo, id in defectu aliorum vestigiorum in medio debet relinqui: hoc debet iterum iterumque urgeri, quamcunque tandem vocem ediderit, ad simillimam imo eundem sensum ex historica interpretatione redire. *Atque intra hos fines critico indagatori subsistendum est.* —

Verum alia restant, ad hanc causam gravissimam penitus illustrandam. Scilicet nostra maxime aetate *), intellectum est, Iesum Christum et in eligendis regni sui civibus, et in sermone populari proponendo multum dedisse paupertati, pauperibus hominibus in paucis favisse, divitias ingenti impedimento doctrinae suae recte percipiendae iudicavisse. Esse hoc in consuetudine *Lucae*, ut doctrinam *de beatitate pauperum, regni coelestis consortio et beneficiis prae ceteris dignorum*, reliquis distinctius atque amantius commentariorum de Iesu vita scriptoribus, prima in luce collocet, sermones Domini ad hunc finem vel in brevius contrahat, vel dilatet, brevi, suam subinde verius, quam Christi de fugiendo divitiarum amore, deque amplexanda pauperum modesta et humiliore sentiendi ratione opinionem prodat, argumentis specie quadam veri arridentibus comprobare studuit Celeberr. Schulzius, a quo homine praeclaro ut nunc dissideam, iterata et diligens causae huius consideratio effecit. Sed, ne in alienum agrum invadam, satis habebo, ea enotavisse, quae, cum tribus prioribus

*) Hoc argumentum primus, quantum novi, occupavit uberiusque explicuit Ven. D. Schulzius in praeclaro libello: *üb. d. Parabel v. Verwalter Luc.* 16, 1 sq. (*Bresl.* 821.) p. 22 sq. quibuscum conferenda sunt, quae contra monuit Conjunctiss. Niednerus *de l. Luc.* 16, 1—13. *diss.* (Lips. 826.) p. 129 sq.

de vita Iesu scriptoribus communia sint atque familiaria, summam eius doctrinae brevi in conspectu possint, ita ut, num aliqua sit *Lucae* discrepans ratio, per omnem eius librum aequabiliter fusa, ab ingenio scriptoris verius, quam a nativa indole doctrinae disciplinaeque Christi profecta, tute possit iudicari.

Proximum est, ut de *discrimine*, quod est inter Mtth. 5, 6. *μακάριοι οἱ πεινῶντες καὶ διψῶντες τὴν δικαιοσύνην, ὅτι αὐτοὶ χορτασθήσονται* et Luc. 6, 21. *μακάριοι οἱ πεινῶντες νῦν ὅτι χορτασθήσεσθε* breviter iudicemus. Confirmari enim exinde videtur, quod monitum est, Lucam, quae apud Matthaeum verius habeantur, Christi verba ad suos in causa egenorum et divitum sensus accommodavisse. Et si diversitatem a mala Lucae intelligentia, qui gnomologicos fontes *decurtatos*, quae *tralate* in his essent intelligenda *proprie* accipiens, non satis sit scite sequutus, repetere nolis *) (coniecturae enim, quae, quod addit, aliis debet coniecturis, quam exigua inest vis probandi?); fatebere, et minus accuratam et sensu etiam diversam esse Lucae relationem. Etenim cum Matthaeus dicat, ingenti desiderio ardentique studio expetentes pietatem atque sanctimoniam esse potituros regni Messiani felicitate, Lucas iisdem bonis **) fruituros praesagit hos, qui nunc fame sitique labo-

---

*) Cum Kuinoelio in *Comm.* ad h. l.

**) Assentior enim Fritzschio, *ὅτι αὐτοὶ χορτασθήσονται* apud Matthaeum explananti non *sigillatim* de virtutis fame atque siti, quae explebuntur, sed *generalius* de communionis Messianae beatitate, qua hoc hominum genus potietur. Id quod parallelismo formularum, *ὅτι* etc. in h. oratione *unice aptum* videtur. De qua re infra ad eum locum, qui est de *genere bonorum*, in civitate Messiana obtinendorum, fuse dicendi erit officium.

rant *). *Latiore sensu* nuncupatos esse τοὺς πειν. νῦν his aetatibus usu loquendi nemini ignoto idem hominum genus, quod Matthaeus ad animi indolem designet, sumtum est, non probatum. Alia vero utrumque scriptorem componendi tentamina linguae leges violant **). Nos arbitramur, Lucam, alio ἀπομνημονεύματι h. orationis usum, *hoc quidem loco* descivisse aliquantum a nativa Christi et genuina sententia, quando quidem et rem contrariam v. 25. *οὐαὶ ὑμῖν, οἱ ἐμπεπλησμένοι, ὅτι πεινάσετε: unus* attulerit. Alia cum sit eius forma, fide digniores dixerim Matthaei commentarios, primitivae simplicitati propiores ***). Lucasne igitur, sive, quem ille sequutus est, scriptor sententiam de hominibus; honestissima virtutis deo dicatae cupiditate flagrantibus in consortium regni Messiani recipiendis pervertit, latius diducens, et ad hos, qui in vita ante Messiana (νῦν) in rerum angustiis versentur, *magna illa remunerationis lege* †) aeternis regni Messiani bonis beandos referens? — Ita, si lubet, existimes. Tamen fatendum est, ex ea, quam supra adumbravimus, rei Hebraeorum publicae atque privatae ratione considerantibus, sententiam excusabilem, imo non una ex parte veram visum iri. Nam ut una Romanorum voce exprimamus: *bonae mentis soror* (hac aetate in Iudaeis) *paupertas* (et egestas) *fuit.* —

*) Nam talem inopiam et penuriam intelligi, quae *Christi causa* hac in vita perferatur, certe non dixit (ap. Lc.) Dominus, de suo addidit Knapp. l. c.

**) Quo referas, quod vel διὰ vel κατὰ ante δικ. supplendum putaverunt. Bene explicuit *acc.* (quem non *omnino* insolentem esse ante eum docuerat Knapp. l. c. p. 352.) ex *nativa* vi voc. πεινᾶν et διψᾶν Fritzschius in *Comm.* ad Mtth. l. c.

***) Similem sententiam professi sunt Schleiermacher. l. c. 89. et de Wettius l. c.

†) Ἰσονομίαν dico in rerum ordine et naturali et ethico se exserentem.

Ad idem genus pertinere videri possit Luc. 12, 13—21. ubi legimus, Iesum civilis arbitri provinciam severe repudiasse, ab insana habendi cupiditate et vano bonorum huius vitae studio suos esse dehortatum. Quam universam enuntiationem illustrat parabola de avaritia cavenda, deque temerario animi habitu eius, qui terrestrium bonorum usui fructui unice inhians, inter ipsam securitatem perditur. Verum enim vero cum haec prorsus in Matthaeo desiderentur, facile intelligitur, ambigi iure posse, num fontium, quibus quisque utebatur, ratio plus praevaluerit, quam insigne Lucae studium, locum de divitiarum vanitate et contemtione tractandi.

Alia et luculentior in eadem causa *Lucae* ad singulare consilium Iesu verborum conformatio inesse visa est nonnullis *) in l. 18, 18 sq. (cl. Mtth. 19, 16 sq. Mc. 10, 17 sq.), cuius argumentum cum apposuerimus, comparata *Marci* atque *Matthaei* relatione, facile, quanti sit facienda h. sententia, apparebit. Accedit ad Dominum iuvenis, perdives, primorum ex ordine, quaesiturus: cuius tandem rei pretio et labore vitam aeternam **) sit adepturus. Cui Iesus tanquam conditionem fundamentalem legum Mosaicarum (*ethici* quidem generis) strenuam observationem inculcat ***). Tum ille his se ab ineunte aetate fecisse satis, non sine insolentia et sui fiducia respondit. Christus, ingeniorum indagator, distinguens *officii* religionem, quae vel in homine τῷ νόμῳ, non τῷ πνεύματι agitato, adesse

---

*) Cf. de Wette l. c. 248—252. Schulz. l. c. p. 29. 30.

**) Quae est praemium theocratiae Messianae civium, uti infra ostendetur.

***) Verior videri possit Matthaei ratio ob hoc nomen, quod is *unus* addit praeceptum maximum, et quidem in fine, ut κλίμακα in Iesu oratione non desideres, v. 19. ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν.

potest, ab ethica vere liberi animi *perfectione*; quum iuveni summa quaevis proponenda esse intellexisset, hoc ei superesse (ἔτι ἕν σοι λείπει ap. Luc. v. 22. ἕν σοι ὑστερεῖ ap. Mc. v. 21, εἰ θέλεις τέλειος εἶναι ap. Mtth. v. 21.) ait: ut, distributis egenorum in usum opibus *), strenuum se adiutorem causae Messianae adiungat (ἀκολούθει μοι); unde eventurum sit, ut quo magis huius vitae suppellectile orbatus vivat, eo coelestibus praemiis ditior sit. Quo percepto cum moestus discessisset adolescens optimae, uti videtur, indolis **), Christus, ad discipulos conversus, aegre ferens a sua causa repulsi animi imbecillitatem, rem queritur unam esse omnium *difficillimam* ***), divites in regni coelorum consortium venire. Quae vox cum graviter perculisset discipulorum animos, desperantes de multorum salute †), Dominus in re humano iudicio vix perficienda numinis provida cura eos consolatur. In his equi-

---

*) Adstipulari equidem non possum DE WETTIO, l. c. suspicanti, hanc admonitionem, una cum *causa* adiecta ne satis quidem honesta de bono inter coelites recuperando addita serius videri. Certe oblitus ille videtur, *haec non apud unum Lucam legi, sed a Synopticis dici.*

**) Marcus exhibet v. 21. ὁ δὲ Ἰησοῦς ἐμβλέψας αὐτῷ, ἠγάπησεν αὐτόν. EUTHYM. οὐκ ἦν δὲ ὕπουλος ὁ νεανίσκος οὗτος, ὥς φασί τινες.

***) Cf. de similitudine male a malis interpretibus intellecta LIGHTFOOT. et SCHOETTGEN. ad h. l. et lepidam PASSOWII not. in *Lex.* s. v. κάμιλος.

†) Discipulorum trepidus animus τίς ἄρα δύναται σωθῆναι; inde maxime derivandus, quod persuasio iis inhaereret, divitum, quorum hac in vita maior honor haberetur, item in vita Messiana potiores partes esse futuras. Unde, his repudiatis, sibi et promiscuae plebi in pari causa multo timebant magis. V. FRITZSCHIUS in *Comm.* ad h. l. Minus placet, quod KUINOELIUS, GROTIUM sequutus, indicavit, apostolos commotos esse pauperum nomine, quos et ipsos tangi viderint divitiarum cupiditate.

dem Lucae quod sit peculiare, nihil video, nec mitiorem orationis formam, qualem Matthaeus expressit. Imo ex utroque hoc manifestum est, acute pervidisse Servatorem divitiarum pericula, *his potissimum* causae divinae vindicibus imminentia, talemque animum postulavisse a Messiae administris, vero rei coelestis amore flagrantibus, ut, superatis huius vitae blandimentis, in futurorum spe bonorum toti acquiescant.

Item, quae uni *Lucae* debetur parabola de Lazari beatitate ac divitis miseria (Luc. 16, 19—31.), nonnullis visa est ob argumenti difficultatem et insolentiam, non sine propria Evangelistae, sive eius, a quo petiit narratiunculam, opera ad nos pervenisse. *) Ac fatendum est, neque divitis *disertis verbis* exponi vitam flagitiosam, misericordiae expertem, sed lautam atque opulentam; nec Lazari probitatem atque innocentiam, sed miserias et summam egestatem. **) Quodsi tamen sensum *generalem* firme teneri iubeas, vix te tricis feliciter expedies. Imo te adductum cernes ad decretum tale: *divitiarum fructum in hac vita et laetum usum miserias aerumnasque post obitum sustinendas excepturas, pauperes vero rerumque omnium inopia laborantes dulcedine praemiorum olim recreatum et quasi expletum iri. Id fieri sanctissima ἰσονομίας lege, nemini non metuenda.* Quod si quis haec doceri sine animi, virtutis flagitiive auctoris mentione miretur, quod si cum virtutibus divinis, recte perceptis, pugnare sentiat, is egregie diminutas difficultates intelliget, haec reputans: a. non plane exclusam vi-

*) Cf. de Wette, l. c. p. 248. Schulz. l. c. p. 51. et 120. ad fin.

**) *Illud* enim *per se* vix inesse potest in vv. v. 19. εὐφραινόμενος καθ' ἡμέραν λαμπρῶς; *hoc* multo minus in v. 21. De suo tamen praepropere addunt interpretes, ut collationis opposita aptius emergant.

deri *posse* divitis inhumanitatem, etsi et *leviter satis* et *tecte* indicatam, v. 19. 21. ab interpretibus iusto *promtius* agnitam. (Haec videntur e *sensu* pendere.) b. multis visam esse historiolam non *generalis*, sed *specialis* argumenti vel consilii, ut ad *rem gestam* alludatur et τοῦ πλουσίου nomine vel *Herodes Antipas*, matrimonio illegitimo famosus, vel *Caiphas* P. M. cum quinque filiis Sadducaeis; vel *unus*, quisquis sit, *de eodem grege* intelligatur. Id si evictum fuerit, mutabitur indoles finisque collationis, ut non primaria vis in ea, quae est divitem inter atque pauperem, relatione, sed in his inesse videatur; quae de obsequio, Mosaicae prophetarumque disciplinae praestando v. 29. 31. proponuntur. — c. Nexus cum praecedd. (cf. v. 15—18.) vel post iteratas interpretum curas et coniecturas adeo *obscurus*,*) ut vel ob hoc nomen ad locum de officiis atque indole theocratiae Messianae civium illustrandum sit parum idoneus. De peculiari autem *Lucae* conformatione narrationis, suis, uti videtur, numeris absolutae, suum cuivis esto et liberum iudicium. *Res enim ad liquidum perduci nequit.*

Magis mireris, tractam huc esse paroemiam, Lucae peculiarem *de Samaritano misericorde*, quasi ea ab usu fontium, Marco Matthaeoque occlusorum, minus bene repetatur, quam a singulari Evangelistae studio, pauperum causam agendi. **) Cui sententiae indoles consiliumque narrationis, multo patens latius, mire repugnat. Legis peritus accessit

*) Nam nec ego assentiri possum acutissimae Schleiermacheri coniecturae (in qua iam offensum video Schulz. p. 119.) l. c. p. 205 sq., tum quod tanto artificio casum praefero vel maxime fortuitum, tum propterea quod quae in Matthaeum dixit, alieno loco videntur huius Evangelistae ordinem in Lucae favorem incusare.

**) Schulz. l. c. p. 31.

experturusque an quid legi contrarium doceret, Christum interrogavit, quibus tandem factis promeriturus sit, ut aditus ad vitam aeternam, summum rei Messianae bonum, sibi patefiat. Quem cum Dominus a lege nomen habentem ad legem relegasset, ille scite satis amorem integerrimum dei et proximi in summis Mosaici instituti *) praeceptis ponit. Proinde Iesus hominem ob rectum responsum laudatum et ad haec officia excitatum ita eo est, ut dimittat. Ille tamen sophista, suae gloriolae opinionisque tenacissimus, forte aegre ferens, laudem sibi quasi discipulo tribui, et novarum insidiarum cupidus, et recentis dissidii memor, **) pergit quaerere: quis tandem est mihi proximus? Tum Christus narratione ***) proponenda de homine a latronibus spoliato et in maximis cruciatibus derelicto, quem sacerdos et Levita inhumano animo praeterierint, unus Samaritanus non tantum humi prostratum respexerit, sed misericordia commotus, amanter nec sine impensis rei curtae curaverit; legis peritum eo redegit, ut confiteretur, dicendum esse proximum, qui ita sit animo affectus, ut amorem benigne clementerque factis prodat erga alterum quemcunque. Et non sine causa inducit Samaritanum (in quam gentem, ut ἀποστάτας, capitaliore odio, quam in ipsos exteros flagrabant Iudaei) exemplo odioso, at singulari probaturus, hanc proximorum notionem plane pervertere, qui in *inani honoris vocabulo* cerni, et ad *populares* restringendam esse censeant, videanturque negare, et amorem et fructus sinceri amoris divino decreto hominum

*) Cf. Lev. 19, 18. Deut. 6, 5. cl. 10, 12. 30, 6.

**) Quaestio enim de ambitu proximorum in controversiis scholarum fuit. V. *Interpretes* ad Matth. 5, 43.

***) Rei gestae vel fictae, id nunc non quaeritur. Erat certe verosimiliter ficta.

erga homines esse oportere. Errare igitur et longissime abesse a fine optato (vita aeterna) et Levitas et sacerdotes, imo imitandum esse legisperito Samaritani (haeretici hominis, proh pudor!) exemplum, ut voti compos fiat. — Ex hoc eventu ad nostram illustrandam causam pergravi clare perspicitur, Christum quali affectos animo requisiverit regni sui cives, (nam hi tantum ζωὴν αἰώνιον obtinebunt) amore erga deum hominesque plenos, eundemque expromentibus amorem factis, non ab unius gentis favore repetendis; verbo: homines (pulcerrimo sensu) humanos! (Plane igitur hoc geminum est voci: [illegible], de qua supra egimus. Is idem locus quaestionem attingit de *ambitu* societatis divinae.) — Sed quid tandem inde lucraberis ad sententiam universam de pauperibus sublevandis deque *praerogativa* egenis in civitate dei concedenda? — Ergo ne Lucam quidem tali fine elegisse, dici probabiliter potest. —

De sensu autem parabolae Luc. 16, 1—13. quae est de oeconomo callido, nova ut tentem, post tot multorum hominum et iratis Musis pinguique Minerva susceptos et prosperos labores, temeritatis magis foret, quam diligentiae et veri amoris: praesertim cum ad hunc diem tale nobis videatur argumentum, ut *propter ambiguitatem theologiae biblicae nondum sit aptum* et maiorem interpretum consensum exspectet. Utcunque enim de recto et legitimo usu divitiarum ibi praecipiatur, nostram rem parum inde iuvari manifestum est.

Reliqua, ne lectorum patientia abutar, brevi perstringam.

Aliquam habet veri speciem, quod ap. Luc. 11, 41. dictum est, *) Christi orationem ad Evangelistae consilium redactam esse, sinceram formam ex-

*) Cf. de Wette l. c. 248.

hibdite Mtth. 23, 26. Verum hinc non tetigisse sufficiat; ad eadem in illis quaeque loci, quae est de legum Mosaicarum in regno coelorum usu et pretio, revertamur. — Apud Lucam quidem solum *) 12, 33. legitur praeceptum de divendendis thesauri coelestis causa huius terrae bonis, et in pauperum usum convertendis; at etsi in Matthaei, quae videtur parallela, oratione (6, 24—34.) hoc frustra quaeras, tamen alibi perquam geminum deprehendas, cf. Mtth. 5, 40. **) — Pauperibus praedicatur evangelium. Luc. 4, 18. 19. 7, 22. Nihil hoc probat, nam idem dicit Matthaeus 11, 5. Et fundus est *communis* in l. Iesaiae, (61, 1.) quem populares una cum Iesu ad Messiana munera atque officia videntur traxisse. — Luc. 14, 13. 21. nimis *obiter* pauperum fit mentio, quam ut eorum causa locus *ille* fictus videri possit. — Quod in Luca desunt, quae leguntur: Mc. 14, 7. Mtth. 26, 11. Ioh. 12, 8. id fontium singulari usui eodem iure possis, quam meditato consilio tribuere; praesertim cum Lucas simile *aliud* factum videatur tenuisse 7, 36—50. — Iosephus Arimathaeensis, Iesu clandestinus amicus, apud Lucam (23, 50.) non ἄνθρωπος πλούσιος (Mtth. 27, 57.) vocatur, sed ἀνὴρ ἀγαθὸς καὶ δίκαιος. Mirum est, non intellectum esse, etsi non *nomen* gerat, tamen *re ipsa* esse divitem, et hoc ipso nexu, quo nomen ap. Lucam refertur. Et ne Marcus quidem habet (15, 44. εὐσχήμων βουλευτής). — Discipuli Iesu e numero pauperum electi, sine pecunia aliave supellectile dimissi sunt. Id rursus non *unus* tradit Lucas 9, 3. 10, 3 sqq. (uti ipse vidit Schulzius) Mtth. 10, 9 sq. Mc. 6, 8 sq. ***) — Universalis sententia Luc. 1,

*) de Wette. l. c.

**) Schulz. l. c. p. 28 sq.

***) Additur, Petrum ad hominem mendicum conversum Act. 3, 6. dixisse: ἀργύριον καὶ χρυσίον etc. Sed

51—53. non prodit Evangelistae mendem. Haec gemina vel in Psalmis prophetisque leguntur (m. supra), quibus multa debet Maria. — 16, 15. brevius est apophthegma. — De l. 18, 24 sq. cf. Mtth. 19, 23. Mc. 10, 23. supra egimus. — Nihili porro est ad hanc causam, quod 8, 14. legitur: καὶ ὑπὸ μεριμνῶν καὶ πλούτου: nam nec ἀπάτη τοῦ πλούτου ap. Mc. 4, 19. Mtth. 13, 22. deest. — Iudam Iscariotam auri sacra fame abreptum prodidisse Dominum, non tantum Luc. 22, 6. auctor est, sed eadem praebent Mtth. 26, 14 sq. Mc. 14, 10. Io. 12, 6. *) — Luc. 12, 15 sq. Iesus dehortatur discipulos non a τῷ ἔχειν, sed a πλεονεξίᾳ. cf. v. 31. 33. et stoliditatem eius adumbrat, qui in rebus terrestribus *totus* habitet. Similiter iudicandum de c. 14, 33. cf. v. 26. — C. 19, 1 sq. Zachaeus exemplo esse non potest, nam ille non *omnia* (τὰ ἡμίση τῶν ὑπαρχόντων) egenis distribuebat. — C. 14, 12 sq. de pauperibus, in convivium vocandis *cardo rei* in eo versatur, ut quis sine spe praemiorum *in h. vita* adipiscendorum aliis benefaciat. — Luc. 6, 34 sq. ubi praecipitur, commodandum esse iis, a quibus nulla expectari possit remuneratio, non habet quidem Matthaeus l. parall., sed multo graviora. Cf. 5, 39—42. Minus etiam valent Luc. 7, 41 sq. 11, 4. (cl. Mtth. 18, 23 sq.), quoniam et concisius haec dicta sunt et

---

quid tandem aliud rei ferebat natura? Idem valet de Paulo Act. 20, 33. 19. Talia non possunt ad finem secretum composita aut locata esse.

*) Ananias et Sapphira Act. 5, 1 sq. huc non pertinent, quoniam non ob retentam pecuniam, sed ob mendacium damnantur. In Simone Mago Act. 8, 9 sq. dona apostolica lucro vertere tentante, non divitiarum *possessio*, sed perversus *usus* damnatur. (Paulum in h. causa exemplo fuisse Lucae, e. ll. 1 Tim. 6, 9. 10. 17. 2 Cor. 6, 10. Eph. 5, 5. vix poterit probari.)

apud reliquos minime desiderantur. *) — Omnium vero minime debebat excitari Mtth. 25, 35 sq. qui l. ei, quod probandum fuerat susceptum, *stricte* adversatur; testans, Lucam non omnibus usum esse, quae causae suae inservirent. —

Ex his, quae fuse lateque diximus, satis demonstratum esse arbitramur, non unius Lucae, sed *Synopticorum*, imo *Christi* apud Synopticos esse hanc de pauperum futura beatitate et ad regni coelestis consortium idonea indole sententiam. Superest, ut re concessa rei causas detegamus. Quae quidem ex parte in iis insunt, quae supra monenda duximus de duplici genere hominum, quod ab exilii potissimum aetate tum inter exteros tum in patria post reditum variam inter variorum imperiorum sortem emersit. Maiorum erat et sapientium sententia (v. supra), officere divitias honestati. Contra divitum et primorum insolentiam, fraudem, saevasque artes ingenue pugnando, prophetae vetustiores causam pauperum, causam theocratiae, causam humanitatis probitatisque fortissime egerant vitamque et vires consumserant. Imo Iesaianum locum (Ies. 61, 1 sq.), qui est de egenorum miserorumque sublevandis aerumnis gravissimus, citius ocyus ad sospitatoris unici provinciam trahi lubentissime coepit. Prodiit Iesus, generis amantissimus humani, persuasus, Messiae, *summi prophetae*, a numine in se collatas partes, collatasque maxima officii religione administrandas esse. Non extrema quidem conflictans inopia, pauper tamen aut

*) Ex *Actis* huc refertur: 10, 2. 4. 31. de *Cornelio*, stipe multa eroganda insigni et ex hac *unice* (?) causa in regnum divinum recepto. 9, 36. cl. 39. de Tabitha, quae non tantum ἐλεημοσυνῶν, sed item ἀγαθῶν ἔργων plena fuisse traditur. 2, 44 sq. 4, 32 sq. de *communione bonorum* inter primos Christianos, quae aliunde luculenter explicari potest.

perquam mediocri utens re, animo divino et ad divina erecto, suscepit doctoris munus, vidit perhorruitque Pharisaeorum procerumque perversa artificia, fucum et sui amorem ingentem, insatiatum laudis non magis quam divitiarum appetitum (φιλάργυροι ὑπάρχοντες Luc. 16, 14.) et pestiferum usum. Haec contra monstra tum omni vita, quae in tenuiore rerum conditione tota versaretur et amore non sui, sed aliorum esset plenissima, tum *antithetica* atque *polemica* oratione strenue contendere omnibusque viribus decrevit. Praeterea non unius exemplo intellexerat, obesse divitias divitiarumque amorem rerum coelestium contemplationi et honestatis studio, *nimium* amorem rerum mundanarum *nimia* rei copia facillime accendi et nutriri, rerum humanarum contemtionem cum dignitate humana, omni et possessione et usu fructu maiore, arctissime connexam esse; perdifficilem, rarum esse ac paene inauditum divitiarum nobilem, moderatum ac beneficum usum sine rei coelestis aut neglectione aut contemtione. E divitibus perpauci *) causae suae adiutores fautoresque accesserant, unde in confiniis Palaestinae post abitum conditoris latius propagatus Christianismus nomen *religionis pauperum* invenit; sectatores de Iudaeorum grege *Ebionitae* et *Nazaraei* vocati, quibus titulis egenum et deiectum hominum genus notatum volebant. Denique et hoc in censum venit, secundum *Synopticos* certe Dominum proximam exspectavisse rerum omnium mutationem, cum reditu suo coniunctam; indeque explices, quod auctor suasorque ex-

---

*) Praeter Iosephum Arimathaeensem et Nicodemum tamen perquam credibile est, alios item optimates clam favisse Christi consiliis. Cuius rei non obscurum indicium inest in Io. 12, 42. — Tamen et in *apostolicis coetibus* exiguus erat numerus eorum, qui gentis nobilitate, opulentia, et publicae potestatis usu valebant. Cf. 1 Cor. 1, 25. 26. Iac. 2, 5.

sistit suis, ut his vitae bonis, ad bona [illegible] acquirenda et vitam vere vitalem perfruendam non adiumento, sed impedimento *sponte* se abdicent et liberaliore ac vere humana sentiendi ratione totos imbuant. Ex eodem similive fonte fluxisse videtur primaevorum coetuum christianorum ad *communionem bonorum* propensa voluntas. —

Ex his quidem hoc patet, Lucae *peculiare consilium*, quod *continenti* quodam ac *perpetuo* doctrinae typo elucescat, aut non *satis tute* demonstrari, aut minis certe modis *restringi* debere. Atque intra hos fines *criticis* erit subsistendum. Nec enim de *fontibus* commentariorum Lucae satis est expedita quaestio, nec *omnibus*, quae proposito (quod sumitur) accommodata censeantur, Iesu dictis usum reperimus, et rursus aliorum brevius et ὡς ἐν παρόδῳ enuntiatorum vim esse praemeditatam aegerrime concedi potest, ita ut, si rationes utrimque duças, et *numerando* rem confectum iri credas, non desperare debeas, de detegendo simili s. c. in Matthaeiano volumine scopo. Differentia omnis cum sit non in re ipsa, sed in sermonum de hac re frequentia, quam lubrica inde fiat et incerta saepe erret disputatio, ex his, quas posui, causis manifestum esse existimo. *Voluntariam* tamen suasisse, imo commendavisse Dominum paupertatem, credibile est. *) —

In hac igitur una omnium celebratissima oratione, quam regni divini *magnam chartam* ingeniose dixit Herderus, institutiones iuris regni divini apte appellavit Gratzius, hoc egit Servator,

---

*) Non male comparavit Gratz. *Comm. in Mtth.* I. 280. Muhammedis disciplinam, *pauperibus* praecipuam partem in percipiendis Paradisi gaudiis assignantis et quingentis ante divites annis intrare iubentis. — Ceterum acute monuit Knapp. l. c. 363. coeleste regnum tanquam paupertati divitias opponi. —

ut denotando ea hominum genera, quae societati theocraticae membra idonea censuisset, indolem disciplinae suae plane *antipharisaicam* perspicue graviterque declararet. Talibus enim enuntiatis usus est, quae ob παραδοξίαν amabilem auditores tenerent attentissimos et ingentem imo inauditum inter Iudaeos generis humani in contemtissima sorte hominum amorem et comitatem proderent. Promissa igitur rei Messianae beatitate his, qui pauperes sensu *latissimo* dici consueverant, eodem fine adiunguntur οἱ πενθοῦντες. Quo nomine nec ego insignitos putarim homines, ob peccatorum conscientiam afflictos (τοὺς ἐπὶ ταῖς ἁμαρτήμασι πενθοῦντας, οὐχὶ ἐπί τινι τῶν βιωτικῶν *)); requireret enim hic sensus plura et dilucidiora verba. Nec possum cum aliis luctum intelligere propter calamitates ad causam Messianam adiuvandam perferendas (cl. Io. 16, 20.) obortum; tum enim et hoc modo manca maneret oratio, nec video, *qua jure* talia inserantur, tum de aerumnis, Messianum ob nomen sustinendis, tractat Dominus v. 10 sq. Quare mihi quidem, **) unice verum videtur, beatos fuisse praedicatos *ob futurum regni Messiani consortium* ***) genus hominum contristatum, diverso genere malorum agitatum, et talia edidisse Christum, vel quod similia viderentur perscripta de sospitatore (לְנַחֵם כָּל אֲבֵלִים Ies. 61, 2. †)), vel

*) Ita Chrysostomus, Theophylactus, Kuinoelius aliique.

**) Cum Wetstenio, Paulo, Fritzschio et aliis.

***) *Synonymam* enim esse vim formulae: ὅτι αὐτοὶ παρακληθήσονται cum antecd. ὅτι αὐτῶν ἐστιν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν idemque valere de seqq. usque ad v. 10. vere, ut diximus, monitum est a Fritzschio ad h. l.

†) Nam Ies. 57, 18. ad quem l. provocat Kuinoelius, recte castigatus a Fritzschio, plane alienus est ob diversam indolem, et nullo modo poterat Iesu menti obversari. Omnino in talibus modus debet teneri, ne in ineptias incidamus.

quod liberrimo consilio discesserit a pervulgata plurimorum, procerum maxime, de Messia beatorum potentiumque adiutore ac fautore, sententia. — Respondet ap. *Lucam* v. 21. μακάριοι οἱ κλαίοντες νῦν, ὅτι γελάσετε: quod non credo differre, si ab hoc discedas, quod v. 25. *oppositum* legis: οὐαὶ ὑμῖν, οἱ γελῶντες νῦν, ὅτι πενθήσετε καὶ κλαύσετε.

Excipiunt μακάριοι οἱ πραεῖς, ὅτι αὐτοὶ κληρονομήσουσι τὴν γῆν. Hos omittit Lucas. Recte animadverterunt interpretes plurimi, magna vi haec percellere debuisse Galilaeos, pugnarum et seditionis cupiditate per hoc tempus diffamatos (Iosephi *Antiqq.* III. 3. 2.). His auditoribus quum se praebeat Dominus Messiam placido animo affectum amantemque eos, qui eodem essent spiritu perfusi, qua dilucidiore enuntiato putas eum vanas rebellantium spes repudiasse? Et illud (יִרְשׁוּ אָרֶץ), κληρονομεῖν τὴν γῆν, quod e ψ. 37, (3.) 9. 11. 34.*) similibusque locis petitum esse et in proverbialem formam abiisse non dubium est, de summa felicitate, quae est Messiana, h. l. apte adhibitum reperimus.

Sequuntur πεινῶντες καὶ διψῶντες τὴν δικαιοσύνην, ὅτι αὐτοὶ χορτασθήσονται. Quam sit inepta sententia de ἐλλείψει praeverbii διὰ s. κατὰ ante δικαιοσύνην, supra est dictum et ante me satis monitum.**) Tales igitur, qui vehementi flagrant desiderio probitatis et sanctimoniae, ad theocratiae Messianae consortium praemii loco humaniter invitat. Nihil enim magis in formula: ὅτι αὐτοὶ χορ-

---

*) Vetustissima sedes huius locutionis inest in Lev. 26, 3 sq. et id genus aliis Pentateuchi locis.

**) Cf. Knapp. l. c. p. 352. et Fritzschius in *Comm.* Prior quidem interpres, pariter ac Wetstenius eumque sequutus Kuinoelius super h. dicendi forma πεινᾶν καὶ διψᾶν nubem exemplorum ex utriusque generis scriptoribus attulerunt. Vim ipsius dictionis *insolentius* cum acc. iunctae recte detexit, uti diximus, Fritzschius.

χορτασθήσονται hoc quidem nemo quisquam dubitat? Sed brevior et contractior, imo diversum doctrinae τύπον exhibens, deprehenditur Lucae oratio: μακάριοι οἱ πεινῶντες νῦν, ὅτι χορτασθήσεσθε, cui respondet v. 25.: οὐαὶ ὑμῖν, οἱ ἐμπεπλησμένοι, ὅτι πεινάσετε. Quibus profecto non hoc inest, beatos esse dicendos, qui propter probitatem famem sitimque tolerant,**) verum verba hoc tantum continent: eorum, qui his in terris extrema rerum omnium penuria laborent, largam fore in novis terris Messianis compensationem. Et eadem ratio est eorum, quae in contrariam rem dicuntur. — De hac autem differentia ita mihi diiudicandum videtur, Lucam eam rem, primitus enucleatius dilucidiusque dictam, dilatando deflexisse paululum ab authentica Christi oratione, permotum facillime tum ob eam, quae menti obversaretur, christianae disciplinae sectatorum humilitatem depressumque statum, tum nimis σαρκικὸν verborum intellectum amplexum. Si igitur erravit, haud dubie excusate erravit. Semina enim veri vel in hac conformatione sermonis non deerant.

V. 7. apud Mtth.***) alia virtus, misericordia, (μακάριοι οἱ ἐλεήμονες, ὅτι αὐτοὶ ἐλεηθήσονται) in summa laude ponitur, quandoquidem misericordibus erga homines a deo item, deique legato, Messia, misericordia obtinget, quae eo cernatur, ut ad regni sui beatitatem sint admittendi. †) Sacri

---

*) Uti vere intellectum est a Gratzio et Fritzschio in Comm. ad h. l.

**) Ita Grotius, ante et post eum alii.

***) Frustra hoc quaeris in Luca. Et tamen hoc enuntiatum aequabili Evangelistae consilio, quale sumtum esse supra vidimus, perquam erat accommodatum.

†) Prorsus equidem cum Fritzschio consentio, qui hunc v. contra Ven. Pauli unius Cd. (220. ap. Griesb.) suffragio nixam audaciam, qua eum exterminari e tex-

[illegible] futuros adfirmat; nihil [illegible] humanitatis sensus, nulli affectus aegrotantium malis, et miserias adiumento sublevans; quem qui exuit, avaritia abreptus et proprii commodi studio unice inhians, eo ipso se eximit dei regno *). Verum quod nunc προπαιδεία effertur, infra 25, 35 sq. iudiciaria forma pronuntiatum legimus.

Illius item Matthaei est v. 8. μακάριοι οἱ καθαροὶ τῇ καρδίᾳ, ὅτι αὐτοὶ τὸν θεὸν ὄψονται. Hi, qui ob mentem puram beati praedicantur, facile perspicitur, oppositi his qui externis patrum ritibus sedulo servandis satis beate secum agi putabant. Hac igitur puritate animi, illo purissimae mentis consortium et communionem [illegible] sunt sub regni Messiani auspiciis, quo eorum [illegible] continetur *beatitas*. Etenim et in hac forma hanc notionem teneri manifestum est. Formulam: ὄψεσθαι τὸν θεὸν **) e consuetudine regum orientalium explanandam esse, quorum cum sit celare plebem adspectum suum, in paucis beatis censentur quibus quotidie accessus pateat, amici et proximi administri, ab aliis frequenter admonitum videas. Sed ulteriori disquisitioni relinquimus ingeniosam [illegible] ***) interpretis sententiam, qui in novo ne-

---

tu inserat, tuetur. Nam, quod interpres sagacissimus de nexu violato queritur, id in hac sententiosa et praecisa oratione plane non perspicio, et quod glossema in hoc commate invenit, pertinens ad v. 5., id e linguae usu multo est minus verosimile.

*) Exterorum Rabbinorumque praeclare in h. rem dicta exhibent Grotius fusiusque Wetstenius ad h. l.

**) Fundus huius adeundi formae inest in V. T. ut ψ. 11, 7. ubi rectae vitae homines adspecturi dicuntur vultum dei benigni, et *inprimis* ψ. 17, 15. in quo et ego non possum non cum iudaeis recentioribusque interpretibus immortalitatis animorum notitiam expressam putare. Ceterum similiter explana: 1 Ioh. 3, 2. Hebr. 12, 14. [cl. Sir. 43, 31. Io. 1, 18. 6, 46.]

***) [illegible] in Comm. ad h. l.

rum ordine Messiano restitutum dei cum mortalibus commercium et ad similitudinem priscae cum piis Iudaeorum maioribus consuetudinis augustius stabilitum iri sibi persuasit. —

Sequuntur in eorum, qui beatitudini Messianae habiles iudicantur, recensu apud *Matthaeum οἱ εἰρηνοποιοί· ὅτι αὐτοὶ υἱοὶ θεοῦ κληθήσονται.* Apud Iesaiam (9, 5.) quamvis nuncupetur Messias pacis princeps, tamen hac aetate credibile est, huius quidem prophetae studium adeo obliteratum obsoletumque fuisse inter populares, ut in omni doctrina Messiana, ad semina veri, quae in hoc latitabant vate, oblivioni pessime tradita, animos advertere suum maxime putaverit Iesus Christus. Animos Galilaeorum, rerum novarum seditionisque cupidissimos, a turbidis motibus exitiosisque consiliis ad pacis ingenuum amorem, et placabilitatem, deo, rei Messianae praesidi, in paucis acceptam, studet traducere. In qua re iuvat meminisse, Pharisaeos minime aegre tulisse filiorum dei honorificam compellationem *) et plebem alto supercilio solitos esse vocare *populum terrae.* Et in eos profecto non cadebat hoc, quod laudatur, pacis studium. Imo serere bella, nectere simultates et plebis animum inflammare magis quam sedare et ad patientiam Romani iugi ducere amabant. Messias contra, qualem Christus se praebuit, uti non Romanae destructor ditionis, et suae stator potentiae, ita Christianis haud exiguae commendationi fuit, ostendisse animum pacificum, placabilem, a rixis imperandique cupidine alienum. **) Deum illi dicentes θεὸν εἰρήνης, ***) quid credas magis consentaneum,

*) Ita certe Gratz. l. c. statuit, quamquam exempla non attulit.

**) Cf. Iac. 3, 18. 4, 1. 2. 1 Petr. 3, 11. Col. 1, 20. Eph. 2, 15.

***) Cf. Rom. 15, 33. 16, 20. 1 Cor. 14, 33. 2 Cor. 13,

quam patris amantes deo dici acceptos, simillimos, filios? *) —

Ea, quae proxime leguntur, rursumque in uno Matthaei libro v. 10. μακάριοι οἱ δεδιωγμένοι ἕνεκεν δικαιοσύνης· ὅτι αὐτῶν ἐστιν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν mos est dicta existimare non promiscuae et praesenti et futurae Christi familiae, sed doctoribus; sed rei Messianae strenuis administris, quibus quae immineant calamitates larga praemiorum Messianorum distributione sint compensandae. **) Verum haec sententia inde certe stabiliri nequit, quod δικαιοσύνην, aut Iesu doctrinam aut doctrinae christianae professionem explanant, id quod nec hoc l. nec v. 6. per usum linguae fieri potest et male existimatum est ob ἕνεκεν ἐμοῦ v. 11. ***) Imo instituitur sermo de his, qui probitatis virtutisque ergo extorres fiunt patria aut alius generis vexationibus gravioribus perturbantur. †) Quod utrum ad causae divinae adjutores referri oporteat, id unice e nexu *seqq. particularum*, in quibus vetustorum prophetarum exemplum apponitur, tanquam ἐπεξηγήσεως, conficitur: in nostro enuntiato, unum hoc deprehendes „non si male nunc, et olim in regno divino sic fore cum mortalibus integerrimis.“ ††)

---

11. Phil. 4, 9. 1 Thess. 5, 23. 2 Thess. 3, 16. Hebr. 13, 20.

*) 1 Io. 3, 1. Io. 1, 12. Rom. 8, 17.

**) Fundamento destituitur Wetstenii sententia, verba ὅτι α. ἐ. ἡ β. τ. ο. v. 3. *alio* sensu sumi iubentis.

***) A Gratzio, Kuinoelio aliisque. Et ne „obedientiam quidem divinorum mandatorum“ cum Grotio in hoc forma reperio.

†) De varr. ll. ap. Clem. Alex. *Strom.* IV. 582.: μακ. οἱ δεδιωγμ. ἀπὸ τῆς δικαιοσύνης, ὅτι αὐτοὶ ἔσονται τέλειοι, μακ. οἱ δεδιωγμ. ἕνεκα ἐμοῦ, ὅτι ἕξουσι τόπον, ὅπου οὐ διωχθήσονται natis e v. 10—12. rectum iudicium tulit Fritzschius ad h. l.

††) Cf. 1 Petr. 3, 14. μακάριοι οἱ πάσχοντες διὰ δικαιοσύνην.

Reddimus ad *Lucam* 6, 22. 23. ad vv. 11. 12. *Matthaei.* Et *hunc* quidem non dubium est, generalem sententiam v. 10. de calamitatibus virtutis probitatisque ergo sustinendis *latius* diducere. 11. μακάριοί ἐστε, ὅταν ὀνειδίσωσιν ὑμᾶς καὶ διώξωσι, καὶ εἴπωσι πᾶν πονηρὸν ῥῆμα καθ᾽ ὑμῶν, ψευδόμενοι, *) ἕνεκεν ἐμοῦ. Χαίρετε καὶ ἀγαλλιᾶσθε! ὅτι ὁ μισθὸς ὑμῶν πολὺς ἐν τοῖς οὐρανοῖς· οὕτω γὰρ ἐδίωξαν τοὺς προφήτας τοὺς πρὸ ὑμῶν. In his verbis non obscurum esse putamus,

*) Haec vox nostris criticis dudum suspecta visa, omittitur in D Cant. Ver. Colb. Germ. 1. Clar. Florinc. Or. Tert. Hilar. Lucif. Ambr. Ambrst. Paulin. Sym., ponitur post ἕνεκεν ἐμοῦ in Syr. Corb. Brix. For. Chrom. Et suppressio in praesidiis minime contemnendis, et incerta sedes, cui adsignata fuit, notissimo Criticorum canone in magnam νοθείας suspicionem adducunt. Quod enim deleta sit, primitus genuina, nullam causam probabilem afferas (nisi in manus adversarii rei christianae, vitae disciplinaeque apostolicae incidisse hanc enuntiationem *temere* credas); quod a male sedula librarii manu addita, paratam habes. Etenim cauto homini visus est hic sermo declaratione indigere, ne vel tantilla species relinqueretur, primis Christianismi administris *jure* quaedam ignominiose exprobrari posse. Accedunt alia argumenta, nam: a. Lucas omisit, quod, etsi ego non maximi faciam, tamen non est nihili. b. languida oratio est in vulgata verborum collocatione, quae languidior fit, si ψευδόμενοι cum his, quae attuli, subsidiis criticis post ἕνεκεν ἐμοῦ ponis nec assentior Ven. Gersdorfio (*Beitr.*, 532.) ψευδόμενοι post εἴπωσι facilius ferenti. Imo, ut δεινότης esset orationis, debebat, si quid video, vel ante εἴπωσι poni, vel oportebat in talem fere modum conformare verba: καὶ ψεύδονται εἰπόντες etc. Quod *nunquam* recurrat ψεύδεσθαι in Matthaeo (Gersdorf. l. c.), id leve est argumentum, quod ut vim habeat, demonstrandum foret, tale esse v., ut eo omnino uti non potuerit Scriptor. Alioquin nulla ferenda essent ἅπαξ λεγόμενα. Recte e sua textus recognitione exulare jussit Fritzschius: in numero vocc. probabiliter omittendorum retinuit Ven. Schulzius, in Griesbachiani operis novissima editione.

solis apostolis varium genus injuriarum, vexationum et criminationum ob Messiae reique christianae professionem perferendarum proponi. Ita igitur, quod v. 10. *generatim* exspectari jusserat, nunc accuratius instruit, ut eorum, qui ejus partes jamjam sequuti fuerunt (4, 18.), sortem instantem depingi manifestum sit. Nam horum tantum Messiae, *summi prophetae*, *μετανοίας* praeconis, ministrorum vitae convenit, quae v. 12. extr. innuitur, cum prophetarum V. T. fatis similitudo, quid enim promiscuam plebem hoc exemplo erectam dicas, quam nondum habebat sibi addictam, nunc id agens, ut suae causae conciliaret? De mercede vero, in coelestibus partibus obtinenda (*ὅτι ὁ μισθὸς ὑμῶν πολὺς ἐν τοῖς οὐρανοῖς*) e nexus et parallelismi synonymici legibus procul dubio eodem modo judicandum est, quo de his, quae antecesserant, formulis, regni Messiani futuram beatitatem non uno modo designantibus. De quibus suo loco dicam. — Lucae vero verba in summa rei non diversa, sed *ampliata* dices v. 22. 23. *μακάριοί ἐστε, ὅταν μισήσωσιν ὑμᾶς οἱ ἄνθρωποι, καὶ ὅταν ἀφορίσωσιν ὑμᾶς, καὶ ὀνειδίσωσι, καὶ ἐκβάλωσι τὸ ὄνομα ὑμῶν ὡς πονηρὸν, ἕνεκεν τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου. Χάρητε ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, καὶ σκιρτήσατε! ἰδοὺ γάρ, ὁ μισθὸς ὑμῶν πολὺς ἐν τῷ οὐρανῷ· κατὰ ταὐτὰ γάρ ἐποίουν τοῖς προφήταις οἱ πατέρες αὐτῶν.* — At huic Scriptori quasi privum est, in h. causa magis insolitum, quod *antithetice* effertur v. 26. *οὐαὶ, ὅταν καλῶς ὑμᾶς εἴπωσι οἱ ἄνθρωποι! κατὰ ταὐτὰ γὰρ ἐποίουν τοῖς ψευδοπροφήταις οἱ πατέρες αὐτῶν*: de cujus dicti *αὐθεντίᾳ*, quamvis ambiguum sit maneatque judicium, apostolorum tamen rationibus et praesentibus magisque futuris haec belle convenire, dubitare noli. Id quod de sequentibus etiam enun-

tiatis, praesertim apud *Matthaeum*, iure videtur contendi.

Ita igitur nos sponte delapsos videmus ad alias quaestiones, quibus tandem expeditis *tutum* poterit ferri de usu h. orationis ad perspiciendam indolem et cognoscenda officia civium sacrae rei publicae iudicium. Earum *prima* est: utrum interioris admissionis Christi sectatores *unice* spectentur, *altera*, num Lucae Matthaeique, quos *iuxta* posuimus, sermones non *specie*, sed *reapse* sint iidem.

I. Illud quidem quod attinet, in tres maxime partes discessisse video interpretes cum antiquiores tum nostrates. Aut enim omnibus omnium aetatum hominibus hanc orationem propositam esse crediderunt, aut promiscuae plebi adstanti et suspensae, aut apostolis, quos arctiore et potiore sensu appellaverit Dominus. Horum quod prius est positum, nullam habet vim, nisi ita definias, tale esse enuntiatorum praeceptorumque argumentum, ut ob internam veritatem dignitatemque sit temporum injuriam superaturum. Id vero percommode vel tum dici existimarique potest, si alterutri hominum generi, quod designavi, potissimum destinatam fuisse hanc orationis seriem contenderis. Restant igitur duae tantum sententiae, quas inter optio facianda sit interpreti. Quod ut via quam maxime tuta fieri possit, et de vero sensu voc. μαθητῶν videndum et electio apostolorum qualis vulgo informatur, dicendum, num rei naturae, hujusque aetatis inter judaicos doctores receptis moribus satis sit consentanea, quid quod sensui scriptorum evangelicorum respondeat. Et ap. utrosque scriptores Mtth. 4, 25. Luc. 6, 17. memorantur ὄχλοι πολλοὶ Iesum peregrinantem sequuti, spe, ut fit, non minore sanitatis recuperandae, aut rerum novarum, quam discendi cupidi-

tate ducti. Ab his perspicue distinguuntur μαθηταὶ, quos tradit Matthaeus ad Jesum in monte considentem propius accessisse ejusque quasi latera cinxisse. (5, 1.) Hos apostolos fuisse, non sectatores sensu latiore sumitur quidem, at sine idonea causa. Nam in antecedd. (4, 18 sq.) Matthaeus hoc unum tradiderat, Petrum et Andream, Iacobum et Ioannem in amicorum Iesu numerum receptos esse. Et aliis quidem in locis (Mtth. 8, 21. Luc. 7, 11. 19, 37. Io. 6, 60. 61. 66. 7, 3 etc.) μαθηταὶ nuncupantur non tantum, qui in quotidianum vitae doctrinaeque Iesu consortium venerant, causae Messianae latius proferendae intenti, sed item omnes, quicunque doctori summo faciles aures praebuerant. Utrumque tamen genus hominum ad se pertinere existimavit Dominus, nec fines satis certi. Etenim qui rarius accedebant ad audiendum Christum, poterant, si nec voluntas deerat nec otium, in maiorem eius familiaritatem venire rursumque, qui apostoli vulgo vocantur, non eo usque videntur contubernales fuisse Iesu, ut ab eius latere nunquam discesserint *). De

*) De his quidem ita sentio, non praetermittendum esse discrimen vel in Iesu familiaribus Esotericos inter atque Exotericos. Et ne *illos* quidem (Ioannem, Petrum, Iacobum cf. Mtth. 17, 1 sq. al.) contendi potest, omnibus magistri sermonibus actionibusque vitae interfuisse testes. Duodecim traduntur ad Iesu latera retenti, *vel* casu, *vel*, quod placuit plurimis, quod hic numerus multis vetustarum historiarum exemplis sacrosanctus visus esset (Tertull. c. *Marc* IV. 24.) inprimis que acceptus ob XII tribuum Israeliticarum respectum. Horum enim (e coniectura Kaiseri *bibl. Theol.* I. 242.) officium munusque futurum erat, ut in diebus Messianis iudicia exercerent, auspice Christo, de duodecim Israelis tribubus, id quod sane nititur l. Mtth. 19, 28. LXX discipulorum, item in Palaestinae provincias dimissorum, constat non nisi apud *Lucam* 10, 1 sq. iniici memoriam. Mireris reliquorum silentium. In qua re non

electione vero apostolorum, qualem vulgo arbitrati sunt instituisse Christum, non possum non Celeb. Critico*) assentiri, qui et Lucam (6, 12 sq.) negavit hac de re exhibere narrationem, male intellectum primum a Marco, (3, 13 sq.) post eum ab interpretibus ad unum omnibus, convocationem illis ad propius colloquium et comitatum cum solenni ritu ad administrandum munus apostolicum necessario confundentibus; et hoc discipulorum cum Christo sensim paulatimque accommodate ad uniuscuiusque vitae rationes initum auctumque consortium maluit statuere, quam meditato consilio et delectui, *semel* habito, et nomen et numerum apostolorum tribuere.

Inde igitur hoc patet, nec occlusum cuiquam aditum fuisse, ad arctius consortium, nec interdictum abitum e disciplina Iesu. Huc accedit, quod cum Schleiermachero iure nobis dubitare videmur, nomen apostolorum ab ipso Domino ea po-

tantum ingeniosa est, sed etiam ulteriore disquisitione digna Ven. Kaiseri sententia, numerum septuagenarium ad Synedrii assessorum similitudinem conformatum putantis, Rabbinis septuaginta terrarum populos creditos indeque iudicandi orbis incolas (exceptis Iudaeis) his latioris ambitus sectatoribus partes demandatas fuisse monentis. Quidcunque subsit veri, certe non alto supercilio repellenda huiusmodi opinio. — Ceterum et hi fuerunt homines ἀγράμματοι et ἰδιῶται populo vires consecraturi et vitae, non doctis hominibus, non scholae. Docendi discendique modus nec assiduus fuit, nec nostrarum morem scholarum referebat. Intererant expositioni, quae praelectionem sacri Codicis particulae in Synagoga excipiebat, aut colloquio familiari, testes adstabant altercationum cum Pharisaeis Iudaicisque doctoribus, plebem vel in templo, vel sub dio ad rerum divinarum notitiam institui non videbant tantum, sed ipsi eius rei periculum facere sunt iussi Mtth. 10, 1 sq., denique solitudinis etiam a Christo quaesitae consortes erant.

*) Schleiermacher. *üb. d. Schrift. d. Luc.* I. 84 sq.

testate inditum fuisse, qua illud a primis post discessum Christi annis usurpatum detegimus. Certe quod ille obiecit Barnabae exemplum videtur uberiore disquisitione dignum. — De his igitur, quibus dicatae sint orationis nostrae singulae enunciationes, plane non poterit nisi ex *internis indiciis* certum ferri iudicium. Et vidimus ap. *Matth.* usque ad v. 10. (et in *Luc.* ll. parall.) praecepta prorsus ita esse comparata, ut maiorem ambitum auditorum, non ferant tantum, sed postulent. Et quae a v. 11. persequitur Redemtor, sunt quidem ita conformata, ut eorum tantum rationibus videantur consentanea, qui in docendi munere aut iamiam versati fuerint, aut proxime sint vires experturi. Verum quum et discipulorum Iesu et doctorum regni Messiani numerus neutiquam fuerit immutabilis, essentque et qui post discipulos stabant auditores, in eiusdem negotii societatem *paulatim* adducendi, facile intelligitur, argumentum patuisse latius. Et ne poterat quidem coram tali concione tale non eligi tractarique argumentum, quod ut esset uberrimum magnaque varietate distinctum, ita uni alterive magis conveniret, possetque nihilominus ab omnibus *cum fructu* percipi. Percommode igitur cum nonnullis dixeris, orationem *aditialem*, qua indolem legumlationis Messianae suis abunde declaravit, aliis remotius stantibus auditoribus rei Messianae item candidatis minime celatam voluit. Eam auspicantur praecepta *generalia*, intercalantur *specialia*, (ap. *Mtth.* 13 — 16. et *Luc.* parall.) rursum excipiunt *generalia*. Hoc igitur, quod vulgo urgetur, discrimen interioris inter admissionis discipulos, et plebem minus confirmatam nihil plane impedit, quo minus hoc monumento ad perspicienda officia et praesentium et futurorum sacrae rei publi-

cae civium confidenter utamur *). Denique hoc miror fugisse nonnullos, vel solemnem *finem* manifesto esse indicio, non ad solos apostolos e *mente Matthaei* verba direxisse Servatorem: v. 28. ἐξεπλήσσοντο οἱ ὄχλοι ἐπὶ τῇ διδαχῇ αὐτοῦ, et magis v. 29. ἦν γὰρ διδάσκων αὐτοὺς ὡς ἐξουσίαν ἔχων καὶ οὐχ ὡς οἱ γραμματεῖς. Cf. 8, 1. et *Lucae* 7, 1. ἐπεὶ δὲ ἐπλήρωσε πάντα τὰ ῥήματα αὐτοῦ εἰς τὰς ἀκοὰς τοῦ λαοῦ etc.

II. Nec magis impedita est quaestio, huic, quam explicuimus, affinis, utrum qui a Luca Matthaeoque memoriae produntur, sermones reapse sint iidem. Id quod nulli dubitamus plenissime affirmare **), sermonis utriusque et *exordium* et *perorationem* non diversa singulorumque membrorum et *consequutionem persimilem* vel obiter intuiti. *Lucae non alia, sed decurtata oratio, in aliis ampliata, brevi serius in literas redacta, antipharisaicum ingenium paulo minus spirans.* Uter-

---

*) Gemina est CHRYSOSTOMI super h. sermone sententia *hom.* XV. *in Mtth.* T. VII. 185. ed. MONTEF.: ὅταν δὲ ἀκούσῃς, ὅτι ἐδίδασκεν αὐτοὺς, μὴ τοῖς μαθηταῖς αὐτὸν νόμιζε διαλέγεσθαι μόνον, ἀλλὰ καὶ δι' ἐκείνων ἅπασιν· ἐπειδὴ γὰρ τὸ πλῆθος δημῶδες ἦν, ἔτι δὲ καὶ τῶν χαμαὶ ἐρχομένων (al. ἑρπομένων al. ἑρπόντων) τῶν μαθητῶν τὸν χόρον ὑποστησάμενος πρὸς ἐκείνους ποιεῖται τοὺς λόγους, ἐν τῇ πρὸς αὐτοὺς διαλέξει, καὶ τοῖς λοιποῖς ἅπασι τοῖς σφόδρα ἀποδέουσι τῶν λεγομένων ἀνεπαχθῆ γίνεσθαι παρασκευάζων τῆς φιλοσοφίας τὴν διδασκαλίαν· ὅπερ οὖν καὶ ὁ Λουκᾶς αἰνιττόμενος ἔλεγεν· ὅτι τὸν λόγον ἀπέστρεψε πρὸς αὐτούς· καὶ ὁ Ματθαῖος δὲ αὐτὸ τοῦτο δηλῶν ἔγραφεν, ὅτι προςῆλθον αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, καὶ αὐτοὺς ἐδίδασκεν· οὕτω γὰρ καὶ οἱ λοιποὶ προςέχειν ἔμελλον προθυμότερον, ἢ εἰ πρὸς ἅπαντας ἀπέτεινατο αὐτόν.

**) Hoc viderunt post GROTIUM SCHLEIERMACHERUS, VATERUS et alii plerique.

que tradit scriptor, sermone habito Christum *) intravisse Capharnaumum ibique sanavisse centurionis servum.

Et quae in h. etiam pericopa deprehenditur, narrandi diversitas, *speciosa* magis illa, quam *gravis* et *solida* rei summam et orationum convenientiam minime attingit. **) Quod vero Matthaeus tradat (5, 1.) Iesum adscendisse montem ibique consedisse, Lucas (6, 17.) una cum discipulis ad se vocatis, descendisse et in loco plano constitisse (ἔστη ἐπὶ τόπου πεδινοῦ), id quidem vix perspicio, quomodo cordatum lectorem in suspicionem diversarum narrationum memoriae proditarum adducere potuerit. Ubi enim argumentum tam clare loquitur, quid tandem valent tales minutiae? vel a traditione parum sibi constante profectae, vel ne ita quidem comparatae, ut veram repugnantiam prodant. Quid enim obstat, quo minus statuamus, rectius certe accuratius haec tradidisse Lucam, cui *introductio in hanc orationem amplior* unice debetur, ita ut ne opus quidem sit adiumento Grotii, rem expedientis, ut Christum stetisse dicat in planitie, dum aegrotos valetudini restitueret, sedisse deinde doctoris in morem, in monte ***) cum praecepta exordiretur. Nonne enim vel in clivum minus editum latiusque paten-

*) Quam Matthaeus anteponit, de leproso in media via sanato, narratiuncula (8, 1 — 5.), ea et facile praeteriri poterat ab αὐτόπτῃ minus accurato, et in vulgi turba constituto, et talis est, ut eadem bis saepiusque iisdem rerum minutissimarum momentis gesta esse facile tibi persuadeas. Certe Luc. 5, 12 — 14. (cf. *inprimis* ἐν μιᾷ τῶν πόλεων v. 12.) Mc. 1, 40 — 45. idem factum tradi, est, quod vehementer dubitemus.

**) Schleiermacher. l. c. 91 sq.

***) Quod, quale sit, ut dilucidius intelligeretur, poterat addere, sublimiorem regionem aptiorem fuisse

tem ex altiore loco descendentem recte dixeris constitisse ἐπὶ τόπου πεδινοῦ? —

His disputatis, manifestum esse arbitramur, reliquam orationem de monte habitam ad perspiciendа officia membrorum lectissimae societatis Messianae in utroque, quod tulit aetatem, exemplo et liberrime et confidenter in usum vocari posse. Hoc anteaquam officio defungamur, paucis praefari lubuit de his, quae ex indole huius sermonis acrius investigata ad penitius aestimandum Christi ingenium et officium sponte se nobis obtulerunt. *)

Quid enim, quaeso, magis captos tenere, imo percellere debuit auditorum animos, quam talis Messiae vox et praesentia? *Nihil ille humani a se putavit alienum.* Prodiit ille non divitum amicus, non potentium fautor, non Herodianae dominationis callidus adiutor, quo suae gloriae potestatique incrementum pararet splendidiusque in dies nomen assumeret. Prodiit ignobilis vulgi patronus ac familiaris, tenerae et innocentis infantium naturae amantissimus, aegrotorum auxiliator, infortunatorum imbecilliumque hominum praesidium (θεραπεύων πᾶσαν νόσον καὶ πᾶσαν μαλακίαν ἐν τῷ λαῷ), peccatorum quaerens et pessimae famae hominum, portitorum consortium, fucatae osor imperterritus sapientiae, incredibili et

docendae plebi infinitae, quae densis humeris adstans vix par erat percipiendae orationi, plano in loco habitae. At sanandi officio non poterat nisi medius inter mediam plebem constitutus Christus defungi.

*) In hanc rem perdigna sunt lectu, quae in egregiis ad Iesu imaginem depingendam symbolis admonuit Herderus in XXI. ep. libri: *Briefe d. Stud. d. Theol. betr.* T. I. (Weim. 816. 8.) p. 215—225. inprimis p. 221 sq. et in l. *Ideen z. Philos. d. Gesch. d. Menschh.* (ed. Luden.) II. p. 307 sq. quocum contulisse iuvabit. Sartorium in l. supra c. *Drey Abhdlgn. üb. Gegenst. d. exeg. u. syst. Theol.* p. 138 sq.

plane divina fortitudine castigans malum animum bona verba iactantem, nihil curans famam apud primores, nihil, populo deditissimus, auram popularem. (Ioh. 6, 14.) Quid proderant qui simplicis animi essent, quid in moerore ob publicam privatamque calamitatem iacentes, quid vitae aerumnis depressi quotidianisque curis ad victum acquirendum intenti, quid teneri puerull, quid bonae mulieres, ab ore eius pendentes, quid piscatores rerum gerendarum ignari ad splendidam theocratiam condendam, ad victoriam celerrime de Romanis armis reportandam, ad beata tyranni otia perfruenda? Qualis tandem erat δαιμονιζομένων, qualis eorum omnium, qui ne sui quidem corporis satis essent compotes, vis ad auctoritatem inter aequales supremam acquirendam? Quocirca, hoc si tentabat, debebat aut fortissimorum de plebe virorum manus armare, aut primorum partibus arte astuta se adiungere. Fecit neutrum et quid inde sequatur, advertite.

Messianam ordinem vulgarem plane immutavit, imo pervertit Christus, πρῶτον hoc ψεῦδος radicitus sustulit, nihilque nos quidem novimus, quod praeclarius salutariusque ab eo sit dictum actumve. Et persuasum nobis quidem est, tantum in hoc uno decreto fundamentali inesse frugiferi, vel ad popularem intelligentiam, vel ad fidem christianam per sacras conciones commendandam stabiliendamque, ut mirandum ducamus, non saepius hoc caput eligi et incredibilem eius ubertatem dicendo exhauriri. Christus *particularismum primorum* (ut verbo barbaro rem cito definiam) sustulit, dejecto hominum genere adsciscendo et in prima luce collocando. Rei summam complectitur eximia pariter ac paradoxa vox Luc. 19, 10. ἦλθε ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ζητῆσαι καὶ σῶσαι τὸ ἀπολωλός. Hos elegit, sibi non temera-

rio contradicendi pruritu, non prava voluntate, non sui studio adversantes, meliora *sincero* animo sperantes. Et sua quidem vita, ecclesiaeque firmatione perfecit, ut terrestria a coelestibus, humana a divinis vincerentur. — Inde etiam factum existimabis, quod cultores Iesu a rei christianae primis adversariis *congregationem mendicorum* audias dictos. Inde non magis pie, quam vere et acute dixisse censebis eos, qui fidem christianam religionem pauperum, depressorum, viduarum, pupillorum, qui sacri cuiusdam moeroris infortuniique matrem appellantes, ab ea terrestrem splendorem rerum aeternarum desiderio, et coelesti comitate prosperrime superatum et quasi obductum esse sensissent.*) Sed unde digressa est, eo iam redeat oratio. Posteaquam suos varia imagine cf. Mtth. 5, v. 13 — 15. cl. Mc. 9, 50. Luc. 14, 34. admonuerat, ne exempli praestantiam subtilioremque rerum divinarum intelligentiam absconderent aliis, quibus ea insigniter esset profutura, addit hoc esse consilii, ὅπως ἴδωσιν ὑμῶν τὰ καλὰ ἔργα v. 16. qua una voce, quid sibi primarium visum fuerit in re christiana condenda, clarissime fassus est. — Huic percommode adiungitur, quod v. 20. commendat adstantibus virtutis pietatisque longe superantem, quodcunque Pharisaei legumque periti vulgo ex hoc genere prae se ferant, cultum, sine quo nulla spes sit, intrandi sacrae reipublicae communionem.**) — Iam hoc generale praeceptum, ad *singula* descendendo, per *exempla* illustratur.

---

*) V. Schleiermacher. *Reden üb. d. Religion*. ed. 3. p. 415 sq. de Wette in diss. *de morte J. C. expiatoria* p. 90, et in l. *Studien*. edd. Daub et Creuzer. III. 242. 245. 312. Köppen, *Philos. d. Christenth.* I. p. 119. (ed. 1.)

**) Plane non perspicio difficultatem, quam h. l. temere movit Fritzschius; offensus, quod Pharisaeis tribua-

Maiorum (legis doctorum) imperfecto decreto de homicidio per iudicium minus (*κρίσις*) huiusque capitales sententias prohibendo, praeclare actum de communi salute putabatur. 5, 21. Iesus auctoritate Messiana non tantum a deterrimis factis, non tantum a sceleste contumelioseque dictis, manum linguamque, sed vel a temeraria ira *animum*, iisdem interpositis minis, revocare studet. v. 22. Item cultum *externum* vult praecedi a cultu numinis *interno*, qui praestatur per placabilitatem, per reconciliationem cum proximo, ut exinde manifestum sit, nihil valere sacrificia, per omnem asperitatem animorum deo opt. max. oblata, (*operum operatorum*, quae ecclesia vocavit, instar) non nisi ob piam, humanam, sanctamque mentem offerentis deo grata v. 24.

Eandem virtutem futuris regni divini civibus commendat vel ob causam *prudentiae*, ut vitando controversias iudiciarias impensas una cum vinculis per diuturnam actionum seriem certissime instantes effugiant. v. 25. Luc. 12, 58. 59. — Non

---

tur δικαιοσύνη, et hoc incommodi tollere studens per Zeugma (!) hac παραφράσει: *nisi vestra honestas excellens fuerit, magis quam ea sunt legis doctores et Pharisaei insinceri.* Manet tamen, quidquid tergiversetur, haec quantulacunque sit δικαιοσύνη τῶν Φαρισαίων. Imo haec unice recte ex *populari* dicendi ratione explicantur hunc in modum: *nisi abundans fuerit probitas vestra* (recte factis), *magis quam sunt* (sc. ea abundantes) *Pharisaei legumque periti etc.*, ita ut acerbitas et fere ironia in genus perversum minime desit, non (quod male existimat F.) indigna h. orationis sanctitate. Ellipsin τῆς δικαιοσύνης duriorem lubenter reiicimus. At valet haud dubie regula, sine idonea causa rejecta a F.: rationem rei non cum ratione alius rei, sed cum tota alia re, quamquam eodem sensu, saepe contendi. — De indole Pharisaicae δικαιοσύνης nemini non constat vel e Mtth. 23, 23 sq. Luc. 18, 11 sq.

sufficit, ab adulterio abstinuisse, sed perficienda animi castitas radicitus exstinguenda prava in alienam mulierem concupiscentia, qua qui incenditur, *facti*, ut cum poeta loquar, crimen habet. v. 28. — Et ne quis eorum, qui adspirant ad theocratiae Messianae communionem et beatitatem, libidinem suam excuset sensuum illecebris, quibus resisti nequeat, citius exstirpanda sunt ea membra, quibus potissimum fomentum inesse videtur atque irritamentum ad peccata, quam corporis universi, aeternis suppliciis tradendi, iacturam feceris. *) v. 29. 30. 18, 8. 9.

Matrimonii vinculum vetat more maiorum, ingenti arbitrio, turpi facilitate per repudii libellum dissolvi, perniciosaeque aequalium levitati fortiter obsistendo unicam adulterii causam satis validam solvendae per externas formulas et iudicia necessitudini, quae reapse fuisset soluta, iudicat. v. 32. Luc. 16, 18. Mtth. 19, 7 — 9. — Ad perfectum morum exemplar, membris theocratiae Messianae proponendum, belle valent, quae v. 33 — 38. de restituenda purissimae veritatis simplicissima confessione sapientissime admonuit. Legumlatione maiorum de periurio vitando, sed iuramento per deum tolerando, imo adiuvando, quam male consultum fuerit fidei bonae, primo et sacrosancto humanae societatis vinculo, acute perspiciens, fontem malorum restinguere maluit penitus, quam ad tempus obturare, ab humana dignitate plane aliena arbitratus, quae diffidentiam dictorum pro-

*) *Proprie* haec intelligi posse, ne nos quidem dubitamus, summam severitatem Christi, virtutum magistri, dictorumque orientalium acrimoniam, et quae subsit veritatem perpensi, indeque assentimur FRITZSCHIO, vestigia PRICAEI sequuto, qui tamen haec secundum literam accipi non sine temperamento iubet, „nempe si vitio quis alias incurabili laboret."

derent levitatique et inconstantiae fomenta essent. Pharisaeorum inventa de distinguendis iuramentorum generibus, deque formulis perexigua fide adhibitis inania inde iudicavit, quod his magnam cum re sancta necessitudinem intercedere ostendit, ut cum per coelum, per terram, per Hierosolymas, per caput tuum iures, sanctam dei sedem, scabellum pedum eius, urbem magni regis (theocratici) innuas, denique memor esse debeas, ne minimam quidem partis capitis tui mutationem tibi esse relictam. Simplici enim affirmatione vel negatione qui contentus esse nequeat, prodere animum a naturae sinceritate et simplicitate aberrantem et ad malas artes propensum. Latius persequitur hoc argumentum Mtth. 23, 16 — 22. — Indigna erat vel huius aetatis cultu lex de talione. Illi quidem Christus anteponit summam patientiam, varia per exempla quasi oculis propositam. Talem animi conformationem quis non insigniter commendandam existimaverit in gente vindictae cupidissima, ut mitigarentur summa proponendo mores et a continentia affectuum paulatim traducerentur ad bonitatem.

His adiungitur enixa benignitatis, clementiae, humanitatis commendatio. „Dando cedendoque victor abibis." v. 38 — 42. Luc. 6, 29. 30. — Lex aurea *) de diligendo hoste, opposita praecepto non tam Mosaico, quam Iudaico, imo Pharisaico de colendo proximo, deque inimico pertinaci odio prosequendo, provocat ad dei perfectissimi imitationem **), bonorum et scelestorum, gratorum in-

*) Collatione dignissima Senecae vox (*de benef.* IV. 26.): Si deos imitaris, da et ingratis beneficia. Nam et sceleratis sol oritur et piratis patent maria.

**) Mtth. v. 45. ὅπως γένησθε υἱοὶ τοῦ πατρὸς ὑμῶν τοῦ ἐν οὐρανοῖς, Luc. 6, 35. καὶ ἔσεσθε υἱοὶ τοῦ ὑψίστου, utrumque sensu, quem vocant, *ethico* s.

gratorumque εὐεργέτου et quotidiani et uberrimi. Tuos amando, tuis benefaciendo, qui amoris tibi et beneficiorum fructus uberes referunt, quid tandem laudis mereris; quod enim suum quemque vel mediocrem pessimumve hominem commodum docet, quis laudibus extollendum putet? Imo supra *affectionem vulgatam* efferenda est Messiana disciplina, in qua hoc primum spectatur, ut mala (ethica), per bona vincantur. Nihil autem veri boni acquiritur sine iactura eius, quod *vulgo* in bonis censetur. Quid inde loci relictum sit μισοξενίᾳ iudaicae, neminem non perspecturum arbitror. v. 43—48. Luc. 6, 27. 28. 32. 33—36. —

Radicitus evellendum est ex animis studium, probitatem *) ostentationis causa prae se ferendi,

---

ideali. Sed ad hoc alterum ex usu idiomatis dilucidandum egregie facit *Siracides* 4, 10.: γίνου ὀρφανοῖς ὡς πατὴρ, καὶ ἀντὶ ἀνδρὸς τῇ μητρὶ αὐτῶν· καὶ ἔσῃ ὡς υἱὸς ὑψίστου, καὶ ἀγαπήσει σε μᾶλλον ἢ μήτηρ σου. — Ceterum, si *summam* praeceptorum, proxime antegressorum, complecti ἐπιφώνημα extremum (Mtth. v. 48. Luc. v. 36.) existimaveris, multo magis conveniunt τέλειοι Matthaei, quam οἰκτίρμονες Lucae.

*) Recte tuiti sunt plurimi interpretes, Paulus, Gratzius, Kuinölius, Fritzschius al. lectionem δικαιοσύνην, licet in paucis subsidiis inventam, sed ob sensum, uti apte admonuit Paulus, necessariam. Generale enim praecedit praeceptum, quod per exempla singula illustratur cl. v. 2. 5. 16. (id quod bene vidit Gratzius, cuius vestigia pressit Fritzschius.) Ἐλεημοσύνη autem facillime in textum irrepsit, tum propter seq. v. 2., qui cum eo arctissime nexus eiusdemque argumenti obiter textum intuentibus videretur, tum quod alibi saepe δικαιοσύνη, צְדָקָה, צִדְקָה una, excellentissima virtute, beneficentia, se exserere crederetur inter Iudaeos, ab exilii maxime temporibus. Cf. Dan. 4, 24. Prov. 10, 2. 11, 4. Ψ. 111, 9. Sir. 40, 17. Tob. 14, 11. 2 Cor. 9, 9. 10. — Ὑμῶν insigni vi pollere propter oppositum pharisaicae virtutis, praeclare perspexit Paulus ad h. l.

cui qui se dederunt, mercede coelesti eo ipso indigni sunt inventi. Pater enim coelestis non curabit hos, qui suarum virtutum praemium terrestrem captant gloriam. 6, 1. Hanc admonitionem nunc *in concreto*, ut cum schola loquar, latius persequitur orator. Clam hominibus, imo, si fieri possit, te ipso stipem in pauperes eroges. Talis unice beneficentia summo numini accepta. Quaevis enim similatorum ostentatio laudisque inter homines aucupium deo perspicacissimo manifesta praemio suo *) destituuntur, iis (solemni die iudicii a Messia exercendi? cl. 25, 31 sq.) decreto, qui sine strepitu interno animi iussu beneficia in egenos conferunt. v. 2. 3. 4. Pharisaei ne preces quidem fundebant sine iactatione *in locis publicis* pietatis. At verum dei Messiaeque cultorem decet puram mentem secreto afferre numini. Pater autem coelestis retribuet verae pietatis praemium loco manifesto. **) Ne verbositas ***) quidem paganorum

*) VV. ἐν τῷ φανερῷ v. 4. 6. 18. magna Cdd. ambiguitate exhibita, rectius ex ἀναθέσεως legibus servantur, et poterat ipsa aequabilitas insciis librariis aut suspecta aut invisa videri, ut uno alterove loco delenda censerent. Alia suspicio, quae FRITZSCHIO debetur, perversissima est; abominatos Criticos voc. ἐν τῷ φανερῷ, quae Iesu praecepto, secreto res suas habendas probo viro, repugnare credidissent. Talia vix poterat ineptissimus librarius informare. Nonne enim toto coelo distant res gestae, et iudicium de his ab alio latum? Illae si vel secretissimae essent et iure, minime excludebant iudicium apertissimum, a numine profectum.

**) V. 6. ἀποδώσει σοι ἐν τῷ φανερῷ non potes de precibus exaudiendis dictum censere quasi sensus sit: precando clam et pie omnia certissime a numine contingere mortalibus; sed nexui convenientius inprimisque antecedenti commati ita explana: cultum deo pia mente praestitum in iudicio Messiano agnitum et quidem praemiis iri.

***) Eam βαττολογίαν ne Iudaeis quidem parum familiarem fuisse, probant praeter longiores formulas

(quam imitantur simulatores Iudaei) mentem movet divinam. Ea enim qui tandem egeat omniscius deus? Proinde proponitur precationis exemplum discipulis Messianis, in quo non extremum est votum, quod fit pro regni divini proximo adventu, cuius rei interpretamentum est clarissimum *), quod additur *de divina voluntate, non minus his in terris, quam in coelestibus partibus exsequenda* et de tentationibus ad mala, bono cum numine superandis. Ante omnia *placabilitas* erga peccantes adversarios exercenda, si tua tibi errata a deo cupias ignosci. Mtth. 6, 5 — 15. Luc. 11, 1 — 4.

In ieiuniis exercendis cave, ne tetricam faciem iactando corpusque solemniter castigando aliis te prodas tristem, tuae laudis studiosus. Nihil enim ritus habet frugis, sine sincera animi affectione, quae est mater intemeratae pietatis. Pharisaica ieiunia castigans austeritatemque fructuum expertem, longius ab eo abfuisse videtur, ut sacrorum rituum, in quibus virtus se exerceat ut veri in deum amoris, candidae modestaeque mentis indiciis, omnem usum damnet. Pectus est, quod vel ieiunia consecrat; multorum patens adspectui morositas, deturpata facies homines fallunt, non deum. v. 16 — 18. Proinde invehitur in Pharisaeorum similisque hominum generis φιλαργυρίαν. Coelestes compares thesauros aeternum valituros, non terrestres divitias, et perniciei a rerum natura et hominum rapinis obnoxias. Id

Rabbinorum, a Schoettgenio, Lightfootoque exhibitas vv. Sir. 7, 15. δευτεροῦν τὸν λόγον. Cf. Mtth. 23, 14.

*) Non enim dubita, vv. γενηθήτω τὸ θέλημά σου, ὡς ἐν οὐρανῷ, καὶ ἐπὶ τῆς γῆς continere ἐπεξήγησιν enuntiationis, quae antecessit: ἐλθέτω ἡ βασιλεία σου.

vel inde commendabile, quod ea est humana natura, ut, quod facta optione elegit paravitque animus, in eo totus habitet. Cavendum igitur, ne quae in nobis inest meliora simpliciter videndi tenendique indoles, pravorum affectuum dominatione suffocetur et intereat. Magna enim inde serpit in actiones vitae omnes pernicies. Hoc *primitivum* lumen sedulo studio fovendum. Nemo terrestribus coelestibusque rebus incumbere aeque lubenti animo et prospero eventu poterit. Quod si quis tentet, alteri, posthabito altero, inservientem videas. Aut hoc aut illud curandum. Quomodo enim, quae diversissimas in partes te ducunt, feliciter compones? v. 19 — 24. cl. Luc. 12, 33. 34. 11, 34 — 36. 16, 13. Ne sollicitis curis distraharis et vexeris ob vitam naturalem, quae spiritu ducitur, sustentandam et corpus vestiendum. Decet providentiae divinae confidere. Vita carior alimentis, corpus vestitu pretiosius. (Ergo, qui maiora concessit, denegabitne minora?) Ditissima rerum natura. Et deiectioribus animantium generibus, non humanum in morem operas facientibus, victus a patre coelesti facile porrigitur. Quanto his praestabilior vestra natura? Nec quidquam proficies sollicitis curis ad vitae maiorem diuturnitatem *). Et vestium cultum quid

*) Ἡλικίαν, v. 27. crucem interpretum famosissimam, non potes ullo modo ad *corporis staturam* in hoc nexu referre, non modo quod hoc desiderium foret unum omnium admirabile, nec, uti acute vidit post Wetstenium, Paulus, cubitus corpori addictus in exemplum *rei minimae* (Luc. 12, 26.) adhiberi potuisset, sed magis etiam, quod seriei antecedd. dictorum plane non est aptum. Imo trahe ad *aetatem*, sive ad id, quod cum ψυχῇ cohaeret. Duplex enim est genus curarum, quod vetat ali Servator. Alterum pertinet ad ψυχὴν, vitam *naturalem*, quae victum complectitur, cui admodum *affine* est votum de vita

anxie convenit curare? Flores campestres splendissimi, sine proprio sudore accrescentes, unius diei magnificentiae servientes. Talium rerum sollicita cura receptissima est exteris, dei providi ac liberalissimi notitia parum imbutos v. 25 — 32. cl. Luc. 12, 22 — 30. Claudit h. admonitionem epiphonema, v. 33. (Luc. 12, 31.): *ante omnia quaerendum esse regnum dei*, (eius sc. communionem) *et probitatem numini acceptam, cetera sponte additum iri*. Ne in crastinum diem temerarias curas extendas, suum enim cuique diei adhaerescit onus. v. 34. Nolite more humanae cupidinis acrem de aliorum delictis vocem edere, ne, quod fit per naturae nostrae consuetudinem, sanctamque recti et iusti legem, eadem iudicii severitas vobis rependatur. Nam quibus tu alios exceperis dictis factisve, iisdem excipiere. Simulatorum est, ut alienorum vitiorum erratorumque curiosi et perspicaces indagatores, obliviscantur suae gravioris culpae. *Ante te, quam alios emendes*. Mtth. 7, 1 — 5. Luc. 6, 37 — 42. *). Ne profundatis exquisita verba **), bonam vestram doctrinam, coram perditis et nequam hominibus, admonitione enim intempestiva facile accidet, ut noceatis plus, quam prositis in vestram perniciem. Mtth. 7, 6. Precibus assiduis si adiunxeris alacre studium, rem

longius ducenda. Alterum refertur ad corpus eiusque vestitum, de quo a v. 28. demum *plura* facit verba. Usus loquendi litem non dirimit, ἡλικία enim in utrumque sensum adhibetur.

*) Inter nubem dictorum, ab aliis excitatorum, ad haec unice liceat revocare mentem verba Ciceronis *de Off.* I. 41.: Fit nescio quomodo, ut magis in aliis cernamus, quam in nobismet ipsis, si quid delinquitur. Et *Tusc. Quaest.* III. 30. Est proprium stultitiae, aliorum vitia cernere, oblivisci suorum.

**) Ita τοὺς μαργαρίτας intelligas, uti ex arabico idiomate docte ostensum est a Gesenio in Rosenmülleri *bibl. exeg. Repert.* I. 128. 129.

expetendam impetrabis. Deo enim confidere decet. Quid enim, si ne hominibus quidem imperfectis et flagitiosis bona erga suos deest voluntas, quanto minus pater coelestis precantibus denegabit bona? Mtth. 7, 7 — 11. Luc. 11, 9 — 13. Summa praeceptorum singulorum ad hoc redit, ut, quo animo agere nobiscum cupimus alios, eundem his servemus. *Nimirum eo cernitur consummatio legis ac prophetarum.* Mtth. 7, 12. Luc. 6, 31. Ampla porta, latissima et multum trita via, quae ducit ad perniciem; angusta porta compressumque iter, quod dux est ad vitam; pauci inveniunt. (Inde quasi sensibus subiectam videas *difficultatem*, ad Messiani regni beatitatem perveniendi.) Mtth. 7, 13. 14. Luc. 13, 24. Pessima falsorum prophetarum natio, animum rapacem occultantium specie mansuetudinis ac clementiae. (Ne bono habitu decipiamini.) E fructibus, quos produnt, vera eorum indoles perspicitur. Ne quid melius ab hoc genere hominum exspectes. Sua omnino cuiusque natura ad bene vel prave facta auctor est; nec boni sensus mala facta, perversi sensus bona facta gignunt. (Fucata et simulata omnia possunt, sed non diu fallere multos.) v. 15 — 20. cl. Luc. 6, 43 — 45. *Is tantum, credite, regni coelorum particeps fiet, qui cum professione Messianae dignitatis meae coniungit voluntatis divinae sinceram observantiam, factis emergentem.* v. 21. Luc. 6, 46. (Non *ore* tantum, sed *re* decet esse discipulum Messianum; hoc, non illud primarium.) Procedent iudicii die solemni multi, prophetiam, daemonum expulsiones aliave miracula *nomine Messiano* perfecta iactantes. His vero quoniam defuerat sincera animi voluntas, commoda sua malis artibus, non commune bonum quaerentibus (*οἱ ἐργαζόμενοι τὴν ἀνομίαν* M. *οἱ ἐργάται τῆς ἀδικίας* L.), non agnoscet suos Messias. Nihil pro-

14*

derit quotidianum commercium patriamve eandem habuisse. Talia nullam praerogativam condunt adipiscendae communionis theocraticae. v. 22. 23. Luc. 13, 25 — 27. Claudit denique sermonem sublimem Epilogus, parabolicae s. rectius allegoricae indolis, v. 24 — 27. Luc. 6, 47 — 49., per quem confertur (s. conferetur) is, *qui audiat hos sermones atque faciat*, homini prudenti (φρονίμῳ Mtth.), superstruenti domum suam saxo, cui quum alliserint pluviae, torrentes, venti, inconcussa stetit: contra *qui percipiat h. verba nec convenienter iis agat*, confertur (s. conferetur) homini stulto (μωρῷ), fundanti domum suam super arena, quae irruentibus tempestatis furoribus, conquassata gravi lapsu concidit *).

---

*) Τοὺς λόγους τούτους ap. Mtth. cum Ungero (*de parabolarum Iesu natura, interpretatione, usu scholae exegeticae rhetoricae.* Lips. 1828. 8. p. 106 — 108.) aliisque solemnèm arbitror perorationem indicare ideoque non tantum praeced. comm., sed sententiose graviterque dictorum omnium conclusionem continere. Id suadet a. hoc ipsum πᾶς οὖν ὅστις, quod latissime patet; οὖν vero minime nos redire iubet ad v. 21. ὁ ποιῶν τὸ θέλημα κ. τ. λ. (uti non recte iudicat Fritzschius ad Mtth. 299.), sed verosimilius appositum, instar formulae conclusionis, quae, quid gnomarum ante positarum auditorem novisse prae ceteris oporteat, brevi summa complectatur. Et plane non video cum eodem scriptore, quidni vel sic „comparatio ad eos, qui Dei et Iesu admonitiones sequuntur, adaptetur.“ b. indoles huius sermonis, qui a *generalioribus* dictis (τοῖς μακαρισμοῖς) exorsus, per *singula* progrediens praecepta, in *generali* pariter atque *gravissimo* decreto commodissime terminat. c. Τούτους non debebat exterminari a Fritzschio; minime enim a multis praestantibusque subsidiis omitti, vel videre est ap. Griesb. ed. recent. Schulz. — Ceterum Fut. ὁμοιώσω, Mtth. v. 24. et ὁμοιωθήσεται v. 26. egregie nativam vim retinet: *comparabo, conferam,* hoc ipso sc., quod h. verba excipit, momento, ita ut nec *necesse* sit, supplere e v. 22. ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ (id quod *saltem*

Dedimus succinctum celeberrimae et primariae orationis *argumentum*, duplici de causa. Primum, ut manifestum esset, in loco de officiorum genere civium theocratiae Messianae inaudita vi, sapientia et maiestate *) pertractando Christum cuncta revocavisse ad *animum*, sensorumque eius sinceritatem ac veritatem, unice genuinam *virtutis pietatisque* matrem; ab opere externo, quod operatum vocavit scholastica sedulitas, exstinguente per consuetudinem arrogantiamve mentis animique bonitatem, summo conatu deterruisse, exemplum Pharisaicae simulationis satis diu contemplatum ac pertaesum. Altera causa fuit, ut penitius, quam adhuc factum video, perspiceretur, legumlationi Sinaiticae, per additamenta doctorum auctae, at non minus corruptae derogare legumlationem Messianam, item *de monte* **) promulgatam. (Et

---

insigniter pugnaret c. Luc. v. 47. ὑποδείξω ὑμῖν, τίνι ἐστὶν ὅμοιος. Ὅμοιός ἐστιν cet.) nec *ferri possint* Kuinölius aliique, Fut. pro Praes. positum, vel continuationem actionis indicatam dicentes. Similiter Fritzschius et Ungerus. —

*) V. 28. 29.: καὶ ἐγένετο ὅτε συνετέλεσεν ὁ Ἰησοῦς τοὺς λόγους τούτους, ἐξεπλήσσοντο οἱ ὄχλοι ἐπὶ τῇ διδαχῇ αὐτοῦ. Ἦν γὰρ διδάσκων αὐτοὺς ὡς ἐξουσίαν ἔχων, καὶ οὐχ' ὡς οἱ γραμματεῖς. Idem affirmatur de Iesu doctore in synagoga Capernaumitica. Mc. 1, 22. Luc. 4, 31. 32. (4, 15.) Io. 7, 46. Ἐξουσίαν non minus apte ad auctoritatem Messianam traxeris, quam ad potestatem et peritiam doctoris; utramque enim personam sustinuit Iesus e mente scriptoris. Priorem perperam negavit Fritzschius ad h. l. de qua re agam ad Mtth. 5, 17. in l. qui est de antiquanda per Christum lege Mosaica. Vero proxima Wetstenii verba: „Iudaeorum doctores super ceremoniis superstitionis suae varias variorum opiniones nullo fundamento nixas proponebant. Christi vero doctrina sua se utilitate atque evidentia commendabat.“

**) Praeclare Grotius (ad Mtth. 5, 1.): „sicut lex vetus *de monte* erat promulgata, ita et novam Christus *in monte* proposuit.“

Rabbinis dictum reperimus Messiam *alterum Mosen.*) In qua summum hoc est, ut fides non unice *theoretica*, cuius deinceps scholae male intellectam vim atque pondus in adipiscenda vita vere vitali esse voluerunt, et iam tum existimavit Pharisaica hypocrisis, sed *practica*, per bona opera efficax, eorum imbuat occupetque animos, qui genuini sacrae communionis cives esse nuncuparique velint. Id quod, ut repetam, quod nimis saepe repeti nequit, luculentissime inest in verbis eximiis Mtth. 7, 21. (cl. Luc. 6, 46.): οὐ πᾶς ὁ λέγων μοι, κύριε, κύριε, εἰςελεύσεται εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν· ἀλλ' ὁ ποιῶν τὸ θέλημα τοῦ πατρός μου τοῦ ἐν οὐρανοῖς. Nec minorem affundunt huic causae lucem, ei qui quaerit amatque lucem, quae antecesserant, verba 6, 33. (cl. Luc. 6, 31.): ζητεῖτε δε πρῶτον τὴν βασισιλείαν τοῦ θεοῦ, καὶ τὴν δικαιοσύνην αὐτοῦ.

Ita igitur strenuus μετανοίας praeco, quid necessarium sit ad coelestis civitatis iura adipiscenda, non magis fortiter, quam dilucide aperuit. Nihil iuvant pia dicta, iuvant recte, honeste pieque sensa et facta, dictis congrua. Non tam singula officia inculcavit, quam, qui his singulis subest eaque quasi consecrat, animum commendavit. Ex intimis mentis nostrae penetralibus faciendum est, quidcunque fieri et decet et iuvat pro salute divinae causae, pro insigni rerum mutatione Messiana prope instante. Et superior est Messias Mose atque prophetis, veri atque boni semina inter sacrorum rituum quasi inertem materiam parce prodentibus.

Eum locum praeclare illustrant, quae Mtth. 9, 9 — 13. Mc. 2, 13 — 17. Luc. 5, 27 — 32. (cl. Mtth. 12, 7.) leguntur de Domino, φίλῳ τῶν τελωνῶν καὶ ἁμαρτωλῶν, ἔλεος θέλοντι,

οὐ θυσίαν, et in vocem erumpente! οὐ χρείαν ἔχουσιν, οἱ ἰσχύοντες ἰατροῦ, ἀλλ' οἱ κακῶς ἔχοντες, deque collationibus finitimis. Verum de his fuse cum sit actum supra (p. 144 — 147.); absit retractans manus! De geminis vero locis, ut de Mtth. 23, 23., ubi neglecta severe conqueritur Servator, a legum peritis, coecis populi ducibus: τὰ βαρύτερα τοῦ νόμου, τὴν κρίσιν, καὶ τὸν ἔλεον, καὶ τὴν πίστιν; de Mc. 12, 33., ubi uni de legum peritis, praeceptum de uno vero deo amore summo prosequendo, et de proximo instar sui ipsius colendo summum habenti et sacrificiorum cultui certa sententia anteponenti, tantam prudentiam miratus, laeta voce acclamat: οὐ μακρὰν εἶ ἀπὸ τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ (quibus verbis qualem animum intrandae societati divinae habilem requisiverit dilexeritve, quis tandem non clare perspiciat?): de his, inquam, locis quaedam subiungendi infra erit commodior opportunitas ad pericopam, quae est de Mosaico instituto, per Christum abrogando.

Qualis indolis desideret Iesus discipulos, alia occasione non obscurius enuntiat, deo agens grates, quod haec decreta sua celaverit hos, qui sapientes se intelligentesque habent (σοφοὶ καὶ συνετοί), et abunde aperuerit his, qui mente nondum adulti et imperiti videntur. Hos (νηπίους) sibi optat sectatores, hos adeptus gratulatur sibi. Et haec ita aguntur e patris coelestis voluntate *). Mtth. 11, 25. 26. Luc. 10, 21. Proinde comiter

*) Assentior Fritzschio: vv. καὶ ὁ πατὴρ, ὅτι οὕτως ἐγένετο εὐδοκία ἔμπροσθέν σου v. 26. referenti ad ἐξομολογοῦμαί σοι cet.; hoc sensu: gratias tibi ago, *ita* tibi visum esse, sc. imperitis res christianas patefieri, doctis abscondi. Ita continent verba retractationem v. 25. et summa vis inest in *οὕτως, sic, ut modo dixi.*

et amice ad se invitat, quicunque inventis sacerdotum dominationis impotentis iactati, Pharisaicarum παραδοσέων iugo onerati et tantum non oppressi, in spei atque solatii defectu errent instar ovium pastore orbatarum (uti alio loco Mtth. 9, 36. est collatio venusta), iisque tranquillitatem pollicetur animorum. Suum ut iugum *), leve illud, suum ut facile onus suscipiant, suasor est mitemque se atque humilem animo doctorem praestat.

Veram secum cognationem non tantum e natalibus aestimat, sed internam et perennem esse censet eorum, qui Dei voluntatem percipiunt factisque exprimunt. Id etiam, quantum recedat a vulgata opinione, quam sit grande verbum et nobile, rependas. Cf. Mtth. 12, 50. Mc. 3, 34. Luc. 8, 21.

De similitudine Mtth. 13, 24 — 30. de bono semine et lolio in agro eodem sparso, deque eius interpretatione authentica, a Christo ipso a v. 36. adiecta dicerem, nisi supra p. 157 sq. occupatum esset hoc argumentum. Quod ille de discrimine proborum et improborum sub auspiciis novi regni Messiani in altero reditu suo strenue instituendo, et de tolerandis ad hoc tempus in societate sacra improbis non prudentius, quam humanius edisseruerat, non pugnat cum prioribus. Fit enim hoc, ne ulli ad bonam frugem se convertendi desit otium et male sedula severitate ii etiam arceantur, qui non sunt malae in-

*) Multi ante me admonuerunt, ζυγὸν notam esse imaginem de *constitutione legali*, cui quis subest. Act. 15, 10. Sir. 51, 26. Haec disciplina recreabat animum, non deprimebat. Retinuit iugi voc. ut fortior esset oppositio. Similiter Ioannes (1 ep. 5, 3.) αἱ ἐντολαὶ αὐτοῦ βαρεῖαι οὐκ εἰσίν. Cf. in contrariam partem Mtth. 23, 4.

dolis, at videntur esse propter defectum constantiae, quae lente adquiritur.

Disceptantibus invidiose discipulis, (Mtth. 18, 1—15. Mc. 9, 33—50. Luc. 9, 46—50. 17, 1. 2. 15, 4—7.) quis sit maior s. potior dignitate et honore in regno coelorum, et ad Iesu responsum litem dirimendam deferentibus; Dominus non, quod exspectabatur, uni alterive melius morato, s. aliam ob causam insigniter dilecto praerogativam concedit. Causam controversiae vanam esse, et *animum* huius certaminis matrem gravissime errare actione symbolica, aeternum in memoriam adstantium quasi insculpenda non fortius, quam dilucidius ostendit. Arcessit infantem *), eumque carissime amplexus, collocat in media rixantium turba, in haec verba erumpens: *ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐὰν μὴ στραφῆτε καὶ γένησθε ὡς τὰ παιδία, οὐ μὴ εἰςέλθητε εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν.* Animi sensa emendent, imo radicitus mutent futuri sacrae communionis cives, et quidem, ut per discipuli (Pauli) verba interpreter vocem magistri *εἰς καινοὺς ἀνθρώπους*! Innocentem et puram infantium indolem non possunt assumere, nec prae se ferre, nisi per *μετάνοιαν*, per resipiscentiam ex intima animi sede profectam omnemque cogitandi, sentiendi agendique normam occupantem, naturae, quae est in parvulis optima (sumitur certe), redditi. In coelesti regno is est maior omnibus, qui se modeste postponit cunctis, similiterque is, qui imbecille hominum genus, infantes Messiae nomine suscipit clementerque tractat. His enim quidquid benefecit, Christo benefecit. Vae contra his, qui

*) Cuius ne nomen quidem deest Legendae, quae *Ignatium* vocat, Traiano Caesare in honorem Christi martyrium perpessum. Niceph. II. 35.

despectae (ἐν τῷ κόσμῳ) et innocenti turbae causa exsistunt offensionis, ut eorum vatillet fides. Summo illi supplicio digni, praestaret ex adspectu hominum removeri hanc nationem: etsi adesse offensiones, per hanc mortalium rerum conditionem vitari nequeat. — At hi parvuli *) in potenti patris praesidio sunt collocati: his genii tutelares adstant in coelestibus partibus **). Ne

*) Caveatis, inquit (v. 10.), ne parvi habeatis, negligatis (καταφρονήσητε) unum de his *parvulis* (cf. v. 6. ὃς δ' ἂν σκανδαλίσῃ ἕνα τῶν μικρῶν τούτων, τῶν πιστευόντων εἰς ἐμὲ, συμφέρει αὐτῷ etc.). *Parvuli* quinam sint, non consentiunt interpretes. Aut de *infantibus*, aut *translate* de *discipulis* explanant: neutrum respuente loquendi usu, hac tamen explicatione violante nexum, uti apte contra Fritzschium aliosque antecessores monuit Unger. l. c. p. 145. Obstat enim, quod, cum discipulis ipsis habita sit oratio, non possint admoneri, ne discipulos spernant, et v. 6. multo etiam luculentius patet, e progressu sermonis et contextu, (cf. v. 5. παιδίον τοιοῦτον ἓν) infantes innui. Qui, quare non possint dici, pueri πιστεύοντες εἰς Χριστὸν, plane non assequor: praesertim si verum est, quod praeter alios Ven. Paulus ad v. 2. admonuit, rabbinicos doctores v. קָטָן de pueris, nondum tredecim annos natis, de puellis, duodecim annis minoribus adhibere.

**) Artificiosa est, repetita longius nec usui linguae consentanea explanatio Ven. Pauli eumque sequuti Ungeri v. 10., vertentis: estote puerorum (docendo educandoque) quasi (symbolice?!) genii tutelares, nam hoc officium ad singularem quandam beatitatem (deo propiorem sedem) perducit. Nam a. ἄγγελος τινος nusquam denotat (quae est *vernaculi* idiomatis ratio: jemandes Engel werden) universe patronum, de aliquo bene merentem. b. male *sumitur*, v. 2. παιδίον esse puerum, parentibus orbum. c. male negatur, reperiri in Hebraeorum Iudaeorumque monumentis doctrinam de geniis tutelaribus, unicuique mortalium in coelestibus partibus adsignatis. Cf. Iob. 33, 23. de מַלְאָךְ מֵלִיץ ibique *interpp.* Tob. 12, 12. Act. 12, 15. (qui, l. de spectro

minimi faciant mortales, quos deus eiusque legatus, Messias, faciunt maximi. Ἦλθε γὰρ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου σῶσαι τὸ ἀπολωλός *). — Id per venustissimam tenerrimamque imaginem de ove perdita, relictis reliquis, sollicita cura a fideli pastore requisita, tandemque non sine summo gaudio, in cuius societatem et vicinos advocat familiares, reperta, et amanter suscepta, non tantum menti, sed sensibus oculisque adstantium, proponit. Ita deus ne vel unum eorum, qui parum valent in mundo, pessum vult dari. Ita maiori laetitia perfunduntur coelestes animae de uno peccatore ad bonam frugem reverso, quam

perperam explanatur.) Et ne hoc quidem (cum Paulo) parvi faciendum, quod Schoettgenius e Rabbinorum decretis attulit, animabus puerorum praecipuum in coelis locum esse. Nam etsi inde stricte nihil concludere possis pro angelis tutelaribus, tamen haec praerogativa ob *analogiam* lucem affundit formulae: διὰ παντὸς βλέπουσι etc. Omninoque ab h. interprete negligitur origo probabilis doctrinae de angelis, quae huius aetatis ingenium et orientalem usum non violet. Sumtam enim constat imaginem e cultu orientalium tractuum regum, paucis iisque lectissimis administris et amicis sui videndi copiam quotidie facientium, promiscuae plebi accessum negantium, aut perraro adspectum praebentium. Cf. 1 Regg. 10, 8. 2 Regg. 25, 19. Idem apparatus, eadem pompa (per anthropomorphismum orientalem) in aulam coelestem translata sunt (Luc. 1, 19.), unde primae dignitatis angeli מלאכי פנים, teste Schoettgenio, vocati. Sensum igitur cum Grotio, Wetstenio, Kuinoelio, Fritzschio aliisque hunc statuo: affirmo vobis, angelos (non discipulorum, sed puerorum) tutelares perpetuo intueri in coelis patrem meum = excellentes angelos eorum curam gerere, et praesidio adesse.

*) Hic v. non e Luc. 19, 10. huc translatus, uti post Griesbachium censuere Paulus et Kuinoelius. Continet enim aliam causam, ob quam nec despiciendi, nec ad mala irritandi sint parvuli, quippe peculiari Messiae commendati curae.

de multis δικαίοις, s. coelitibus s. terrae incolis, μετανοίᾳ non indigentibus *).

Quaerenti Petro (Mtth. 18, 21.), quoties par sit, peccanti erga nos proximo veniam condonari, num septies amplius, amplum ac liberalem numerum designavisse rato **); Iesus, regerens, consulto, numerum maximum, placabilitati nullos fines adscribendos, animum ad ignoscendum semper pronum adesse oportere rei Messianae candidatis graviter edixit.

Quae admonitio ut per narratiunculae, suis absolutae partibus, vigorem acrius infigatur animis, addit similitudinem, hac ἐπιγραφῇ: διὰ τοῦτο ***) ὡμοιώθη ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ἀνθρώπῳ βασιλεῖ, ὃς ἠθέλησε συνᾶραι λόγον κ. τ. λ. h. s. similis in regno coelesti ratio est, atque in regno terrestri, ubi rex cet. s. ita se habebunt res in r. c., ut, si rex sit aliquis cet., ut non regi, sed rei ab eo, aliisque gestae, nunc narrandae conferri r. c. appareat. Illi enim rationes a ministris reposcenti, sub rei gerendae auspiciis (quasi omnium maxime obaeratus agmen ducens?) affertur decem millium talentorum †),

*) Quam hoc et nobis sentiendum! — Gradationem inesse et veritatem psychologicam in h. similitudine, quam alia occasione, contra obiurgantes commercium cum portitoribus Pharisaeos a Iesu repetitam, imo variatam et auctam pleniore forma exhibet Luc. 15, 4 — 7., quam Mtth. 18, 12 — 14., recte monet Unger. 147.

**) Petrus, ceterorum nomine loquutus, Rabbinicorum fortassis doctorum non immemor fuit, qui ter placatum animum laudabant, ultra veniam vix admisisse videntur. Cf. Gratz. ad h. l.

***) Recte explicuit Fritzschius: „propterea, nempe, quia saepissime est alteri iniuriarum concedenda venia. cl. v. 22.“

†) Nequeo cum Fritzschio (praeeunte Origene T. III. p. 627. B.) μυρ. ταλ. pro πολλὰ nude dicta cen-

ingentis summae, debitor. v. 24. Quem, quum solvendo par non esset, iam rex de iure *) iubet vendi, una cum dilectissimis bonis, cum muliere, cum liberis, reque familiari, et relatos inde nummos **) ad se Dominum deferri. Tum herum servus supplex veneratus, eius patientiam misericordiamque implorat, *omniaque* debita se redditurum (anxio magis et trepido impetu, quam animo virium satis conscio ***) pollicetur. Miseritus hominis miserandi herus, non tantum liberum impunemque dimittit, sed et debitum condonat. v. 27. Ille regis palatium egressus †), offendit unum de conservis ††) suis (eadem vitae conditione utentem!), qui ipsi centum denarios, minimam summam (ne conferendam ullo modo μυρίων ταλάν-

sere; quamvis nec ego in lubrica minimeque necessaria computatione multum quaesiverim auxilii. Ponitur in narratiuncula populari summa ingens et rotunda, quam vocant. Talentum si est syriacum, CCCXX imperialium, et septem grossorum pretium continet. Centum denarii (drachmae) minam atticam conficiunt, quae est, auctore RAMBACHIO, XXI imperialium septemque grossorum summa.

*) De quo v. MICHAELIS *mos. Recht.* §. 148. Rex sustinuit et creditoris et domini personam.

**) Hoc enim post ἀποδοθῆναι cum FRITZSCHIO UNGEROque (p. 113.) exquisitius suppletur, quam τὸ ὀφειλόμενον, ut vulgo fit. Tales non erant fortunae debitoris, ut venumdandis praeter ipsum familia, rebusque domesticis grande nomen totum dissolveretur, sed partem, quam nihil, praestabat recuperasse.

***) Psychologice hoc narratum de afflicto plus pollicente, quam ferant humeri, laudat UNGERUS, quod BAUERUS notarit. Addat GRATZIUM, idem fatentem in *Comm.*

†) Id quod auget crudelitatem facti. Debebat animum occupavisse recentis beneficii sensus, qui et mitius in alios iudicium gignere solet. V. GRATZ. et PAULUS, quibus se adiunxit FRITZSCHIUS.

††) Servi in conservum exspectares humaniorem sensum, quam heri in servum.

των debito, vix condonato) debebat. Ab hoc immani vi obtorto collo debitum exigit *). v. 28. Ille in pedes prolapsus, eius implorat misericordiam, omnia se praestiturum promittens, iisdem verbis, quibus creditor a rege condonationem impetraverat **). v. 29. At servus perfricta fronte (triplici circa pectus aere) nihil movetur, disceditque (vel solus, vel obtorta gula ad ius rapto adversario) ad debitorem apparitoris manu in custodiam coniiciendum, donec debitum solvat. v. 30. Quae cum vidissent conservi, contristati indignum facinus deferunt hero v. 31. Advocatur servus, cui rex severissima voce: serve nequam, inquit, omne debitum condonavi tibi, tuis precibus. v. 32. Nonne et te decebat misereri conservi, uti ego tui sum miseritus. v. 33. Tum ira exacerbatus, herus tradidit eum carceris famulis ***), servandum, donec restituerit omne debi-

*) Καὶ κρατήσας αὐτὸν ἔπνιγε. — In lectione: εἴ τι ὀφείλεις, quae potior est e Cdd. suffragiis altera ὅ, τι ὀφείλεις, Ven. Paulus insigne incrementum immanitatis istius servi reperit, quasi ipsi non certo constiterit de debito. Id quod parum credibile, quod longius petitum. Fritzschius inde explicat: „quod non sine urbanitate Graeci a conditionis vinculo aptarunt, quod a nulla conditione suspensum sit.“ Quae urbanitas, ut intellexit Unger. 113. ab h. sermonis nexu aliena est. Is conditionem dictam pro causa putat. Addiderim, e *populari usu* esse hoc satis frequens, et habere aliquid acerbitatis citius, quam humanitatis.

**) Praeclare Chrysostomus: ὁ δὲ οὐδὲ τὰ ῥήματα ᾐδέσθη, δι᾽ ὧν ἐσώθη· καὶ γὰρ αὐτὸς ταῦτα εἰπών, ἀπηλλάγη τῶν μυρίων ταλάντων καὶ οὐδὲ τὸν λιμένα ἐπέγνω, δι᾽ οὗ τὸ ναυάγιον διέφυγεν.

***) Βασανισταὶ v. flagellantes, v. δεσμοφύλακες, fortassis nunc *extra ordinem* cruciatus in carcere exercendi causa vocati.

tum suum, licet ante condonatum. (*Aequa* poena fuit.) *). v. 34. — Denique Iesus brevi at forti voce ad discipulos non opinatos imaginem adplicat v. 35.: *οὕτω καὶ ὁ πατήρ μου ὁ οὐράνιος* (ἐπουράνιος?) *ποιήσει ὑμῖν, ἐὰν μὴ ἀφῆτε ἕκαστος τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ ἀπὸ τῶν καρδιῶν ὑμῶν τὰ παραπτώματα αὐτῶν.* Hoc epiphonema non continet ἐπιμύθιον, sed collationem per partes inquirendam tradit apostolis, aliisve adstantibus, de quibus videretur „narrari fabula," sat agens, aculeum in eorum animis reliquisse. Summa haec est: Nos servi (mortales) apud regem coelestem debitum vix solvendum contraximus, ita ut de iure suo carissima quaeque a nobis reposcere poenae et solvendi nominis causa possit. Sed supplicatione et ardente promissione de officiis aliquando explendis fit, ut culpa cum poena adnexa a numine misericorde condonentur. Nec nobis desunt debitores, at multo minoris summae, quos aequum est, eadem placabilitate et lenitate tractare, remittere debita (peccata) levia nos, tantae summae condonationem expertos. Quod si immanius ab his debita exigimus, quid quod in poenam eos rapimus, verendum est, ne idem plenum ius in nos debitores obstrictissimos exerceat deus. Inde consequitur, *condonanda esse ex animo fratribus peccata, suppliciumve peccatis adaequatum, alioquin et nostrae culpae a patre coelesti plena poena instabit.* Eandem rem apertis verbis praeceperat futuris theocratici instituti cultoribus: Mtth. 6, 12. 14.

**) Non *aeternitas* praevalet *poenae*, ut censet EUTHYMIUS. Imo respondent sibi ἕως οὗ ἀποδῷ πᾶν τὸ ὀφειλόμενον, et quod debitor nequam in conservum statuerat: ἔβαλεν αὐτὸν εἰς φυλακὴν, ἕως οὗ ἀποδῷ τὸ ὀφειλόμενον. UNGER. 114.

Posteaquam (Mtth. 18, 1 — 12. cf. Mc. 10, 1 — 12.) Iesus ad Pharisaicas quaestiones in Iudaea e Galilaea reduci de repudio sibi propositas ita responderat, ut matrimonii vinculum inviolabile et sacrosanctum dei institutione, e sacris libris conspicua, non nisi adulterii crimine, uti reapse solutum, ita consueto ritu solvendum declararet, Mosaicam indulgentiam a necessitate et mali animi pertinacia (argumentis firmans et latius persequens, quae in oratione montana 5, 31. 32. attigerat) repetens; regesserantque discipuli, in tanta severitate coniugialis tori praestabilius videri, non ducere uxorem: ille, non omnes, inquit, huic rei capiendae (sustinendae) pares sunt, sed quibus hoc datum est. Pergit v. 12. εἰσὶ γάρ εὐνοῦχοι, οἵτινες ἐκ κοιλίας μητρὸς ἐγεννήθησαν οὕτω· καὶ εἰσιν εὐνοῦχοι, οἵτινες εὐνουχίσθησαν ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων· καί εἰσιν εὐνοῦχοι, οἵτινες εὐνούχισαν ἑαυτοὺς διὰ τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν. Ὁ δυνάμενος χωρεῖν, χωρείτω. Hoc tertium genus est, quod divinae causae iuvandae communionisque in societate theocratica adipiscendae gratia summam colit temperantiam atque castitatem, ita ut matrimonio abstineat. Id quod non officii, sed voluntatis ducens non obtrudit doctoribus rei Messianae *mox egressuris*, sed amplexuris lubenter rem suis viribus sustinendam commendat. (Unde de clericorum dignitate subtilius saepe, quam verius philosophati ecclesiae doctores *evangelicis consiliis* tribuerunt, quod e diserto, perspicuoque Iesu decreto duci posse desperavissent.)

Additur, infantes ei allatos, ut manum benedicens imponeret. Prohibentibus mala cura discipulis, nolite, ait, parvulos arcere, ne adeant me. *Ita enim morati participes fient coelestis regni.* Imposita manu dimisit eos. (Cf. quae *supra* ad

18, 2 sq. monenda duximus.) Mtth. 19, 13—15. Mc. 10, 13—16. Luc. 18, 15—17.

Quae de iuvene divite confidenter ad Christum aggresso, tristi et vultu et animo ob inexspectatum dictum digresso dicenda videbantur, satis supra sunt dicta. Cf. Mtth. 19, 16—26. Mc. 10, 17—27. Luc. 18, 18—27. Pergimus ad Petri orationem, quam Iesu dictum simplex et planum, dein uberior per parabolam Messianam expositio excepit.

Matthaeo (20, 1—16.) ea peculiaris est. — Petro (malam eorum, qui opibus essent beati, ad intrandum regnum divinum indolem et iuvenis exemplo et Christi professione experto) iactantius interroganti, quid tandem apostolis, qui omnibus derelictis, Christo comites se adiunxerint, praemii sit exspectandum, Iesus sub regni Messiani auspiciis, in rerum novo ordine hos administros insigni felicitate, principi honore et auctoritate auctum et uberrime iacturam in hoc orbe factam bonorum affluentia resarcitum iri asserit.*) Ita satis videbatur factum non iniustae hominis exspectationi, a nimia tamen sui fiducia excitatae, et citius, quam par esset, in ambitiosa verba excandescentis. Addit Dominus cautelam v. 30. πολλοὶ δὲ ἔσονται πρῶτοι, ἔσχατοι· καὶ ἔσχατοι, πρῶτοι. Haec universa et proverbialis sen-

*) Cf. Mtth. 19, 27—29. Mc. 10, 28—30. Luc. 18, 28—30. Serio, an ironice (uti nuper censuit Liebe: *Ueber Mtth. 19, 28. oder eine vom Evangelisten und seinen Auslegern übersehene Ironie* in l.: Wineri *exeg. Stud.* T. I. p. 59—102. nixus inprimis contexta oratione quibusdamque e *Marci* relatione vestigiis) haec vox a multa parte memorabilis edita fuerit, non nunc, sed ibi expediendum erit, ubi de genere bonorum et beatitatis, a Iesu Messia Messianis civibus promissorum, fusius dicendi et locus erit et officium.

tentia nude posita satis quidem perspicua non est, continet tamen ἐπιγραφὴν s. προμύθιον parabolae a c. 20, 1 — 15. adiungendae, uti ex ἐπιμυθίῳ v. 16. *eorundem verborum* clare intelligitur. VV. ὁμοία γάρ ἐστιν ἡ β. τ. ο. ἀνθρώπῳ οἰκοδεσπότῃ, ὅστις cet., uti 18, 23., ita esse explananda, ut non in una persona, sed in tota actione collatio consistat, non repetam.

Similitudinis argumentum succincte exhibebimus, et, in quo cernatur ἀντίτυπον, paucissimis indicabimus *). Exit herus (Deus) summo mane, ut operarios in vineam (notam rei sanctae, theocraticae imaginem) vocet. Adsumuntur in operas diversissimis diei horis, unde non eadem laboris diuturnitas. Convenitur de denario (*ex iusto et aequo*, de recepta in hac causa mercede). Rursum exit circa tertiam, sextam nonamque horam, quosque invenisset inertes vocationem ad laborem exspectantes, adiungit sibi, promittens, ut ferant ὃ ἐὰν ᾖ δίκαιον. (Qui sero, imo serissime vocantur a domino in vineam, sunt, qui vel ingravescente aetate, vel post diutius cognitam latiusve propagatam rem Messianam *sine sua culpa* sero ad Christum accesserunt.) Vespera igitur ingruente (non vitae, ut perperam censuit Unger. l. c. 116., sed in adplicatione post avocationem e ministerio regni terreni tempus innuitur praemiorum dispen-

*) De h. parabola, multis multorum conatibus explicita nuperrime scripserunt: Beyer. *üb. d. Parabel v. d. Arbeitern im Weinberge, in* Wineri *neu. krit. Journ. d. theol. Lit.* I. 2. p. 1 sq. C. G. Wilke *üb. d. Arbeiter im Weinberge in* Wineri *Zeitschr. f. wissenschaft. Theol.* I. 82 sq. Unger. l. c. p. 115 — 119. — Allegoremata potius, quam ἐξηγήσεις antiquiorum multorum, qui ob historiam interpretationis nosse penitius cupiat, legat Wolfium in *Cur.*, Gratzium in *Comm.* ad h. l.

studiorum, sub solemnibus auspiciis regni Messiani, ἐν τῇ συντελείᾳ τοῦ αἰῶνος), demandat Dominus vineae procuratori, ut operarios vocet iisque mercedem persolvat, ab extremis (serissime vocatis) exorsus usque ad primum vocatos. Accedunt, qui undecima hora in vineam se contulerant, receperuntque unusquisque denarium. Quibus post alios denique succedentes, qui primi ad ministerium essent vocati, persuasi, pleniorem mercedem se relaturos, suum quisque denarium et ipsi acceperunt. (*Aequa* igitur omnibus *sine discrimine* [*rei externae, saepe fortuitae* sc.] temporis, quod laborando transegerant, *merces* obtigit.) Quam aequabilitatem aegre ferentes, fremuerunt in herum versi: isti unam horam opus exercuerunt, et tu nobis eos pares fecisti, perpessis grave onus diei solisve aestum acerrimum. (Quasi querantur rei Messianae proximi ministri, quod non *primas* *), quas exspectarant, impetrarint, cum *prima* pericula et *maximos* labores sustinuerint, sed *aequo* cum his, qui serius accesserant ad laboris societatem, et honore et praemio fuerint habiti.) Eorum uni respondit herus: amice, non tuum ius violo, annon de denarii summa mecum conveneras? Suscipe, quod tuum est, et abi. (Tua *iusta* contentus mercede, noli alienae invidere, sodalis Messiane!) Volo et huic postremo contingere, quod tibi datum; annon licitum est, facere, quae lubet, in his, quae mea sunt? num invidia te exurit, quod *benevolentiae* meae aliquid

*) *Non debet repugnare sermo proprius parabolico, qui ei firmando illustrandoque inservit.* Contrarium autem edixisse videbitur Iesus 19, 28: *primas primis concedens discipulis,* nisi *ironice* h. dicta censueris! De qua re infra dicam. Nihil mutat rem, quod Unger. 115. notat quidem, at non probat, *translate* h. esse accipienda. Manet praerogativa.

tribuo? (Nemo, Messiana mercede relata, *his persuasione* sua deterius habendis, eandem dari calumnietur; sunt enim haec in *gratuita benignitate* posita Domini rei Messianae = dei. „Non est praerogativa ullius, qui retulit. Inde nemo invidus *benevolentiam* numini exprobret suam.“) Qui postremi sunt (e mente operariorum et Petri), primi erunt (e voluntate Domini vineae et Domini regni coelorum), qui vero primi sunt (ad operariorum et Petri sententiam), postremi erunt (referent cum his, qui infimo loco positi operariis Petroque videntur, *parem* mercedem.). Quacunque tandem de causa, qui extremi cooptati sunt in laboris Messiani consortium, pares, si Deo videtur, habentur his, qui primi in castris christianis militarunt, et versa vice. Πολλοὶ γάρ εἰσι κλητοὶ, ὀλίγοι δὲ ἐκλεκτοί. Id epiphonema talem in modum claudit sententiam. Multi quidem in operis divini societatem adsciscuntur, at *eximiae indolis* hominum, operas collocantium, est paucitas. (Atque ex horum aestimatione, quae dei est, pendet, si qua est, praerogativa, non ex ipsorum persuasione.) Ne quisquam confidenter a se repetat, quae exspectanda sunt a gratia divina et liberrimo de efficacia in rebus Messianis iudicio.

Ex hac similitudine intelligitur, adeo non excludi primariam conditionem, penetrandi ad divinae societatis bona et praemia, quae cernitur in vita deo virtutique consecrata, ut vel tarda studia, huc spectantia, magni fiant.

De eventu industriae, ne ullus detur insolentiae locus, aequa lance ponderando, non praepropere primis ministris gloriandum aut postulandum, verum uni deo Domino rerum Messianarum, iudicium relinquendum esse *).

---

*) Qui de exteris aequo cum Iudaeis loco in r. c. ha-

Quantum amaverit Dominus hanc in suis modestiam, uti in reliquis, quorum sint consocianda in sancto coetu nomina, indicio est ea ars, ea prudentia, ea libertas, qua ambitiosae matris temeraria ac praematura petita repulit. Mtth. 20, 20—28. Mc. 10, 35—45. (Auget facti insolentiam *Marcus*, qui iuvenes ipsos, Ioannem et Iacobum precibus aggressos magistrum scribit.)

Accedens enim cum filiis Salome et supplex venerata Dominum, expetit mira fiducia primos natis honores in regno brevi condendo. Quibus sapienter Iesus: non perspexistis, inquit, quae expetitis. Statimque a felicitate eiusque genere deducens sermonem *), adiungit, num vobis animus est, gravissimos mecum subire dolores, et malorum quasi fonte submergi? (In infortunii, non beatitatis consortium nunc vos appello.) Animus est, regerunt. Tum ille: ita mecum, ait, fortiter extrema patimini, at, quam vos petiistis praerogativam, minime meum est concedere, sed continget his, quibus decreta fuerat a patre meo. Ita arrogantiae quaestionem plenam et notaverat, et ad nihilum redegerat, *suumve exemplum* in medium collocando effecerat, ne cui spes falli suas, iustum videretur dicere. (Nemo discipulus melio-

---

bendis sermonem *unice* agere contendunt, Grotius et Gratzius, negligunt nexum cum interrogatione Petri, et, ut sibi constent, debent agnoscere, fragmentum loco nentiquam opportuno insertum esse. Id quod vel praev. δὲ v. 30. dissuadet. — Luc. 13, 28—30. (ad quem provocant l.) formula proverbialis: καὶ ἰδοὺ, εἰσὶν ἔσχατοι etc. in alio nexu aliter explananda est.

*) Id quod maximi putaverim esse momenti ad penitius intelligendam Christi mentem de felicitatis *genere*, in regno suo a Iudaeis exspectatae. Tacuit prudens, at non consensit. — De qua re infra dicam copiosius.

rem magistro sortem exspectet!) Ceteri apostoli aegre ferunt orationem, succensent ambitiosis. Tum Iesus, convocatis omnibus, principum gentium hoc ait esse, ut imperent suis. Contrariam, singularem suorum inter suos esse sortem. Suam societatem mutuis sodalium officiis, invicem se in summa caritate anteponendo, ali et crescere. Nec caput coetus intravit mundum, ut ministeria aliorum requireret reciperetve; sed exhiberet, eaque summa aliis ad vitae usque iacturam in multorum salutem faciundam.

In templo docenti, accedunt sacerdotes Senioresque plebis, qua potestate ita agat, captiose quaerentes. Quorum perspiciens Iesus mentem noxiam, negat malevolis simplex responsum, sed quaestionem opponens de baptismatis Ioannei origine, ad ignorantiae confessionem silentiumve redigit callidos et, uti videre saepe est, timidos. Ita vim malitiae vi ingenuae explorationis expulerat. Mtth. 21, 23 — 27. Luc. 20, 1 — 8. Mc. 11, 27 — 33. Addit parabolam *), a solo Matthaeo, (v. 28 — 32.) servatam cum adplicatione, de duobus filiis a patre in vineam arcessitis, quorum alter, nutui apertis verbis repugnans, posthac, poenitentia tactus, re obsequutus fuerit, alter, promtum animum testatus, domi remanserit. Iam interponit quaestionem v. 31. τίς ἐκ τῶν δύο ἐποίησε τὸ θέλημα τοῦ πατρός; Illi, de se fabulam narrari aegre suspicati: ὁ πρῶτος, inquiunt. Id gravi epiphonemate excipit Iesus: ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι οἱ τελῶναι καὶ αἱ πόρναι προάγουσιν ὑμᾶς εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ. (Redditio est: portitores et scorta, perditum genus, resipiscentiam in animum corruptum et aliqua pertinacia infectum, tamen simpliciorem admittunt: vos videri aliis

*) Cf. Unger. l. c. 76.

vultis, quod non estis; verbis, non factis rem arbitramini confectam, inde nulla spes μετανοίας.) Id probat antecessor meus, Ioannes, cuius doctrinae, δικαιοσύνην requirenti *), faciles denegastis aures, fidem habuit eximio viro deiecta natio. Quod secure vidistis, nec pudore suffusi sero mutata sententia, fidem prophetae addixistis.

His adnectit similitudinem **) (v. 33 — 46. cl. Mc. 12, 1 — 12. Luc. 20, 9 — 19.), nostrae affinem causae, de vineae conductoribus servos heri ad se missos summa crudelitate et asperitate tractantibus, tandemque filio ab iisdem occiso. Ea et sacerdotibus, et populo (Luc. 20, 1.) dicta videtur. Recte admonitum est, eam parabolam *symbolicam* ideoque *totam* conferendam esse, hac tamen cautela, ut non singula verba (ut v. c. φραγμὸς sit lex mosaica, ληνὸς torcular, πύργος templum cet. antiquiorum more) inepto loco urgeantur, sed passim universe atque coniuncte, adplicentur ***). Inde haec nascitur redditio: Deus rempublicam Israeliticam, omnibus, quae necessaria visa essent, ut se tueri, efflorescere laete, et augeri posset, large et sapienter instructam †), *tamquam*

---

*) Multi, in his Fritzschius, ἐν ὁδῷ δικαιοσύνης explanant: bene moratus vir, viam probitatis ingressus. Exquisitior visa est explicatio: venit disciplinam prae se ferens, quae requireret δικαιοσύνην. Ὁδὸν ea vi dici, ex apostolicis Actis notissimum. 9, 2. 19, 9. 23. 22, 4. 24, 14. 22.

**) Unger. l. c. 119 — 121.

***) Unger. l. c.

†) Huc valent ap. Mtth. v. 33. καὶ φραγμὸν αὐτῷ περιέθηκε, καὶ ὤρυξεν ἐν αὐτῷ ληνὸν, καὶ ᾠκοδόμησε πύργον, quae, quippe ad adventitium ornatum, narrationis vigorem et pleniorem fidem pertinentia, omisit Lucas. Ceterum imago vineae de domo et plebe Israelitica prophetis nota et iucunda fuit. Ies. 5, 1 — 7.

peculium suum Iudaeis concredidit. Procerum Seniorumque populi, ut summa auctoritas fuit et potentia, ita reddendae rationes curae cordique debuerunt esse. Mittit deus prophetas, fruges requirentes salutaris instituti. Hos sibi invisos male habent, contumelioseque variis suppliciis tractant *). Mittit alios, quibus idem usu venit. (Ea non summa in minutissimis rebus trium scriptorum consensione traduntur.) Denique mittit filium suum Deus, certo persuasus **), hunc salvum fore, hunc honoratum ex aequitate. Sed eximium legatum, dei filium, reputantes, inde liberam sibi in instituto divino fore licentiam et possessionem perpetuam, communi consilio trucidant forasque eiiciunt ***). Iam, ut sibi sententiam dicant inscii, conversa ad Pharisaeos legumque peritos oratione: ὅταν οὖν, inquit, ἔλθῃ ὁ κύριος τοῦ ἀμπελῶνος, τί ποιήσει τοῖς γεωργοῖς ἐκείνοις; Re-

*) Agricolarum nomine non comprehendenda plebs, saepe insons, teste V. T. historia. Imo capitales hostes fuere sacerdotes Senioresque, suae timentes a prophetarum liberalitate libidini. A populi ductoribus rationes redegit Deus. Hos indicans per v. γεωργῶν, praesentes indicat Pharisaeos ceteramque cohortem, in his patribus simillimos. Quocirca non scripserim cum Ungero: instituti fruges *a Iudaeis* repetiit, nisi eosdem intellexerit, quos subinde vocat Ioannes in Evangelio τοὺς Ἰουδαίους (primores). Probatur hoc inprimis vv. c. 38. καὶ κατάσχωμεν τὴν κληρονομίαν αὐτοῦ, ubi vel Unger. ad hoc genus restringendum esse vidit. Sed si posterius concesseris, ut constes tibi, dabis et prius.

**) Ἴσως ἐντραπήσονται etc. Ἴσως, quod habet Lucas, indeque fluxit forsitan in Matthaei libros, est affirmantis urbane rem sibi verosimillimam. Ita recte Fritzschius nec male Unger. „incredibile erat, istos non fore verituros.“

***) Nimia vident Chrysostomus et Euthymius, Golgatha intelligentes: ἔξω τῶν ὁρίων τοῦ ἀμπελῶνος ἤγουν ἔξω τῆς πόλεως.

gerunt, (sec. Mtth. *) de se fabulam traditam necdum opinati, uti solemus in re nostra animi studia non attingente; sincere ac vere: Κακοὺς κακῶς ἀπολέσει αὐτοὺς καὶ τὸν ἀμπελῶνα ἐκδώσεται ἄλλοις γεωργοῖς, οἵτινες ἀποδώσουσιν αὐτῷ τοὺς καρποὺς ἐν τοῖς καιροῖς αὐτῶν. Nunc non ulterius reticet applicationem, quae nixa l. tum in Messianis habito (ψ. 118, 22.) **) nota imagine adstantibus et vinitores et filium, quales sint intelligendi, repraesentabat. Nonne legistis in scripturis: quem lapidem repudiarunt aedificatores, is factus est caput anguli (ego, quem contemtim vos tractatis, sum destinatus regni Messiani caput), et quidem Domino ita volente ***), coram vobis autem mirabile hoc accidit. (Agit oraculum et e Iudaeorum huius aetatis et e Iesu advertentis mente certo certius de Messia.) Ob hoc repudium (διὰ τοῦτο) affirmo vobis sancte: ὅτι ἀρθήσεται ἀφ' ὑμῶν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ, καὶ δοθήσεται ἔθνει ποιοῦντι τοὺς καρποὺς

---

*) Sec. Mc. et Luc. Iesus post quaestionem ipse addit responsum.

**) Id quod intelligitur ex acclamatione, quae eidem carmini debetur Mtth. 21, 9. et Act. 4, 11. Cum Christo Petroque consentiunt doctores Iudaici. Cf. Schoettgen. ad h. l. Infelici conatu unus Fritzschius retulit l. ad gentiles, delens ita unitatem collationis, violans nexum, et interpretandi l. consuetudinem, aliunde, ut diximus, probatam. Gentilium mentio demum est in generali sententia, quae claudit sententiam: ὅτι ἀρθήσεται cet., sed *non unica* mentio: nam ἔθνει ποιοῦντι τοὺς καρποὺς αὐτῆς latius patet.

***) Αὕτη cum Wolfio, Rosenmuellero, Fritzschio, Ungero al. referendum ad κεφαλὴν γωνίας. Altera explanatio (Theophyl. al.), ex qua trahitur ad γωνίαν, perversa est ob ineptum sensum; tertia, quae ex hebraismo αὕτη pro τοῦτο collocatum vult (cl. Gesen. *Lehrg.* 661.), et languidiorem reddit sententiam, et minime necessaria est.

αὐτῆς. Ὑμεῖς, quibus regni divini consortium eripietur, non tam Iudaei sunt, natio tota, quam quibus collationem dixerat, principes eorumque similes. Gens, in quam hoc beneficium transfertur, non aliunde designata, quam quod fructus (facta), quales postulet (αὐτῆς) societas divina, praestet, indeque non minus gentilium est, quam Iudaeorum (qui minime excluduntur singuli) coetus *). (*Novi homines, sensu ethico,* οἱ ποιοῦντες τὸ θέλημα τοῦ πατρὸς, v. 31. *novam inibunt societatem, non unius patriae, non natalium splendoris, sed animi candoris, honeste factis se exserentis.*) Denique Iesus calculum adiicit Pharisaico iudicio in v. κακῶς ἀπολέσει κ. τ. λ. et ipsorum armis caedit improvidos, usus l. Ies. 8, 14 sq. (quem cum de Iova agat, Christus ad se retulit. Cf. 1 Petr. 2, 7. 8.) καὶ ὁ πεσὼν ἐπὶ τὸν λίθον τοῦτον sc. Messiam συνθλασθήσεται· ἐφ' ὃν δ' ἂν πέσῃ, λικμήσει αὐτόν. Synonymici parellismi sententia primum passive (relate ad lapidem), dein active effertur, hoc sensu: *Ingenti tuo detrimento in Messia offendaris.* —

Discesserant exacerbati adversarii, sibi dictam similitudinem perspicientes, manus intendere strenuo doctori conantes, at populum reverentes, qui auctoritatem Iesu propheticam sustinebat. Tamen *alia occasione* eidem hominum generi (πάλιν εἶπεν αὐτοῖς) proponit finitimi argumenti parabolam de *epulo regio*, quae per *unum* Matthaeum *hac quidem forma et hoc ambitu*, ad nos pervenit. Mtth. 22, 1 — 14. Verba: ὡμοιώθη ἡ β. τ. οὐρ. ἀνθρώπῳ βασιλεῖ, ὅστις etc. non aliter, quam supra 18, 23. 20, 1. explananda esse, verbo monuisse sit satis. Similitudinem ita perlustrabimus,

---

*) Id enim diligenter tene, non Iudaeos arceri a regno divino, sed Iudaeos μετανοίας expertes.

brevitatis et facilis conspectus caussa, ut redditionem ei comitem adiungamus. Rex (Deus) ad filii sui (Messiae) epulas nuptiales (non, quod sine necessitate sumitur nec satis probatur: de coena intelligas in honorem filii, a rege ad regni societatem vocati instituta *), ἀντίτυπον vero rei est: felicitas Messiana) per nuntios suos (Christi discipulos) invitat, quos iisdem destinaverat (Iudaeos). Illi nolunt vocationi obsequi. Denuo alios dimittit ministros (doctores, spiritu dei actos), et laetis ac comibus verbis invitationem repetit. (Deus benevolus plus una vice populo suo offert salutem Messianam.) At illi (Iudaei) nihil curant invitationem et beatitatem, imo ad sua alii *terrestria negotia* digrediuntur, alii *contumeliose ad internecionem* tractant servos (dei legatos). Hos (Iudaeos) indignatus rex missis exercitibus, caedit et ipsorum urbem comburit. Conversaque ad servos (doctores) voce: in eorum, inquit, qui erant primum invitati, at indigni reperti, (οἱ δὲ κεκλημένοι οὐκ ἦσαν ἄξιοι) locum vocate ad nuptias (felicitatem messianam) quoscunque in viis tritis, s. (rectius) compitis deprehenderitis: (quascunque gentes). Paruere nutui (divino) servi (legati) et quotcunque diversae indolis **) repererunt

*) Voc. γάμων h. vim praeter alios tribuerunt PAULUS et GRATZIUS. Recte tuiti sunt nativam vim FRITZSCHIUS atque UNGERUS, e lege hermeneutica, constantissime servanda: *nullo pacto deserendas esse sine caussa necessaria primarias et tutas vocabulorum potestates.*

**) Πονηρούς τε καὶ ἀγαθοὺς v. 10. non apte ERASMUS explicat et adplicat, dicens „boni pertinent ad Iudaeos, qui sibi videntur boni, mali ad gentes." STORRIUS (*de parabolis Christi, in Op. acad.* I. 112): „boni et mali, inquit, commemorantur pro convivis, digno et indigno habitu venientibus (v. 11.), qui bonorum et malorum imago sunt." At hoc ferri propterea nequit, quoniam nemo nisi unus indigno ha-

in viis (ubique terrarum) ad convivii (beatitatis Messianae) spem congregarunt. Verum in hoc amplo convivarum numero est detectus, a rege lustrante catervas, qui veste nuptiali, sua culpa, non esset indutus, nec, quod commisisset irreverentiae, probabili causa excusare *), valens **).

---

bitu venisse traditur v. 11. Et v. πον. καὶ ἀγαϑ. non tam designantur, quales intraverint coenaculum, quam quales reperti fuerint in viis. Nam ut idem Storrius (p. 113.) acute monuit: non diserte expressa est περίστασις, ad historiae fictae *concinnitatem* certe cogitanda, invitatos non confestim in coenaculum deductos, sed vestium mutandarum locum iis datum fuisse. Id patet ex ἐφιμώϑη v. 12. et ex mandato alioquin iniusto v. 13. — Rectius Ungerus (l. c. 123.) haec reprobans videtur explanare per ὅσους et conferre nostrum: schlecht und recht. Euthymii explicationem, qui *ad mores* referenda et in applicatione urgenda censet, vix possis tueri, nisi statuas, factum esse et h. l., quod subinde accidit, ut enuntiatio aliqua e *re* conferenda migret in *similitudinem* et vice versa. Tum memor iam inter narrandum fuisset Christus, doctrinae, quam alibi patefecit, de congregandis in coetu *terrestri* Messiano bonis atque improbis, spe, ut per μετάνοιαν hi sensim in illos mutentur.

*) Id inest in illo v. 12. ὁ δὲ ἐφιμώϑη: quod praeclare Chrysostomus et Euthymius: κατέκρινεν ἑαυτὸν interpretantur.

**) Nimis disputatum est de more mutandarum ante solemnem coenam vestium, et de iure, quo talia a rege postulata fuerint. Duplex sententia est. Aut dicunt (Fritzschius al.): debuisse istos homines domi lautiorem vestem induere, ut honeste coram rege apparerent. Quod non ferunt alii, iactantes, tum fuisse omnis generis sortisque homines congregatos, tum nec vestem lautiorem, sed nuptialem (ἔνδυμα γάμου) requisitam, qualis non cuique de vulgo fuerit ad manum. Quare praeferunt: vestes a rege convivis dono datas fuisse, more orientalium principum, quo et hac aetate et hodie hominibus admittendis pretiosiora vestimenta (uti v. c. Kaftan's ad h. diem a Turcarum imperatoribus) soleant mitti. Quem tamen morem post Krebsium (*Obss. e Josepho*, ad v.

(*Mutatione* (quae est sedes similitudinis) opus est, in narratiuncula *vestium*, ut habitus (externus) sit bonus et dignus, in applicatione *mentis animique* (per μετάνοιαν) ut sit habitus idoneus Messianae bono. Sed reperiet Messianae dator felicitatis, similis regi lustranti, qui mente *non mutata* accesserint ad consortii certam spem: neque defectum ullo pacto excusare potuerint.) Hunc tradet servis pedibus manibusque vinciendum, et in externas (carceris?) tenebras (oppositas festivarum lucernarum splendori) conficiendum, quae planctu eiulatuque perstrepent. (Tales poenis severissimis tradet Messianae rei caput, Deus.) Gravi edicto claudens Servator similitudinem v. 14. πολλοὶ γάρ εἰσι κλητοὶ, ὀλίγοι δὲ ἐκλεκτοί, hoc quidem nexu declarat: multorum fore in r. c. vocationem, sed cum ea coniunctum severum delectum. Per h. delectum qui sunt probati, intelligendi sunt, et qui non repudiarunt divinam vocem, ad Messianam salutem aperiendam late editam, et eam mutationem (morum) in se assumserunt, sine qua manet occlusus bonorum Messianorum fructus promiscuo gregi. Ita igitur per h. similitudinem, ut eius *argumentum didacticum* brevi enucleem, nec Iudaeis *omnibus* dixit condemnatricem sententiam, sed his tantum, qui suam aliorumque divinorum legatorum ad Messiani regni beneficia invitationem temere spernunt, rursumque non gentilibus

12. Lips. 755.) plurimi negant e ll. Gen. 45, 22. 2 Regg. 5, 5. 10, 22. Esth. 6, 8. 8, 15. probari posse, nuperrime Ungerus (l. c. 124.) *sumi* posse nunc factum contendit et felicius afferri Iud. 14, 13. de Simsonis nuptiis et Paulseni (*Reg. d. Morgenl.* p. 452 sq. 466 sq.) testimonium. Equidem assenserim Storrio (l. c. 113.) non necesse esse censentis ut definiatur, quod Christus non definivit, unde vestis comparari debuerit. Satis est tenuisse interpreti: *mutari debuisse vestem, ut redditio de mutanda indole legitime elucescat.*

omnibus ob hoc, quod essent gentiles, h. beneficia larga concessit manu: nam et in his *mutationem* (nunc mentis et animi) exegit. Relabimur igitur ad id, quod pridem quaesivimus, et saepius invenimus, Iesum non esse Messiam nec Iudaeorum, nec gentilium, sed eorum, qui prisca sentiendi et cogitandi ratione mutata animi habitum Messianum adsumsissent.

Similitudinem multis modis affinem alio tempore, alia occasione Luc. 14, 16—24 proposuit.*) Ea tamen, ut in opportunitate alia, et concisior, simpliciorque, et minus acerba fuit. Iesus, die sabbati a principe Pharisaeorum una cum Pharisaeis, insidiosis dictorum factorumque observatoribus, vocatur ad coenam. Sanat hydropicum praesentem, beneficentiae lubenter obsequens, callidum silentium legisperitorum ad praemissam quaestionem, utrum licitum sit sabbatica die mederi homini aegrotanti, adeo parum curans, ut, persanato homine et dimisso, ad absurdum ducat adversarios, exemplo e re rustica et familiari de animalibus domesticis quovis momento per sabbaticum festum e periculis vitae eripiendis petito. Cuius dicti veritatem illi taciturnitate sua concedunt. Addit convivis sententiose dictum (παραβολή v. 7. in vita et officiis versans praeceptum משל), animadvertens, quam sint Seniores primarum sedium eligendarum studiosi. Prudentiae esse et pudoris, ut ne quis primas affectet, graviori et spectatiori convivae a moderatore coenae addicendas; quo sit usu facile venturum, ut ignominiose cedere sede iubeatur; laetam contra fore sortem eius, qui modeste in extremis tricliniis considens, ab hospite, spectantibus plau-

*) Cf. Unger. l. c. 121. 122. Schleiermacher. *üb. die Schrift. d. Lukas.* I. p. 196—199.

dentibusque conviviis, superiorem in locum evocetur. Quam narrationem claudit *generaliore* epiphonemate v. 11. ὅτι πᾶς ὁ ὑψῶν ἑαυτὸν, ταπεινωθήσεται· καὶ ὁ ταπεινῶν ἑαυτὸν, ὑψωθήσεται, in quo non possum *) necessitatem reperire, ut ad praesentem tantum leviorem casum, ob nexum, languidius referatur. Imo *gravior vis et latior ambitus inest*, quippe tale studium elati animi signum fuit et rei per se minutae reprehensioni apte adiunctam vides actionum generis in quod ea cadit, ad eventum non probabilem, sed certam aestimationem. Proinde addit sermonem, ad convivii dominum conversum, quo illum ingenua libertate (quippe conviva hospiti!) excitat, ut in conviviis celebrandis non eos ad mensam esse velle, a quibus sperandum sit, ut paria sibi referant, fratres, cognatos, vicinos opulentos, sed hos sibi adiungat, a quibus nulla exspectanda sit remuneratio, deiectam egenorum, mutilorum, claudorum, caecorum nationem, hoc argumento: ἀνταποδοθήσεται γάρ σοι ἐν τῇ ἀναστάσει τῶν δικαίων. Qua percepta aevi futuri mentione, unus de accumbentibus, vel sincera spe abreptus, vel, ut gratiam captet magistri, vel inani fiducia gestiens, edit vocem desiderii plenam: μακάριος, ὃς φάγεται ἄρτον ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ θεοῦ. Cui Iesus, hominis indolem ceterorumque convivarum profunde edoctus, respondet per similitudinem, cuius haec redditio est. Deus multos (non exclusis Pharisaeis praesentibus) ad felicitatem Messianam (δεῖπνον μέγα) vocavit. Dimisitque servum suum legatum (Christum) ut invitaret invitandos tempore legitimo. Tum ad unum omnes (ἀπὸ μιᾶς v. καρδίας v. γνώμης v.

---

*) Cum Schleiermachero l. c. p. 197.

γλώσσαις v. φωνῆς *)), varia causati ob rerum terrestrium curam detrectare et recusare consortium. Unde Deus, relato nuntio, iussit legatum suum convertere se ad abiectiora hominum genera (portitores et exteros), ut in communionem bonorum Messianorum venirent. Factum cito et diligenter; at Deus iussit repeti latiusque extendi vocationem, ut *quam plurimis rei tantae possessio obtingeret*, ἵνα γεμισθῇ ὁ οἶκός μου. Illi vero, qui primum repudiarant honorificam et laetam invitantis vocem (proceres Iudaeorum genusve simile), excluduntur merito suo a beatitate Messiana **). — Ita et Pharisaeis imagine, a re praesenti (δεῖπνῳ) sumta, ingratum animum in repudianda Messiana legatione sua perspicue ostendit, ita ἐφίμωσε praeproperum oratorem et suam *aequitatem* in latius proferenda voce solatii plena, vel iniquissimo probavit. — Num vero per *iteratas* vocationes notentur varia variorum temporum ad theocraticam communionem iuvandam instituta (uti prophetarum, Ioannis B., Christi, apostolorum), vel ad iteratam Iesu Christi efficaciam pertineant omnia; in tanta brevitate dictorum ad liquidum perduci nequit ***).

*) Cf. Kuinölius ad v. 18.

**) Apte refutat Unger. l. c. 122. Scholtenium (p. 245. 246.): v. 24. non heri verba, sed Iesu adplicationem habentis.

***) Nos posteriorem sententiam, uti in antecedente, ita in hac parabola argumenti persimilis sumus amplexi. Nec tamen totum de nihilo est, quod monet Storrius l. c. p. 120. „Veluti credibile est omnino, Mtth. 22, 3. 4. non *universe tantum* significare repetitam Iudaeorum invitationem ad regni divini beatitatem, sed *proprie* duo tempora distingui, *unum* (v. 3.) quo a *prophetis*, alterum (v. 4.), quo, adventante propius regno divino (3, 2, 4, 1.) ab *Ioanne, Christo* et *apostolis* vocati sunt. Similiter etiam Luc. 14, 16 sq. invitatio *per prophetas* ab invitatione *per Christum* discerni videtur.“

Hac similitudinum serie, ea, quam rei perspicuitas iubebat, ubertate exposita et illustrata, non abs re visum, quaedam *universe* subiunxisse, ex antecedd. vel sponte fluentia, vel his finitima, vel haec excipientia.

I. Parabolarum, in posterioribus Matthaeiani libri partibus propositarum, quas explanavimus, talis est indoles (scite observante Krummachero), ut sacrum divini animi moerorem spirent, et severum prodant habitum. *Chronologico* ordine satis accurato a scriptore commentariorum literis esse exaratas, cum externis reliquorum Evangelistarum testimoniis evinci nequeat, internis argumentis res felicius expedietur. Incidunt in ea tempora, quibus Pharisaeorum, sacerdotum Seniorumque plebis machinationem, maligna consilia et coecitatem abunde expertus Servator, divinae causae quotidie infestiores praevidit futuros. Inde hilaritas parabolici generis dicendi, quae in anteriore parte historiae Evangelicae luculenter se exserit, prosperrimos rei Messianae successus praesagiens, cessit moestitiae de Iudaeorum pertinacia voluntatisque divinae temerario contemtu. Messiam σαρκικόν, qualem, si modo aliquem, exspectavit Pharisaica insolentia, exspectareque iussit plebem a se pendentem, non conspirare cum sua de πνευματικῷ Messiae officio sententia Christus penitus persuasum expertumque habuit. Quare nunc multo saepius, quam prioribus muneris suscepti aetatibus repetiit sententiam, divini regni beneficia ademtum his, quibus ea offerenda, sed non obtrudenda repugnantibus et invitis coelestis Pater curavisset; omnem eorum fructum ad hos delatum iri, qui fructus ipsi sacra hac civitate dignos protulissent vita et factis. Quo et particularismum, quem barbare, sed vere vocant, Palaestinensem radicitus exstirpasse

ex sua de coelesti regno oratione videbitur, et tamen ita amans patriae et divinae vocis reperietur, quantum decuit Messiam, Iudaeis primum missum et popularibus ingenue expromentem mandata sua.

II. Alterum est, ut, quam multi antiquiorum *) praesertim, speciosis magis, quam evidentibus de causis amplexi sunt sententiam de electo et dilecto a Servatore parabolico genere dicendi, quo tutius Pharisaeos ceterosque de proceribus Iudaicis adversarios doctrinam sublimiorem celaret eorumque malignos impetus effugeret, ex ipsa, quae praecessit, similitudinum interpretatione vanam esse intelligatur. Vere hoc dictum foret, si aut *omnino* usquam pertimuisset Iesus, ad quorum refutationem suscepisse eum doctoris munus vidimus, veritatis candidique iudicii osores, aut in fictis narratiunculis probabilia vestigia talis consilii reperiri potuissent.

Simpliciter et leni fronte proponuntur res gestae, e vita communi petitae, ut nativus et internus veri sensus incorrupto iudicio eliciatur. Qualis ne in Pharisaeis quidem penitus exstinctus fuit, praesertim quo tendat narrationis summa, non ante epilogum suspicantibus. Aut requirit Iesus adiumentum adversariorum, ingenue sententiam explorando, aut ipse addit e rei natura fluens iudicium, nonnunquam claudit latiore adplicationis γνώμῃ, quae, ut esset acerba nimis ad sanitatem redire nolentibus, ita frugifera paucioribus vel de Legisperitorum grege, qui eximio magistro faciles aures praebuissent, quales non prorsus defuisse, ex Nicodemi, Iosephi Arimatheensis aliorumque, quorum suppresserunt no-

*) Unger. l. c. 48 sq. 185. 201. Cf. quae supra (p. 139. not.) dixi.

mina Evangelici commentarii, (cl. Io. 12, 42.) exemplis recte tibi persuaseris. Et quomodo tandem concinit cum praeiudicata sententia, quae leguntur Mtth. 21, 45. καὶ ἀκούσαντες οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι τὰς παραβολὰς αὐτοῦ, ἔγνωσαν (tecte igitur loquutum Christum et feliciter censebis?), ὅτι περὶ αὐτῶν (certe non in eorum laudem; uti antecedd. docent) λέγει. Καὶ ζητοῦντες αὐτὸν κρατῆσαι (tantum malignos orationis aculei perculerant), ἐφοβήθησαν τοὺς ὄχλους· ἐπειδὴ ὡς προφήτην αὐτὸν εἶχον. Cf. 22, 15.

III. Nec magis e parabolarum antecedentium interpretatione confirmatur, quam supra (p. 141. 142.) verbo memorandam duximus, Krummacheri de parabolis, ad doctrinam de regno dei *sensim* explanandam serie quadam continua in συστήματος modum lento ac legitimo progressu, certis periodorum momentis, solis apostolis, futuris divinae doctrinae ministris, ut esset *elementaris* institutionis instar, propositis sententia, in qua tuenda *epici carminis* collatione ingeniosius, quam verius utitur *). Nam quod de certa illa ac vere methodica, quam nostri homines vocant, via, qua incesserit Servator, admonuit, id optatum potius universe, quam inventum in comm. ss. et h. docendi generi aptum videtur: accuratius inspecta, qualis nobis traditur, parabolarum serie prorsus diluitur. Christus, data opportunitate more Orientis doctorum, similitudinibus usus reperitur, argumentum tantum multa ex parte varia imagine e rerum natura, aut vita

*) Refutarunt Krummacherum: Ungér. l. c. p. 73. 187 — 189. diutius et laxius, van Limburg-Brouwer. p. 62 — 78. ex parte, sed parum feliciter tuitus est Scholten. §. 8. p. 115—124.

communi hausta varia occasione persequutus; rerum Christi scriptores figuratas orationes (at non omnes) literis mandarunt vel ubi memoria suggesserat, huc illuc non sine verae (uti credibile est) chronologiae detrimento, vel ubi temporis locique suaserat opportunitas, et occasio admonuerat, vel ubi argumenti similitudo commendare visa fuerat relationem. Progressum a facilioribus ad difficiliora (nostris theologorum scholis adamatum et in antiquitate desideratum) vix tute invenies. Pharisaeis vero, Senioribus populi, plebique promiscuae nullas traditas esse similitudines quis tandem contra disertum scriptorum testimonium, in clara coecutiens luce, evincat? Quas quidem omnes *specie* ad multo plures et diversae indolis homines pertinere, *re* unam tectam apostolorum institutionem continere, quis Christi ingenium contemplatus et παραδοξίας non magis, quam veritatis amans sustinebit contendere? Et ne omnes quidem doctrinam de regno dei *strictissimo sensu* attingunt. Tenendum est, quod alibi notavimus (p. 142.), discrimen *theocraticas* inter (*messianas* alii vocant) *) atque *ethicas* parabolas, in quibus referendis multum fuisse constat *Lucam*, prae vicinis commentariorum Christi scriptoribus. Hae Messianam causam *proxime* non illustrantes, *remotiore* tamen cum eadem vinculo continentur. — Superest, ut, necessaria hac interserta disputatione, quae, ne longius serpat, et eorum, quae ex antecedentibus fluunt, obtutum facilem obscuret, cavendum est, ad propositum redeamus.

Complures generis *ethici* parabolas, Lucae peculiares, non una occasione nec loco uno pertractavimus, et nostrae causae vidimus propius re-

*) Simile discrimen scite inculcat Unger. p. 45. 188.

motiusve inservientes. Quare, ne videatur defuisse disputationi, quae de morum conformatione civium theocratiae Messianae amplissima est, ulla pars pleniorem reddens imaginem de eorum, qui in societatem disciplinamque Iesu accipiendi sunt, indole, virtutibus, officiis, age, quae reliqua sunt, salva disserendi subtilitate, brevissime persequamur.

Restat Luc. 12, 16 sq. paroemia de vitanda avaritia *). Christus, arbiter litis expetitus, reiecta rogatione intempestiva **), adiungit (quod a homine, reor, avaro vix dimisso sponte succurrit) grave dictum de nimio opum studio vel propterea cavendo, quod ex iis non suspensa sit vita vere beata. Addit similitudinem illustrantem hominis, terrestribus bonis se beatum in paucis habentis, voluptates et maxime diuturnas et varias molientis, triste fatum, insigne exemplum stoliditatis, quae in rerum caducarum et nimia fiducia et aviditate, per sensus suscitata, cernitur. Dives ingenti messe locupletatus, tantum indulget genio, ut nihil curet ardentius, quam ut ampliora receptacula tantae copiae apta in minorum locum exstruat, et sibi, quantum possit maxime et varie vivat. Id magna veritate psychologica effertur oratione inaniter gestiente. Contraria omnia accidunt. Deus eadem nocte multorum annorum seriem et fructum exspectantem, praenuntia voce, vita iubet decedere, bona relicta aliorum erunt. Addit rem, cui illustrandae inservierat imago v. 21.: οὕτως ὁ θησαυρίζων ἑαυτῷ, καὶ μὴ εἰς θεὸν πλουτῶν. ***)

---

*) Cf. Ungbr. l. c. 138—140.

**) V. supra p. 175.

***) Varie h. formulam varii ingenii interpretes explanantes videre est. Grotius interpretatur per παρὰ

Aliud pulcerrimum documentum, de mansuetudine Christi, erga obnitentes popularium animos amore pleni, apparet in parabola symbolica de ficu sterili Luc. 13, 6 sq. Nuntiant Christo rem novissimam, crudele Pilati facinus in quosdam Galilaeos *), quorum ille sanguinem cum victimis (in templo Hierosolymitano oblatis) miscuerat. Removet tacitam suspicionem (Iudaeis a teneris familiarem), negat: miseros sup-

θεῷ, πλουτῶν vult non differre a θησαυρίζων, intelligit tales, qui non laborant, ut apud Deum opes repositas habeant, opera sc. misericordiae. Pugnat hoc cum vi praeverbii. Vulg.: in Deum (late, sed non male). Bengel. al.: in Dei usum et honorem (mire). Kuinoelius: i. q. πρὸς θεὸν = ἐν οὐρανῷ, quod fieri nequit. Winerus: ἑαυτῷ, ad suum sensum, εἰς θεὸν, secundum dei voluntatem i. e. coelestes opes. Niedner. l. c. 73. animo ad deum converso, cui equidem in rei summa assentior, vertens: mit einem gen Gott gerichteten, dem Ewigen zugewandten Sinne Reichthümer sammeln, in göttlichen Dingen sich reich machen. Nimis artificiose Unger. 139. mavult δεικτικῶς dictum, suspexisse Iesum coelum versus eoque significavisse: bonis abundantem intro ad Deum h. e. quibus appropinquet Deo, quae perducant ad Deum. — Ad rem v. Mtth. 6, 20. et infra v. 31. 33.

*) Ignota res gesta. Nihil proficitur coniecturis VV. DD., qui aut Iudae Gaulonitae, s. Galilaei, censum Quirinii prohibere conantis, aevi multo anterioris (cf. Ioseph. *Antiqq.* XX. 5. 2. *de B. J.* VIII. 1. Act. 5, 37. ibiq. interpp.) factionem residuam respici nomenque Galilaeorum assumssisse omnes seditionis socios (non eiusdem omnes patriae) iubent, aut multo etiam mirabilius Samaritanorum caedem, a procuratore in Garizim monte perpetratam, (*Antiqq.* XVIII. 5.) supplentes invita Minerva „in Samaria.“ Certissime cogitabis de Galilaeis, Hierosolyma maioris festi tempore venientibus, quoniam nec licuit maiora sacra domi facere, nec Pilati, sed Antipae in provinciam ius imperiumque fuit. De Galilaeorum ad res novas movendas promto animo et Iudaeorum festis diebus concursibus tumultuosis nota sunt omnia. Cf. *Antiqq.* XV. 11. 4. XVII. 9. 3.

plicium divinum passos ob insignem vitiositatem. Imo aeque funesta obtinget sors (interitus *per civilem potestatem?* non dixit perspicue Christus, noli igitur in interpretando ultra Christum sapere! Propheta prophetice loquitur!) adstantibus, qui exemplo sunt popularium reliquorum omnium, nisi ad bonam frugem redire paratis. (Una omnium culpa est.) Nec maiore ceteris Hierosolymitanis vitiositate notati, quos mortifero lapsu turris ad aquam Siloanam nuper *) oppressit. Eadem reliquis imminet ruina, nisi mentem in melius mutando resipuerint. Iam adiunxisse traditur parabolam **). (Verba plura aut non interposita fuere, aut periere; si prius, similitudo ipsa adiuncta illustrat lenitatem Dei erga populares inculcatque, spatium poenitentiae agendae non defuisse, si posterius, supplebis: nec denegat vobis Deus ad resipiscentiam moram, ὡμοιώθη γάρ ἡ β. τ. ο. συκῇ, ἥν εἶχε cet. vel simile quid.)

In qua tamen reddenda *prae ceteris* cavendum, ne collationem ultra modum extendamus. In vinea (terra Israelitica) quis (Deus) habuit plantatam ficum (populum Iudaicum), diuque et saepe requisitas fruges non reperit. Dixit vinitori (Christo): *ecce* per tres annos (inepte referunt ad triennium Christi, quod internae veritati ubertatique narratiunculae, et ficuum naturae, saepe fructus negantium *diu*, debetur. Nec, si historicum eventum anxie quaeris cum antiquioribus, explanatio convenit, nam post tres a Iesu transactos docendo annos Deus, a piis oratus, poenas non in unum,

*) Nec de hoc casu exponunt Historiae Iudaicae.

**) In promtu est videre, persimilem argumento esse similitudini de operariis in vinea. Id quod vidit iam Grotius, repetiit Unger. l. c. 144.

sed in quadraginta annos distulit. Id quod iam acute perspexit et sapienter admonuit magnus GROTIUS.) frustra requiro desideratas fruges. Excide eam, ne diutius fundum enervet (probabiliter ob succum, e terra haustum et umbram vitibus officientem). (Dei consilium „non *stricte* ad Christum referendum" similiterque v. 9. ἐκκόψεις αὐτὴν. Vel missa facienda omnis collatio, vel talia non ad amussim cogenda in redditione, ne, si tamen feceris, in medium proferas, quae, utrum historiae Iesu, an ingenio eius consilioque in hoc orbe patefacto, magis repugnent, dubius haereas. Redditio videtur: Dei salutaribus institutis non obsequens natio digna est, quae exstinguatur.) At vinitor (Christus) precibus intercedit, rogat (unius anni, quod rursum non premes inepto loco) moram, facturus novum emendandi periculum *), quod si vanum irritumve fuerit, exscindat Dominus ficum (faciat Deus, quod visum fuerit optimum.) — Digna divino et amantissimo doctore narratiuncula miram spirans teneritatem, ut vinitorem colas, tanta cura concreditas sibi arbores colentem, excidium unius post tot frustratos labores nova aerumna avertere cupientem; ardentius colas eum, quem h. imago repraesentat, Servatorem, perditorum salutem, spe toties decepta, pu-

*) Sponte succurret sine commentariis legenti v. 9. κἂν μὲν ποιήσῃ καρπὸν ut suppleas v. relinques eam (ἄφες) v. bene est; id quod assensu probant GROTIUS, PAULUS, KUINOELIUS. Hi duumviri ἀνανταπόδοτον, aut ἀποσιώπησιν vident. Aliter UNGER. 145. explicat, trahens ad ἄφες αὐτὴν: sine eam, an forte cet. καὶ adiunctum dicit, quia duo pertinent ad ἄφες αὐτὴν nim. ἕως σκάψω et ἂν μὲν ποιήσῃ καρπόν. — Quod tum suapte natura durius, tum imprimis ob disertam ἀντίθεσιν v. 9. μὲν — δὲ vix ferendum videtur.

rissimae animae constantia, desideratissimam habentem, poenas divinas a sontibus deprecantem!

Adiungimus his Lucae cap. XV. tribus insigne fabellis *), idem ingenium mite emendatorum peccatorum coelestis gaudii amantissimum spirantibus. Et parabolam quidem de ove perdita v. 4 — 7. supra p. 220. in simili, at non eodem sermone Mtth. 18. 12 sq. paucissimis tetigimus. At propositi tenacibus, rem explanandam exhauriendi, haec sit licitum adiungere. Pharisaeis imaginem proposuerat, obmurmurantibus: ὅτι οὗτος ἁμαρτωλοὺς προσδέχεται καὶ συνεσθίει αὐτοῖς. Acquiescendum in redditione hac: ut, si quis vestrum (provocat ad iudicium adstantium) unam e centum ovibus perdiderit, relictis in deserto reliquis, non ante desistit perditam quaerere, quam invenerit; de inventa placidoque gaudio humeris imposita, domum redux, vicinos ac familiares in laetitiae vocat societatem: ita inter Coelites adeo (quanto iustius in terris!) ingens erit laetitia, de uno peccatore ad bonam frugem verso, et maior **), quam de reliquis δικαίοις ***), ne indigentibus quidem μετανοίᾳ. (Ita prae reliquis conquirendi sunt atque in rectam viam reducendi errantes (portitores cet.), itemque de eorum resi-

*) Cf. Unger. l. c. p. 147 — 151.

**) De audaciore usu in: χαρὰ ἔσται ἐπὶ ἑνὶ ἁμαρτωλῷ μετανοοῦντι, ἢ ἐπὶ ἐννεν. δικαίοις v. 7. v. Ven. Winer. *Gramm.* 95. qui proxime e praev. מִן explicandum censet. cl. Gesen. *Lehrg.* 690. Gen. 38, 26. δεδικαίωται Θάμαρ ἢ ἐγώ. E nativa vi part. ἤ, *an forte* explicat sine μᾶλλον interrogative similia loca Ill. Hermann. ad *Vig.* 884.

***) Piis: sive coelitibus s. terrae incolis, universe. Non *ironice* accipias de Pharisaeis, quod cum teneritate narratiunculae et argumento seq. similitudinis de filio perdito huic plane affinis vix conveniat.

piscentia gaudendum non tantum reducenti, sed aeque his, qui iis sunt proximi: Iesu non magis quam Pharisaeis! Quod decorum est et carum coelitibus, rei Messianae administris et fautoribus, num indigne ferent terricolae, et quidem populares?*)) At idem argumentum acrius urget Servator. Nam gemina similitudo de drachma amissa rursumque inventa, imo auctior gradatio, quod res perdita exigua est et tamen magna cura eius recuperandae, de recuperata magnum gaudium, nec minus eius, qui recuperavit, quam aliorum. „Iustior igitur quanto et maior, quae in homine perdito emendando consumitur, cura; quanto in emendato maior laetitia, coelitum etiam laetitia."**)

Huic sententiae dignissimae illustrandae cumulum addit parabola de filio perdito, quae animum prodit adeo tenerum, et amoris aliorum plenissimum, salutis alienae appetentissimum, tanta nitet simplicitate et psychologica veritate, ut in consummatis antiquitatis collationibus haberi debeat: quarum convenientiam ipsa docet magistra vita: quaeve idcirco omnibus hominum aetatibus dictae sunt. Habuit homo duos filios; quorum minor natu postulat a patre partem sibi convenientem patrimonii (τὸ ἐπιβάλλον μέρος τῆς οὐσίας). Quo iure, non apponitur, nec subtilius inquisivisse interest. ***). Fuit hominis per iuve-

---

*) Recte dixit Unger. l. c. probationem *e psychologica experientia* atque *per gradationem*.

**) Verba fere Ungeri l. c. 148.

***) Quomodo cogitandae sint rationes hereditariae inter utriusque filii portiones atque opem a patre sibi reservatam varie quaesitum explicatumque est. Simplicissimum hoc est. Distribuit, rogante iuniore, aliquam partem opum inter utrumque (διεῖλεν αὐτοῖς τὸν βίον). Hae utrum frumento, pecudibus, re pecuaria, suppellectili cet. constiterint, an pecu-

nilem aetatem arrogantis, sui iuris fructum quaerentis. Pater opes (omnes?) inter filios dispertivit, maior natu domi remansit, opus agreste egit. Iunior vero, quod optaverat, adsequutus, post paucos dies, collectare, ut esset liberior imo licentior usus, patris oculis in terram remotam se subtraxit. Ibi luxuriose vivendo dissipavit patrimonium. Ita se praestitit hominem levem; non malignum, quod in applicatione magni est momenti. Ille cum omnia profudisset, calamitas publica, fames, regionem occupavit eiusque inopiam haud mediocriter auxit. Cogitur viri (gentilis?) huius tractus famulitium quaerere, satis, uti videtur, duri, qui eum in agrum misit, ut porcos pasceret, negotiove vacaret omnium spurcissimo et Iudaeo homini maxime exoso. Neque reversi a pascuis, cum victus contemtissimus *) gregi porrigeretur, quisquam bubulci ex

nia, non dicitur, nec idcirco poterit constitui; e vi voc. βίου (non differente ab οὐσίας voc.) hoc nequit cum Paulo contendi. Sibi servavit paterfamilias fundos, agros, domum, servos, rem domesticam omnem. cl. v. 22. 29. 31. Filius natu maior, cuius, primogeniti, de lege (Deut. 21, 17.) duplex fuit hereditaria portio, in domo paterna vivere perrexit, de paternis bonis (cl. v. 29. 31.) non tam communione bonorum, quam liberrimo filii, sua servitia patri dicantis, iure. Licuit tamen genitori de residuis bonis et iuniori benefacere, quantum vellet. Quid quod et in huius, quae restabat, hereditatis partem vocare nuper receptum filium alterum licuit.

*) De κερατίοις, siliquis, quibus et porci, et infimae sortis homines alebantur, v. Winer. R. W. 346. 347. Excitant plurimi *Talm. Vajjikra rabb.* 13, 156. necesse est, ut Iudaeus edat siliquas (infima egestate prematur), sic enim aget poenitentiam. — Sed disputatum est, quo pacto pastori porcorum cibus ad vitam sustentandam legitimus potuerit negari. Sufficit, herbis vixisse miserum in agro, parce mensuratas a villico siliquas porcis, a pascuis redeuntibus. Ita cibus bubulci cibo porcorum vilior. Addas ho-

officio gessit curam, ut esurientem cibo repleret: quantumvis desiderato. Ità prae pecore misera sors fuit! Nunc tandem ad se rediit, et memoria repetens domus paternae beatitatem, quot mercenarii, inquit, patris mei abundant pane, cum ego hic fame peream. Cito pergam ad patrem meum, confitebor culpam gravissimam, clamans, et deum (εἰς τὸν οὐρανὸν) et te offendi, nec me habeo amplius dignum, qui filius vocer tuus, patere tantum, ut mercenarii locum occupem. Deliberationem sequitur factum: suscipit iter. Quem cum pater e longinquo vidisset adventantem, misericordia tactus, currit in eius amplexus: quod simpliciter et pulchre ita narratur: καὶ δραμὼν ἐπέπεσεν ἐπὶ τὸν τράχηλον αὐτοῦ καὶ κατεφίλησεν αὐτὸν. Filius, qui tam benigne excipiatur, non dignum se sentiens, fatetur se reum; verbis, quibus constituerat fateri: ἥμαρτον εἰς τὸν οὐρανὸν (coelum suspexit?) καὶ ἐνώπιόν σου (patris vultum cum pudore adspiciens) καὶ οὐκέτι εἰμὶ ἄξιος κληθῆναι υἱός σου. Reliqua verba, quae secum (v. 19.) fecerat: ποίησόν με ὡς ἕνα τῶν μισθίων σου (inepte ab aliquot librariis e v. 19. repetita) suppressit aut animi commoti angor, aut patris hilaris oratio, osculis aliisque bonis officiis mixta. Hic enim nihil reputans praeterita, alloquitur servos, vestem pretiosam, *) annulum, calceamenta, filio *restituto* afferri iubens, coenamque laetam lautamque pa-

minem servitia sua fere obtrusisse (v. 15. ἐκολλήθη) hero; annonae tempore. Concessum illi, explere alvum reliquiis cibi porcini.

*) Τὴν στολὴν τὴν πρώτην non recte THEOPHYLACTUS interpretatur ἀρχαίαν, priorem, pristinam, simplicius plurimi: primam honore, dignitate. At sane in pristinam filii conditionem et iura rediit hoc actu patris redux.

rari, hanc adiiciens causam: ὅτι οὗτος ὁ υἱός μου νεκρὸς ἦν, καὶ ἀνέζησε· καὶ ἀπολωλὼς ἦν, καὶ εὑρέθη: filium in mortuis habitum vivum recepi, inventus est, quem perditum (nostrum: verschollen, aufgegeben) putavi. *) Ita igitur domestici cum patrefamilias convivali laetitiae se dant. Filius maior natu interea cum ex agro redux domum appropinquasset, audiit festorum sonorum concentum et tripudii laetitiam. Advocatoque uno de servis, quaesivit, quid rei esset, perceptaque causa (rarae festivitatis) noluit iratus intrare domum laetantium. Pater egressus, hortatus est, ut intraret (παρεκάλει αὐτὸν, nostrum: er redete ihm zu). Tum ille animi invidi sensa prodit, erumpit in querelas (diu forsitan retentas): obiicit patri multorum annorum servitium, obsequium mandatis strenue praestitum nullo praemio aut affectionis pretio agnitum, ut esset hilarior vita cum amicis. Obiicit invidiose, quod filium hunc talem (ὁ υἱός σου οὗτος, contemtim, vitat *fratris* mentionem) opes paternas devorantem (ὁ καταφαγών σου τὸν βίον), cum scortis (μετα πορνῶν: maligna haec calumniatio et temeraria, certe e v. 13. ζῶν ἀσώτως non tute probanda) tanta benignitate, imo ovatione, exceperit (ἔθυσας αὐτῷ τὸν μόσχον τὸν σιτευτὸν, nota art., quasi rem carissimam, diu servatam albo diei). Huic leniter amanterque pater: fili, inquit, tu semper mecum fuisti (quotidiana mihi eras laetitia) et omnia mea tua erant (tibi erat concessum, singulare festum, quo velles, die instituere, quidni fecisti, te accusa!).

*) Theophylactus: ἀπὸ ἁμαρτίας ἐκαθαρίσθη, ἐκ νεκρώσεως ἀνέζησε., quem sequitur Kuinoelius. Id quod justo artificiosius. Simplicitatis est: in h. tenore narratiunculae et e mente patris cum affectu loquentis haec non translate, sed ita, uti supra dixi, accipere. *De adplicatione universa alia quaestio est.*

Nunc vero nonne laetari et exsultare licet decetque *), ὅτι ὁ ἀδελφός σου (in conscientiam invidi revocat naturae vinculum) οὗτος νεκρὸς ἦν, καὶ ἀνέζησε· καὶ ἀπολωλὼς ἦν, καὶ εὑρέθη. — Ita igitur relicta adplicatio adstantibus, Pharisaeis, qui, uti diximus, διεγόγγυζον, ὅτι οὗτος ἁμαρτωλοὺς προςδέχεται καὶ συνεσθίει αὐτοῖς. Et, quid sibi sit dictum, facile erat perspectu. Fuit fratris imago, invidi, legis strictae tenacis, at misericordiae amorisque expertis, in summo iure suo summae iniuriae proximi, indeque non vere humani, lenior sane, si alios Pharisaicae hypocriseos atque improbitatis impetus a Iesu factos contenderis. *Amor unus erga peccatores emendatos expellit iniquitatem et invidiam.* Alterius imago filii quotidie recurrit: portitores similesque diffamati homines non penitus maligni, sed leves, sed dissoluti, genio indulgentes, at emendabiles, fere *aeque cito* ad viam redeuntes, a qua aberrarunt. Et *vera* resipiscentia fuit, et idcirco *amabilis* **). Patris denique tertia imago: ea repraesentat deum, erga reduces ad se peccatores animo miserente, placabili, amante, laetante. Tres personae ad vitam depictae, vivere visae. Non ultra extendenda collatio. Reliqua enim veritati psychologicae debentur, et abesse non poterant, quo plena esset atque verosimilis oratio, nec persuadere mihi possum haec singula etiam pleraque a discipulis conferri atque adplicari voluisse ***) Iesum, etsi simpliciter. Nec, quod Lucas singula fere verba retinuit, id exinde explicandum, quod

*) Noli supplere σε post ἔδει, sed excusationem puta patris, fortunatissimum se habentis.

**) Sententia subest verissima, omnia perdita impensius diligi recuperata. Eximie Grotius: „insperata aut prope desperata magis nos afficiunt."

***) Quae est sententia Ungeri l. c.

discipulis rogantibus pluries h. parabolam videatur repetiisse: id enim de omnibus pari iure esset dicendum. Quae vero de Iudaeis exterisque antiquitus invaluit explicatio, recentius *) repetita, sed a plurimis recte deserta, ea neque opportunitati, neque nexui, neque Christi de exterorum indole sentiendi rationi convenit. **)

Laxiore cum arce nostrae causae vinculo cohaerere videbitur similitudo, quam Lucas unus exhibuit 11, 5 sq., commendans assiduitatem in precando et fiduciam Dei, qualis deceat filios. Tamen ea indolem civium Messianorum, qualem desideravit Iesus erga Deum patrem, illustrat. Adiungit Lucas collationem orationi dominicae. Illam huic adnectes huiusmodi fere sententia, tacita mente supplenda: nec unquam vobis precantibus desit fiducia, desit certa spes praesentissimi auxilii divini. Id illustrat exemplo, quod ut ne perverse accipiatur et nobilitas desideretur, tenendum est, in *dissimilitudine* eius, qui agens repraesentatur atque Dei maximam collationis vim cerni, ex *gradatione* ***) ab animo hominis com-

---

*) A Michaele aliisque. Sunt ἁμαρτωλοὶ e loquendi usu iudaico pagani, sed non unice. Imo *latius* et *generalius* h. explicanda, uti vere monuit Ven. Paulus, comparans Mtth. 21, 28.

**) Apposite ad v. 9. 10. adscripsit Ven. Paulus Goethii, Germanorum solaminis, verba: (*der Gott u. d. Bajadere! Ind. Legende*, in *Opp*, ed. *nuperr*. 827. 12. I. 255.)

Es freut sich die Gottheit der reuigen Sünder,
Unsterbliche heben verlorene Kinder
Mit feurigen Armen zum Himmel empor.

quae subtilissimi commentarii scholastici acumen nativa vi superant.

***) Id iam innuit Grotius (ad v. 9.) „Comparatio non est *a simili*, sed *a maiore*."

muni ad Dei animum concludi *). Quis vestrum est, **) inquit, qui non, si familiaris importunissimo tempore et loco (*μεσονυκτίου*) a se rem necessariam (victum) pro altero amico efflagitaverit, quantumvis deprecatus insolitam molestiam, tandem certissime si non ***) amico animo, tamen intempestivae pertinaciae cedens, aerumna suscepta, dabit quod postulatum fuerit? Haec ita fatus, desinit in generaliore voce v. 9. *κἀγὼ ὑμῖν λέγω· αἰτεῖτε, καὶ δοθήσεται ὑμῖν· ζητεῖτε, καὶ εὑρήσετε· κρούετε, καὶ ἀνοιγήσεται ὑμῖν. Πᾶς γάρ ὁ αἰτῶν λαμβάνει· καὶ ὁ ζητῶν εὑρίσκει· καὶ τῷ κρούοντι ἀνοιγήσεται.* Nec tamen inde de relatione, quae est inter hominem et deum precibus annuentes satis dilucide cogites et firme. Addit igitur Iesus alteram collationem, ex paterno amore sumtam, *τίνα δὲ ἐξ ὑμῶν τὸν πατέρα* cet. h. sensu: Nemo pater *humanus* denegat liberis precantibus *terrestria* bona. Inde conclusio talis:

---

*) Unger. l. c. 134. Mirus tamen eius error, scribentis: „Luc. 11, 5. precibus dominicis subiungitur hortans illa affirmatio: *αἰτεῖτε καὶ δοθήσεται ὑμῖν·* quam quidem Iesus ex animo humano per imaginem admodum vividam ita fere iam illustrat ac probat" cet. Imo antecedit collatio v. 5. et in eius fine v. 9. quasi adplicationis loco legitur: *κἀγὼ ὑμῖν λέγω, αἰτεῖτε, καὶ δοθήσεται ὑμῖν* cet.

**) Pro arbitrio i. e. male Kuinoelius „*τίς* pro *εἴ τις*" sumtum statuit, non perspiciens structurae non satis concinnae ut popularis, tenorem. Nihili est provocatio ad Mtth. 7, 9.

***) Recte Ungerus: „*εἰ καὶ* cum vi: sin adeo, quod vix credibile est." Minus recte *ἀναιδείαν* vertit „sinceram (securam) fiduciam" et h. *uno* l. vult in bonam partem cum vi accipi. Id quod pugnat cum potestate voc. certa, et nostrum „Zudringlichkeit," quo reddi suadet, ego certe nusquam novi bono sensu dictum. Manet „invisa vox," ob h. ipsam dissimilitudinem et gradationem, supra dictam, fere necessaria.

εἰ οὖν ὑμεῖς, πονηροὶ ὑπάρχοντες (si vel pravis alias affectibus obtemperatis) οἴδατε δόματα ἀγαθὰ διδόναι τοῖς τέκνοις ὑμῶν, πόσῳ μᾶλλον ὁ πατὴρ ὁ ἐξ οὐρανοῦ δώσει πνεῦμα ἅγιον *) τοῖς αἰτοῦσιν αὐτόν! Adplicationem nunc facit ipse, quam in priore collatione omiserat, vel inveniendam reliquerat. Oppositi sibi sunt patres terreni (multis alioquin vitiis inquinati), bona terrestria liberis petentibus promto animo porrigentes, et pater coelestis coelestia bona, benignus, petentibus liberis suis tanto magis et lubentius concedens. (Cf. Matth. 7, 7 — 11.) Inde iudices de adplicatione prioris collationis, tali fere: cedit animus humanus, durior alioqui, precum assiduarum importunitati in re terrestri, quanto magis animus divinus, benignissimus alioqui, cedet precibus petentium sincera fiducia rem sanctam!

Adiicimus celebratissimam de Pharisaeo et portitore parabolam Luc. 18, 9 — 14., cuius de hypocrisia vitanda per exempla ad vitam depicta praecipientis praestantiam et antiquitus et nostra aetate agnoverunt animi humani subtiliores indagatores **). Ea dicta erat his, qui sibi inepte confidebant ob iustitiam et reliquos parvi faciebant: ut suam imaginem inviti agnoscerent. Duo homines adscenderunt in templum ad preces fun-

---

Adde, quod nullam aliam explanationem fert *diserta oppositio: διὰ τὸ εἶναι αὐτοῦ φίλον, — διάγε τὴν ἀναιδείαν αὐτοῦ*, quam cave, ne perire facias.

*) Variant insigniter libri, exhibentes: ἀγαθὸν δόμα, δόματα ἀγαθά, πνεῦμα ἀγαθόν, χάριν πνευματικήν. V. Schulz. in rec. edit. *Griesb.* ad h. l. Aliqua in h. varietatem vi fuisse credere fas est Mtth. parall. 7, 11. ἀγαθά dantem, et concinnitatem cum eo, quod proxime antecessit: δόματα ἀγαθά.

**) Unger. l. c. 136 — 138.

dendas. Pharisaeus in distincto loco constitutus (iunge σταθεὶς πρὸς ἑαυτὸν *), gratias agit Deo (verius *sibi*), quod non sit, quales ceteri homines, quos damnat omnes **), rapaces, iniusti, adulteri ***); vel, propius respiciens procul stantem, ut ille (pessimus) portitor. Ita se unum perfectum praedicavit in templo Deo καρδιογνώστῃ sacro (insanissimum genus arrogantiae!), ita se *hominum generi* anteposuit, ita damnavit hominem ne penitius quidem sibi notum, iure ordinis sui. Adiicit causam, se dignam, ob quam tantum sibi placeat, enumerat benefacta sua. Νηστεύω δὶς τοῦ σαββάτου, ἀποδεκατῶ (decimam solvo sc. in pauperum usum ac commodum) πάντα ὅσα κτῶμαι. Gloriatur stolide de actionibus sua origine suoque fine minime malis, sed quae unice per veram pietatem consecrantur. Ipse, meritis laudandis, omnem honestatem detraxit, detestan-

*) Est hoc superbientis insolentiae, ut coram omnium oculis et secretus ab impura turba oraret. Noli consociare πρὸς ἑαυτὸν cum ταῦτα προσηύχετο, quasi tacite secum loquutum hominem intersit scriptoris notasse. Nec ornatus causa cum Kuinoelio additum puta, ut σταθεὶς nude positum communem morem Iudaeorum, qui stantes orabant, designet cl. 2 Par. 6, 12. Mc. 11, 25. Matth. 6, 5.

**) Hanc immanitatem iam sensit Lutherus (*Predigt üb. Luk.* 18, 9. a. 1533. in coll. *Opp. Erlang.* V. 23.): „O Gott, spricht er, siehest du auch, dass du an mir einen so frommen Mann hast? *Die Welt* ist doch nichts denn Räuber, Ungerechte und Ehebrecher; ich aber bin fromm“ cet. Sequuti sunt Grotius, Bauerus, Ungerus al.

***) Qualis haec laus sui sit, quale vituperium aliorum, eximie perspexit Grotius ad v. 11.: „bis peccat: *primum* quod in magna laude ponit non esse in *sceleratissimorum* numero, *deinde* quod de hominibus ceteris, quorum maximam partem non novit, tam proterve iudicat.“

dum fucum iis induxit *). Hunc damnabit homo sincerus, quanto magis Deus! — Contra portitor, procul ab omni ostentatione et excusatione, *μακρόθεν ἑστὼς* **), ne oculos quidem (prae humilitate et interno animi resipiscentis motu) coelitus tollere sustinuit, sed pectus percussit supplex, his verbis: *ὁ θεὸς, ἱλάσθητί μοι τῷ ἁμαρτωλῷ.* Contritus animus, peccatorum non conscius tantum, sed confessor, dei gratiam anxie quaerens. — Talem affirmat Iesus magis probatum ***) Deo domum rediisse, quam illum, qui sibi abunde probatus videbatur. Claudit vero Dominus collationem proverbiali voce, quae et indolem futurorum coetus Messiani sectatorum necessariam belle describit v. 14. *ὅτι πᾶς ὁ ὑψῶν ἑαυτὸν, ταπεινωθήσεται· ὁ δὲ ταπεινῶν ἑαυτὸν, ὑψωθήσεται.* Ea non nunc primo loco occurrit. Cf. Mtth. 23, 12. Luc. 14, 11.

Reliquae similitudines nonnullae (eidem *Lucae* peculiares) ad locum de *παρουσίᾳ* Christi plenius illustrandum valent. Huic igitur servatae sunto opportunitati!

Unum superest, ut animadvertatur †), in ex-

---

*) „Quod iustitia aedificaverat, superbia destruebat.“ Paulinus.

**) In atrio constitutus exteriore (חָצֵר הַחִיצוֹנָה templi Salomonei; gentilium, הַר הַבַּיִת, τὸ πρῶτον ἱερὸν, τὸ ἔξωθεν ἱερὸν templi Herodiani). Vel, si credas, nos argutari, dic, portitorem *in angulo procul stantem*, gravi peccatorum conscientia depressum, noluisse *propius* accedere.]

***) V. 14. Δεδικαιωμένος — ἢ γὰρ ἐκεῖνος. De structura v. Wineri *Gr.* p. 95. Alii libri habent: ἤπερ, alii παρ' ἐκεῖνον, alii ὑπὲρ ἐκεῖνον. Alii aliter.

†) V. Schulz. in l. *üb. d. Parabel v. Verwalter Luc. XVI, 1 sq.* p. 34.

tremis Christi orationibus ap. Mtth. 25, 31—46. Dei Messiaeque futurum tribunal et voces iudiciarias adumbrantibus, unica humanitatis benevolentiaeque officia appellari, laudari, praemiis ornari, quae esurientibus cibandis, sitientibus recreandis, hospitibus excipiendis, nudis vestiendis, imbecillibus visendis iuvandisque, captivis adeundis *varia* actione, sensu *eodem* se exserant. Tales in regni divini consortium diserta invitatione vocantur. v. 34. Contra, qui secus fecerunt aliis, animumque probarunt durum, amoris ingenui atque integri expertem, ab omni fructu beatitatis Messianae exclusi, suppliciis tradendi aeternis. Quidquid autem vel miserrimis et despectissimis mortalibus factum negatumve, id Christo, infortunatorum fortissimo praesidio, aut praestitum aut recusatum. Quali animo praeditos non optet tantum, sed postulet Iesus sectatores, virtutis aemulos assiduos et tamen vix suae sibi virtutis conscios, quis tandem non perspicue indicatum credat? *)

Ita igitur de indole atque officiis civium regni coelestis e mente Iesu conditoris satis nobis copiose dilucideque dictum videtur. Nihil opus est, rei summam repetere. *Particularismum*, quem vocat scholastica barbaries, novit fovitque iudaica natio, nullum amplexatus est, nisi *virtutis humanae*. Habuit talis doctrina in tali aetate quot verba, tot pondera. Μετάνοιαν praedicavit, animum radicitus mutatum elegit, despectissimorum et miserrimorum existimatione mortalium bonam indolem perspexit, humilitatem dilexit, pietatis odorem fucatae sincerissimo et

*) De sensu *spiritali* h. l. lege: optima verba Kantii in l.: *Religion innerh. d. Gränzen d. bloss. Vernunft.* p. 244. 245.

capitali odio prosequutus est. Bona, quae iactabantur, opera cum fide externa, propriae laudis cupida *quanti* fecerit, vidimus. His rite perpensis, rectius erit et facilius de Christo, Mosaicae legis aut destructore aut conservatore iudicium, de quo nunc ex instituto quaerendum. —

PARS VII.

DE AMBITU REGNI MESSIANI E MENTE IESU DISSERITUR. UTRUM CHRISTUS ABROGANDAM ESSE LEGEM MOSAICAM CENSUERIT. *)

Christus in Iudaea Iudaeus rerum divinarum doctor prodiit. A popularium institutione exorsus nusquam traditur Palaestinae fines egressus, dum in his terris cum mortalibus degit. Messiam se, uti fuse perspicueque supra demonstratum ivimus, *vita factisque* pro temporis locique ratione vel cautius, vel apertius est professus. Cives Messianos quales desideraverit, ad se arcessiverit, per plurimas orationes depinxerit, recentissima tenemus memoria, inde, quam diversum a populari opinione, a Pharisaica optimatumque sacerdotalium exspectatione auspicaturus sit regnum, abunde indicans omnibus τοῖς ἔχουσι ὦτα ἀκούειν. Ita sponte nos vidimus delapsos in quaestionem gravissimam, quae est de antiquato vel servato per Christum Mosaismo, s. de vera vinculi ratione, quo res Mosaicae cum novis rebus

*) Cf. Reinhard. *Plan Iesu.* p. 14 — 52. quamvis in hoc libro magis rerum huc pertinentium accuratam συλλογὴν, quam locorum, quibus nitantur, *subtilem* et *doctam* explanationem deprehendas. Planck. *Gesch. d. Christenth.* I. 86 sq. et alibi passim. Bialloblotzky *de legis Mosaicae abrogatione. Gotting.* 824. 4. p. 1 — 24. 74 sq.

Messianis e mente Divi Iesu contineri videntur. De qua re ut rectum et subtile informetur animo iudicium, non tantum verba longioresque orationes in hoc argumento versantes accurate considerandae pensitandaeque sunt, sed in omnem tenorem agendi, temporum, locorum, hominumque tractationem, quales Christo tribuuntur, non minus subtilissima *nexus sermonis*que investigatione, quam penitiore *psychologiae* praesidio erit inquirendum. Haec *utraque* firmissima adiumenta *aequas* sibi amicasque manus tendere debent, alioquin enim facillime accidet, ut in clarissima luce coecutiamus et interioris intelligentiae defectu a recta via aberrantes, uti saepissime factum lugemus in rerum christianarum exploratione, *γράμμα* pro *πνεύματι* amplectamur*). — Et *dicta* et *facta* Servatoris, huc valentia, ducibus tribus prioribus commentariorum scriptoribus, attenta mente perlustranda sunt. —

Prodiit Iesus doctor, regni divini nuntius et conditor in Galilaea, in qua fuerat educatus, provincia una omnium Palaestinensis tractus exterorum commercio atque consortio antiquitus florentissima (גְּלִיל הַגּוֹיִם, Γαλιλαία τῶν ἐθνῶν), bene mixta temperataque Iudaeorum *μισοξενία* Graeca Romanaque urbanitate et sentiendi liberalitate**).

*) In paucis mirabilis sententia M. Mendelii (Mendelssohn), in l. *Jerusalem, od. üb. relig. Macht u. Judenth. Berl.* 783. 8. p. 130 sq. profitentis: Christum non tantum legem Mosaicam, naturalem pariter atque ceremonialem strenue tuitum esse (id quod et Christiani homines docti argumentis evincere studuerunt et nunc adest cum maxime, quod exploretur), *sed item cum Rabbinismo et παραδόσει maiorum plene consensisse.* Quaevis pagina monumentorum evangelicorum et vel levissima perceptio ingenii Christi contraria omnia docent.

**) Cf. Reinhard. l. c. 34. et de fatis Galilaeae ratione

Inde hoc primum evincitur, quod, etsi non est maximi momenti ad nostram causam, certe non est de nihilo: non debuisse Christum Galilaeam *) peragrare atque colere itineribus et concionibus, si propositum ei fuisset ab omni exterorum abstinere commercio. Imo exulare eum e Palaestina **) oportuisset, et vel in regionem nescio quam se conferre, vel in scholarum umbris delitescere, ut vel adspectum rerum Mosaicae legi adversantium, quarum ingens vis quotidie se offerebat, effugeret.

Discrimen enim, diu praeparatum, ex ipsa rei Hebraeorum publicae et sacrae indole emergens, et ab aliquot inde seculis luculentius se exserens, *Mosaismum* inter et *Iudaismum Rabbinismumque* ***), quin hac aetate summi fuerit in schola pariter atque vita Palaestinensium Iudaeorum ponderis, quis est, qui mediocriter aevi ingenium e monumentis edoctus, negare sustineat? Cesserat simplicitas sanctitasque avitae legis ingenti iugo traditionum risus moventium et additamentorum incredibilium vanitati. Qui in cathedra Mosis consederant doctores, ad apicem legis dicendo ex omnibus omnia faciebant, Mosenque verbis fovendo, verius suum arbitrium immensamque imperandi cupidinem fovebant. Haec igi-

incolarum habitu per rei Iudaeorum publicae vicissitudines inter alios Bachiene. *Beschreibg. v. Palaestina.* II. 4. § 620 — 624. Gesen. *Comm. in Jes.* 8, 23. I. 350 sq. Winer. *Realwörterb.* 338.

*) Διδάσκων καθ' ὅλης τῆς Ἰουδαίας, ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας ἕως ὧδε, ut est Luc. 23, 5.

**) Graecis non uno in loco referta, v. Hug. *Einl.* II. 30 sq. ed. 3. nupere promulgatae.

***) Quale luculentius per scholarum origines et fata descriptum reperies in l. utilissimo et desideratissimo: Iostii *Gesch. d. Israelit. seit d. Zeit d. Maccabäer bis auf uns. Tage.* Berol. 822. III. 78 sq.

tur, duobus commentariis nostris, proderit exploravisse: num Christus, Messianum nomen professus, Messianum regnum e disertis orationibus conditurus, pharisaicae sacerdotalisque osor constantissimus perversitatis, contra falsos et male facundos Mosis interpretes tela armaque orationis et vitae inter docendum transactae direxerit, Mosaicamque legem in pristinam puritatem, simplicitatem et quasi castitatem restituere tentaverit, an ulterius progressurus, et ut hoc utar, triticum cum lolio exstirpaturus, Mosaicam legumlationem exitio proximam, imo antiquandam, et Messianam, quae illo tanquam fundamento necessario et antecessore honorifico usa sit, eius loco ponendam iudiciis factisque suis indicaverit. —

Ut vero huic proposito *ex parte* satis sit factum, non necesse est, ut acta agamus, sed in memoriam revocemus, quod antecedente disputatione per singula fuse perspicueque demonstratum arbitramur; orationem de monte habitam luculentissimum esse monumentum antipharisaicae Christi sentiendi rationis, animi a mala scholarum subtilitate et perversitate alienissimi, ab arte casuistica ad nativum veri et recti sensum, ad ingenuum purissimae virtutis amorem ac studium mirabundam auditorum coronam revocantis. Egit, uti eodem loco vidimus, legumlatoris personam. At in hoc ipso nexu reperimus vocem, qua suam de lege Mosaica sententiam et firmissime et planissime visus est enuntiasse Servator, quae cum arcem causae nostrae proxime illustret et pro gravitate pariter atque ambiguitate sua diversissimas experta sit explanationes, dignissima est, quae sub examen et solidius et copiosius vocetur.

Verba sunt apud Matthaeum (nam is *solus* exhibet) 5, 17 — 19.: μὴ νομίσητε, ὅτι ἦλθον καταλῦσαι τὸν νόμον ἢ τοὺς προφήτας· οὐκ ἦλ-

θον καταλῦσαι, ἀλλὰ πληρῶσαι. Ἀμὴν γὰρ λέγω ὑμῖν, ἕως ἂν παρέλθῃ ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ, ἰῶτα ἓν ἢ μία κεραία οὐ μὴ παρέλθῃ ἀπὸ τοῦ νόμου ἕως ἂν πάντα γένηται. Ὃς ἐὰν οὖν λύσῃ μίαν τῶν ἐντολῶν τούτων τῶν ἐλαχίστων, καὶ διδάξῃ οὕτω τοὺς ἀνθρώπους, ἐλάχιστος κληθήσεται ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν· ὃς δ᾽ ἂν ποιήσῃ καὶ διδάξῃ, οὗτος μέγας κληθήσεται ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν *).

I. Formulae ἦλθον similesque dicendi formae, quando in solemnibus orationibus a Iesu adhibentur, *vitae consilium et opus inter mortales perficiendum* designant. Cf. Io. 3, 17. 9, 39. 10, 10. 18, 37. Mtth. 20, 28. Quare noli dubitare, et h. nexu latissimum ambitum habere h. formam.

II. Νόμος καὶ προφῆται notissima περιφράσει omnem V. T. ambitum declarant. Cf. 7, 12. 22, 40. Act. 28, 23. Eius volumen praecipuum et quasi normale, Pentateuchus, subinde pro reliqua parte prophetica et historica, quae eum vel explicat, vel auget, ponitur. Cf. (ipsum v. 18. Luc. 16. 17.) Io. 7, 49. 10, 34. 12, 34. cl. v. 35. ἡ γραφὴ **). Talis cum sit vis voc. νόμου, in pleniore formula νόμου καὶ προφητῶν eadem potestas de Iudaeorum libris sacris omnibus multo

*) De h. l. videnda est, praeter Matthaei interpretes, eximia commentatio haec: *De consilio, quod Iesus in oratione, quae dicitur montana, secutus est, ad locum inprimis* Matth. V, 17 — 19. diss. exeg. auct. C. G. L. Frotscher. Viteb. 1788. 4.

**) Id iam viderunt PP.: Chrysostom. *hom.* LXXI. *in Matth.* XXIII, 1. T. VII. p. 701. ed. *Montef.* νόμον ἡ γραφὴ τὴν παλαιὰν ἅπασαν καλεῖ. Justin. M. *quaest.* XCII. *ad orthod.* p. 347. ed. *Sylburg.* νόμον ἡ γραφὴ λέγει τὴν ἔγγραφον περίληψιν πάσης τῆς Ἰουδαϊκῆς λατρείας τε καὶ πολιτείας.

est evidentior: indeque aperte falsi sunt, qui νόμον h. l. de lege, quae dicitur, ethica, legis Mosaicae parte primaria, explicant *). Movit eos tum intempestivus respectus rerum, quae posthac evenerunt, et sectatorum Christi a sacris Iudaicis secessio, tum perversa verborum, quae sequuntur, explanatio, ut a comprobato usu linguae recederent et suo arbitrio se darent. Nihil huc valet, quod a v. 21. unice morum praecepta leguntur. Is enim nullo cum nostro, arctissimo cum v. 20. vinculo continetur, quo perversitatis Pharisaicorum doctorum mentionem iniecerat, quam exemplis ostendit refellitque **).

III. Καταλύειν τ. ν. ἢ τ. π. quid sit, optime dicetur, si et nativam vim verbi non neglexeris, et oppositam vocem πληρῶσαι recte consideraveris. Illud quod attinet, sponte patet, proprium significatum *dissolvendi*, *destruendi*, *evertendi* nos nunc non tenere. *Translatum* recipimus, ex quo est: *abolere, abrogare, vanum, irritum reddere, auctoritate sua privare, impedire aliquid.* Id ad leges, instituta, disciplinam maxime transfertur. *Simplex* est ap. Io. 10, 35. καὶ οὐ δύναται λυθῆναι ἡ γραφή. Add. Act. 5, 38. 39. καταλυθήσεται (non male SCHLEUSNERUS confert nostrum: es wird sich zerschlagen) sc. ἡ βουλὴ αὕτη ἢ τὸ ἔργον τοῦτο — οὐ δύνασθε καταλῦσαι αὐτό. Rom. 14, 20. μὴ ἕνεκεν βρώματος κατάλυε τὸ ἔργον τοῦ Θεοῦ. Gal. 2, 18. εἰ γὰρ, ἃ κατέλυσα (V. T. disciplinam), ταῦτα πάλιν οἰκοδομῶ, παραβάτην ἐμαυτὸν συνίστημι. Hiscum, ut intra Hellenismum consistam, cf. 2 Macc. 2, 22. τοὺς μέλλον-

*) Ita ELSNERUS, WOLFIUS, PAULUS, GRATZIUS, KUINOELIUS.

**) Uti recte vidit FRITZSCHIUS in *Comm.* ad h. l.

τοὺς καταλύεσθαι νόμους ἐπανορθῶσαι. 2 Macc. 4, 11. καὶ τὰς μὲν νομίμους καταλύων πολιτείας, παρανόμους ἐθισμοὺς ἐκαίνιζεν. 4 Macc. *) 5, 33: ὥστε με δι' αὐτοῦ τὸν πάτριον καταλῦσαι νόμον **). 4 Macc. 4, 24. πάσας τὰς ἑαυτοῦ ἀπειλὰς ἑώρα καταλυομένας. Josephi Antiqq. XX. 4. 2. μισεῖν γὰρ ἔλεγον τὸν ἑαυτῶν βασιλέα, καταλύσαντα μὲν τὰ πάτρια, ξένων δὲ ἐραστὴν ἐθῶν γενόμενον. XVIII. 3, 1. ἐπὶ καταλύσει τῶν νόμων τῶν Ἰουδαϊκῶν. (Synonymum est in N. T. ἀθετεῖν ut Mc. 7, 9. τὴν ἐντολὴν τοῦ θεοῦ, et καταργεῖν Rom. 3, 31. τὸν νόμον.) Ex hoc recensu ***) patet, καταλῦσαι τὸν νόμον ἢ τοὺς προφήτας dici *universe* de infringenda V. T. auctoritate, id quod non uno modo fieri poterat. Quomodo *oporteat* intelligi, cum ex usu solo non satis elucescat, ex opposito πληρῶσαι eiusque vi *necessaria* evincetur. Addit enim Christus: οὐκ ἦλθον καταλῦσαι, ἀλλὰ πληρῶσαι.

IV. Πληρῶσαι, quanam polleat potestate, multum quaesitum varieque diiudicatum invenio. Potissimas explanationes enumerabimus, ita ut, quae nobis vero visa sit simillima, ad calcem apponatur et argumentis a consilio orationis, a legibus oppositionis, ab historia, ab ingenio aevi repetitis communiatur †).

---

*) Edit. LXX. Breitingeri.

**) Paulo longius abest ab h. usu 4, 16. καταλύσας τὸν Ὀνίαν τῆς ἱερωσύνης.

***) Quem non exhibuimus, ut Lexica populando, multorum more, vanae captemus eruditionis gloriolam, sed eo fine, ut sub uno brevi obtutu usus Hellenisticus ad rem dilucidandam necessarius proponatur.

†) Fluctuat, et, quod plura complectitur, quam fas est, *ex parte* tantum vera est interpretatio Chrysostomi (T. VII. p. 206. ed. *Montef.*) dicentis: Christum πληρῶσαι νόμον tribus modis: τῷ μηδὲν παραβῆναι τῶν νομίμων, τῷ καὶ δι' ἡμῶν τοῦτο ποιῆσαι, τῷ μελ-

1. Paulus, Gratzius, Herderus al. putant respexisse Iesum munus Messiae, e Iudaeorum opinione legis Mosaicae interpretis et amplificatoris. Huius, e diuturna popularium exspectatione, futurum fuisse, summi prophetae nomine et auctoritate, aenigmata patriae legis solvere, nova praecepta addere, itâque usum perfectiorem, certum, et *quasi plenum* reddere. (Herderus ingeniose: eine geistige Gemara hinzufügen.) Ita verius dixeris legem supplevisse, quam complevisse Christum. Provocatur ad vocem Samaritidae mulieris Io. 4, 25.: οἶδα, ὅτι Μεσσίας ἔρχεται· ὅταν ἔλθῃ ἐκεῖνος, ἀναγγελεῖ ἡμῖν πάντα. Huic perquam gemina sententia est, πληροῦν ad similitudinem chald. et talm. גְּמַר *) vim habere *accuratius*, *exactius*, *verius tradendi* s. *docendi*. Qui ita statuunt, Christum volunt his verbis opposuisse se doctoribus iudaicis, qui antiquum illum et genuinum Mosaismum docendo perverterint, sibique delatum censuisse restituendae vetustae legis in integram puritatem nativam officium. — At huic explanationi recte opponitur: a. quod h. l., uti demonstravimus, non de una lege, sed de omni V. T. ambitu sermo est **); b. quod ne hoc quidem Messiae, Mosis ἑρμηνευτοῦ et restitutoris manus satis indubitatis huius aetatis nititur testimoniis; c. quod nostra verba minime (id quod perperam sumitur) necessario cohaerent cum praeceptis a. v. 21. propositis,

---

λούσῃ νομοθεσίᾳ, ἥνπερ ἔμελλε παραδιδόναι· οὐ γάρ ἀναίρεσις τῶν προτέρων, ἀλλ' ἐπίτασις, καὶ πλήρωσις ἦν τὰ λεγόμενα. PP. de ratione, qua Christus impleverit legem, sententias congessit Suicer. *thes. eccl.* II. 420.

*) Cf. Buxtorf. *Lex. Chald. et Talm.* p. 451. Vitringa *obss. ss.* I. 207. Schoettgen. *hor. hebr.* I. 27 sq.

**) Id apte admonuit Fritzschius in *Comm.* ad h. l.

illustrationem potius per exempla continentibus generalioris vocis, quae v. 20. audita fuerat. Et ne celandum quidem, priorem certe explanandi modum a quadam *sermonis insolentia* non alienum esse.

2. Alii malunt Christum h. voce professum esse „vita se factisque expressurum leges.“ Quasi spopondisset Dominus, vitam se acturum, iis, quae a Mose decreta sint, maxime consentaneam. Id tentant probare e v. 19. ὃς δ'ἂν ποιήσῃ καὶ διδάξῃ, non reputantes, ea vv. arctissimo nexu cum v. 18. contineri, ita ut, quae ibi de legis Mosaicae auctoritate ad certum tempus (ἕως ἂν πάντα γένηται) permansura monita sunt et acrius infigantur et latius diducantur sortis eius, qui et exemplo et doctrina eam vel violare, vel commendare sustinuerit, mentione. Non igitur possunt e *nexus* legibus nostro versui explanando adhiberi. Praeterea vereor, ne ea vis v. πληροῦν commentitia sit et usum linguae laedat. Nam duo loca, ad quae provocatur, speciosa sunt, et penitius considerata, nihil probant. Rom. 13, 8. ὁ γὰρ ἀγαπῶν τὸν ἕτερον, νόμον πεπλήρωκε, non est πληροῦν vita factisque exprimere, sed universe simpliciterque implere, satisfacere et Gal. 6, 2. ἀλλήλων τὰ βάρη βαστάζετε, καὶ οὕτως ἀναπληρώσατε τὸν νόμον τοῦ Χριστοῦ rursum distincta h. notio non *effertur*, sed *infertur*. — Non secundiore fortuna, uti nobis quidem videtur, b. Morus *) utramque explanationem coniunxit, Christum et *vita* sua restituere voluisse maiorum legi honorem et auctoritatem, a qua multum deflexerit iudaicorum magistrorum vita, et *doctrina*, si quidem Pharisaei, suam imponentes perversitatis plenam praeceptorum farraginem,

*) *Diss. theol. et philol.* I. 80. sq.

genuini Messiani non nisi umbram et quasi imaginem reliquerint. Eodem ille argumento (e v. 19.) usus, in eundem incidit errorem. Et subsequens Christi vita et docendi ratio alio nos ducit. — Quo circa nihil superest, nisi ut unice veram

3. eam explicationem *) amplectamur, ex qua πληροῦν τὸν νόμον ἢ τοὺς προφήτας est facere et pati, quae in illis libris (V. T.) de Messia literis mandata sunt, eventu rata facere et comprobare Messiana V. T. oracula. E Iudaeorum enim huius aetatis persuasione, quae deinceps, quasi per manus tradita, ad Christianos pervenit, continebat liber Veteris Foederis σύστημα vitae et doctrinae Messianae, *ante Messiam* conditum et excultum. Plenam se augustae personae, qualis per antiquam doctrinam descripta fuerat, imaginem se esse relaturum affirmat Iesus. Inde maxima auctoritas, summa fides his sacris libris accedebat. Huic explanationi et nativa vis v. πληροῦν, πληροῦσθαι (cf. toties repetitum illud a scriptoribus vitae Iesu: ἵνα, ὅπως πληρωθῇ cet. in actionibus Messianis **)) belle

*) Cum Juvenco, Bretschneidero, Fritzschio al.

**) Loca huc pertinentia quaeras apud Lexicographos N. T., quorum copias non exscribo. At non sine causa distinxit Bretschneiderus Activum a forma passiva; illius enim *rarior* multo usus. V. Luc. 9, 31. Act. 3, 18. 13, 27. Passivum in *Matthaei* libro, Messiana oracula Iudaizantibus Christianis eventu luculenter impleta ostendente, frequentissimum, in *Marci* scriptione, exteris, ut vulgo censetur, missa rarum. Cf. 14, 49. 15, 28. Et si ab orationibus, in *Actis* memoriae proditis, discedas; frustra quaeres in *apostolicis* literis, excepto Iac. 2, 23. *Causam* si desideras, aut *casui* debetur, aut, si minus hoc placet, scribebant apostoli vel his, quibus de convenientia vitae Christi cum Messianis oraculis satis esset per antecedentem institutionem persuasum, vel his, quibus hic consensus minus curae cordique esset, exteris. Vulgo distinguunt talia inter dicta, quorum,

convenit, et insequens vita minime derogat. Per omnia enim hoc egit, ut vita, doctrina, morte vaticinia V. T. (ex communi h. aevi interpretatione s. *applicatione*) sibi Messiae scripta esse ostenderet. Quare non tantum commentariorum sacrorum auctores apponunt suum: ἵνα πληρωθῇ, sed item Dominum tradunt per vitae cursum saepius ad eventum dictorum provocavisse. — Proinde oppositum καταλῦσαι propius sic definias, ut sit: detrahere V. T. auctoritati, non implendo s. rata faciundo, quod decebat verum Messiam, Messiana oracula. Ea vero, e Iudaeorum quidem sententia, non tantum in propheticis libris, sed item in Pentateuchi volumine deprehendi, res est notissima (cl. Io. 1, 46. 5, 46.), ut recte ambitum V. T. h. l. significatum reperisse tibi videare.

Pergit Iesus v. 18. ita, ut intra quos fines instituto Mosaico servanda sit auctoritas, sancte adseveret. Ἀμὴν γάρ λέγω ὑμῖν, ἕως ἂν παρέλθῃ ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ, donec perierit coelum et terra. De παρέρχεσθαι, עָבַר, quatenus e notione *praetereundi* gemina altera *pereundi* evolvatur, satis sunt perspicua omnia *). Diutius haesi-

---

utpote Messianorum, vera fuerit impletio per N. T., aliaque ex nativa vi et connexae orationis legibus ita comparata, ut non nisi *similis eventus* in N. T. historiis obvius his adaptetur. Quod discrimen uti *reapse* verum est, et ab *interprete* non negligendum, ita eius conscios sibi fuisse N. T. scriptores historicos nego ac pernego. Illi enim V. T. fontem uberrimum Messianarum rerum contemplati, quo longius vita Christi ab αὐτοψίᾳ recessit, narrationibusque ansam dedit, eo acriorem (con amore) in exquirendis divini viri Messianaeque vitae vestigiis et primis lineis, in V. T. ductis, operam impendere. Continebant hi libri simulacrum (Schattenriss), cuius lineamenta sensim (ex eventu) copiosius ducenda, et quasi vividis coloribus ad dilucidam imaginem explenda essent.

*) V. inter al. Fritzschium in *Comm.* ad h. l.

tabis, et iure, in formula universa. Eam plurimi interpretes proverbialem arbitrati, in h. modum enarrarunt: donec omnia, quae fieri nequeunt, facta fuerint, i. e. perpetuo. Volunt, Iudaeis persuasum fuisse de mundi aeternitate, ut quae, cum mundi interitu futura praedicentur, perinde sit ac nunquam futura dicantur. (Aeternum creditum esse mundum, evincunt e Bar. 3, 25. 32., qui l. nihil probat *)). Sed hoc, an in opinione Iudaeorum fuerit, merito dubitari potest, formulae certe similes, quae pro h. usu afferri solent (ψ. 72, 5. 89, 37. 38. al. Luc. 16, 17. cl. 18, 25. **)), plane ex alio sunt genere.

---

*) V. 25. μέγας καὶ οὐκ ἔχει τελευτὴν ὑψηλὸς καὶ ἀμέτρητος sc. ὁ τόπος τῆς κτήσεως θεοῦ. v. 32. ἀλλ' ὁ εἰδὼς τὰ πάντα γινώσκει αὐτὴν (sc. τὴν τρίβον τῆς θαλάσσης), ἐξεῦρεν αὐτὴν τῇ συνέσει αὐτοῦ. Ὁ κατασκευάσας τὴν γῆν εἰς τὸν αἰῶνα χρόνον, ἐνέπλησεν αὐτὴν κτηνῶν τετραπόδων. At talia a. ab *uno* philosopho Iudaeo et b. *absque systemate Messiano* apte poterant dici. Certe nec scholae, nec vitae consensio fuisse videtur in h. dogmate.

**) Dici sine indignatione vix potest, quantum literarum sacrarum interpretationi (imo theologiae) ad hunc diem obfuerit neglecta scriptorum diversi consilii, indolis, aetatis constans et subtilis distinctio, ita ut ferantur, excusentur, ad nauseam extremam repetantur, quae in *reliqua philologia* dudum explosa, quando postliminio redire audent, cachinnis excipiuntur. Admittitur et amatur miserrima haec confusio ob penitioris, et, ut mire sed vere dicam, *humanioris* iudicii defectum. Paucis defungar exemplis. De aeternitate mundi Hebraeis (Iudaeisque?) persuasum fuisse, efficere sibi videntur e ψ. 72, 5., ubi regi (Salomoni?) imperium adepto, poeta (orientalis!) inter alia fausta haec apprecatur:

יִירָאוּךָ עִם—שָׁמֶשׁ וְלִפְנֵי יָרֵחַ דּוֹר דּוֹרִים

te timebunt (subditi) una cum sole et praesente (teste) luna in omne aevum; cuius veram vim dicti et ὑπερβολὴν persentiscens summus Grotius attulit Nasonianum (*Amor.* I. 15, 15.): Nulla Sophocleo ve-

Verum pugnat h. explanatio magis etiam cum sentiendi consuetudine Iudaeorum huius aetatis. *Hi quidem, praeeunte nobilissimo propheta, auctore partis libri Iesaiani posterioris, cum maxime novas terras, novos coelos Messianos expectarunt* *). Ita animo informabatur novus rerum

niet iactura cothurno; cum sole et luna semper Aratus erit. Quid tandem, bone Deus, haec faciunt incerti auctoris aetatisque literae gratulatoriae pro impugnanda seriorum Iudaeorum, Christi aequalium, sententia de orbe terrarum, sub temporibus Messianis in novam faciem instaurando? Quis ex his verbis vel unum hoc demonstrabit, aeternum *poetae* habitum esse mundum? Atque eadem ratio est ψ. 89, 37. 38. ubi vv. Iovae:

זַרְעוֹ לְעוֹלָם יִהְיֶה וְכִסְאוֹ כַשֶּׁמֶשׁ נֶגְדִּי׃
כְּיָרֵחַ יִכּוֹן עוֹלָם וְעֵד בַּשַּׁחַק נֶאֱמָן סֶלָה׃

„Semen eius aeternum erit, et thronus eius instar solis coram me. Ut luna stabit in perpetuum, et testis (luna, non Iris) in coelis verax. Sela." ad Davidem conversa nihil pro aeternitate mundi *sensu dogmatico* probant. Et erat Messias Davidides, indeque novus orbis Messianus quodam pacto Davideus. Reliqua V. T. ll. a Wetstenio allata (pariter ac Graecorum Latinorumque similes formae) Iob. 11. 9. Ies. 54, 10. ψ. 72, 7. Ier. 33. 20, 21. Iob. 14, 12. lectorum iudiciis relicta sunto. Sed quod attulit Luc. 16, 17.: εὐκοπώτερον δὲ ἐστι, τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν παρελθεῖν, ἢ τοῦ νόμου μίαν κεραίαν πεσεῖν, id pingui fecit Minerva. Is enim eandem, quam noster, sententiam continet, de qua cum maxime „sub indice lis est." Nemo autem obscurum per aeque obscurum (idem per idem) iuste explicat. Quod vero his addidit Frotscher. l. c. p. 18. Luc. 18, 25., non perspicio; nihil enim cum nostra causa commune habet.

*) Praeivit Ies. 65, 17. 66, 22. (v. Gesen. ad h. l.) ubi nova terra coelumque novum Iova pollicetur, quae aeternum incolentur a gente eius cultui consecrata. Ea loca fundum sententiae continent. Repetitur 2 Petr. 3, 13. καινοὺς δὲ οὐρανοὺς καὶ γῆν καινὴν κατὰ τὸ ἐπάγγελμα αὐτοῦ (vv. H. καὶ τὰ —

ordo Messianus. Tu ergo confidenter verte: *donec hoc coelum, hae terrae perierint* = donec iste rerum ordo obsoletior, augustiori, coelestiori, puriori, verbo: rerum ordini Messiano cesserit. Quaeres, quando hoc futurum sit? Respondemus e Iudaeorum sententia et ipsis Christi posterioribus sermonibus: nova erit rerum facies in eius reditu (παρουσίᾳ κατ' ἐξοχὴν) augusto et notabili. Ad hoc igitur tempus (*terminum ad quem* commode dixeris) *ἰῶτα ἓν ἢ μία κέραια οὐ μὴ παρέλθῃ ἀπὸ τοῦ νόμου*, ne minima quidem pars *) legis interibit. Sed hoc non dicit universe, non simpliciter, imo intra certos fines conclusit, his verbis: *ἕως ἂν πάντα γένηται.* De qua formula mire ambigunt Viri Docti. Triplex inprimis interpretatio notabilis. a. CHRYSOSTOMUS, GROTIUS al. contra usum linguae in v. *ἕως* vim adversativam: *quin imo, sed potius*, v. *gradationem* inveniunt, h. sensu: tantum abest, ut legis vel minima pars peritura sit, ut penitus sit implenda. Verum id alienissimum esse a certa potestate prae-

---

κατὰ τὰ ἐπαγγέλματα αὐτοῦ, κατὰ τὸ ἀπάγγελμα αὐτοῦ, κατά τὸ αὐτοῦ ἐπάγγελμα sensum leviter immutant; καὶ τὰ unde orta sint, et ductus literarum, et defectus Christi vocis perspicue docent) προσδοκῶμεν, ἐν οἷς δικαιοσύνη κατοικεῖ. Desideratum est Christi dictum authenticum, maleque provocatum ad Mc. 14, 25., quod commentum iure refellit POTT. ad h. l. Is vocem Iesu ἄγραφον innui censet. Utcunque sit, eidem interpreti assentimur, nullo modo h. *translate* (s. per συγκατάβασιν ad iudaicos lectores) accipi posse de oeconomia evangelica N. T. Antecedens disputatio de mundo igne comburendo rem conficit. Loquitur scriptor de rerum natura plane nova v. in melius transmutata. — PP. sententias similes collegit SUICER. *thes. eccl.* II. 151. (Add. Apoc. 21, 1 sq. ubi poetam audies.)

*) De h. locutione non est opus, ut dicam. V. KUINOELIUM, FRITZSCHIUM al.

verbii quivis cordatus intelliget. Mirabere, quod in priore enuntiati membro servetur v. ἕως originaria potestas, in tertio cum alia commutatur pro arbitrio. — b. Non felicius FROTSCHERUS, FRITZSCHIUS al. haec ita accipiunt, ut verti iubeant: *donec omnia* (quae mente fingere queas) *evenerint*, duplici apodosi, ut altera praecedat, et interiecta protasi, altera sequatur apodosis. Tum Iesus, quum nullam legis partem auctoritate sua orbatum iri priore apodosi ἕως ἂν π. ὁ οὐρ. etc., quasi aeternitatem testatus, significasset, idem fortius altera apodosi memoriae insculpsisse creditur addens: donec, inquam, vel maxima, et omnia, quae fieri nequeunt, facta fuerint. Cohaeret h. sententia cum priore explicatione formulae ἕως ἂν παρέλθῃ cet. c. Et nos *duplicem* agnoscimus in duplici formula, quae ab ἕως ducitur, apodosin, sed alio sensu. Cum EUTHYMIO, JUVENCO, WETSTENIO al. explicamus *usque dum omnia facta sint, quae in V. T. de Messia praedicta sunt* *). Ita synonyma est forma prioris locutionis: ἕως ἂν παρέλθῃ ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ. Nam novae terrae, novi coeli constanti Iudaeorum doctrina tum demum condentur, ubi oraculis Messianis, in V. T. proditis, per omnia satis fuerit luculento eventu

---

*) Male FRITZSCHIUS interpretationi suae, quam novam temere dixit (v. FROTSCHER. l. c. p. 20.) inde petit auxilium, quod ex ea, quam nos tuemur, interpretatione sibi contradixisset Iesus, et *nunquam* interituram legem, et omnibus V. T. oraculis ad eventum perductis sane perituram eodem versu affirmans. At hoc tum demum vere dicitur, si eius explanationem vv. ἕως ἂν π. ὁ ὁ. κ. ἡ γῆ amplectimur, in qua nobis πρῶτον ψεῦδος inesse videtur. Nos igitur talis conclusio a falso principio ducta nihil movet. — Cf. *inprimis* Mtth. 24, 6. δεῖ γὰρ πάντα γένεσθαι. 34. ἕως ἂν πάντα ταῦτα γένηται. cl. Luc. 24, 25 — 27. Act. 7, 52. 18, 28. 26, 22. 28, 23. al.

narum. Et Luc. 21, 32. *) etsi male a KUINOELIO GRATZIOque putetur nescio quo fato in h. nostrum l. transscriptus, tamen explanationi nostrae in maiorem lucem adducendae rectissime potest adhiberi.

Pergit v. 19. ὃς ἐὰν οὖν λύσῃ μίαν τῶν ἐντολῶν τούτων τῶν ἐλαχίστων, καὶ διδάξῃ οὕτω τοὺς ἀνθρώπους, ἐλάχιστος κληθήσεται ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν· ὃς δ' ἂν ποιήσῃ καὶ διδάξῃ, οὗτος μέγας κληθήσεται ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν. Qui igitur dissolverit, migraverit (opposit. v. ποιεῖν) unum de his praeceptis vel minimis (respicitur ad ἰῶτα ἓν ἢ μία κεραία v. 18. **)) et hunc in modum instituerit homines (haec adstantibus primis doctoribus dicta puta), is minimus vocabitur in regno coelorum ***) (omnium minime bene meruisse de re coelesti putabitur, indeque extremum in societate theocratica locum

*) Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι οὐ μὴ παρέλθῃ ἡ γενεὰ αὕτη, ἕως ἂν πάντα γένηται: i. e. ut ex antecedd. manifestum est, donec Messias divinis auspiciis ad condendum regnum redierit. Sed is idem locus, supra, quam dici potest, firmat, nostram explanationem propter sq. v. 33. ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ παρελεύσονται· οἱ δὲ λόγοι μου οὐ μὴ παρέλθωσι. Nonne exinde meridiana luce clarius evincitur, *non aeternum* habitum fuisse a Iesu mundum, cessurum aliquando meliori, *salva doctrina Messiana?* add. Mth. 24, 34. 35.

**) Ideoque minime necessaria est sententia eorum, qui Iesum h. vv. in vanam Pharisaeorum distinctionem in levia inter atque gravia praecepta invectum esse dictitant.

***) Recte FRITZSCHIUS ad h. l. et hoc commentum explosit, ἐλάχιστος (sehr klein) non differre ab ὁ ἐλάχιστος (der Kleinste), et alterum crassius, talem non tantum infimo loco in Messiana civitate habitum, sed ea penitus exclusum, sed Geennae traditum iri dici. Talis μείωσις (KUINOELII), talis εὐφημισμός e fabulis sunt. Nam qui quantumvis exiguo nomine in regno est, in regno est.

occupabit); qui vero his praeceptis obsequutus fuerit eandemque alios obedientiam docuerit, is magnus (non maximus) dicetur in hoc excelso beatoque consortio. Haec sententia, uti bene monitum video *), simpliciter vera non est, sed ad eam limitandam repetenda eadem sunt verba, quibus Iesus v. 18. arctioribus finibus circumscripsit: ἕως ἂν πάντα γένηται. Commendavit ergo prudentiam talem, quae priscis institutis, item Deo debitis, bene sciteque utitur, nihilque novi ante tempus opportunum audet. Non tantum propterea, ne animos popularium a se alienaret, attrectando idolum eorum carissimum, causaeque suae obesset potius, quam prodesset, dicendus est Christus hunc honorem Mosaismo tribuisse, sed quod ei certo iudicio et grato in antecessorem animo superstruendam existimavisset augustiorem et ampliorem legum lationem Messianam. In Mosaismo semina inerant Messianismi s. Christianismi, vae illi, qui nexum aequabilem voluntatis divinae aegre perspiciens, et antiqua prae novis temere spernens, parum reputat, non esse nunc Messiae locum, nisi praecesserit Moses, cuius decreta divinitus promulgata per tot saeculorum decursum salutaria novo rerum ordini a Sospitatore adducendo viam stravere, colenda, donec sublimioris legumlationis ὥρα ἔρχεται **).

Superest, ut, ne de loco gravissimo non satis circumspecte iudicavisse dicamur, pauca huic causae finitima addamus.

*) Frotscher. l. c. p. 24.

**) Ita (utar enim, quamvis claudicet omne simile) nemo sapiens fundum, cuius ob bonitatem late radicem egit arbor nunc frugibus refertissima, prae laetissimo arboris adspectu vilem habebit. Suum cuique!

I. Doctorum iudaicorum de aeternitate legis scriptae opiniones e dictis Rabbinorum, a Lightfooto, Schoettgenio, Wetsteinioque allatis certo doceri nequeunt. Intentius enim considerata, hoc tantum probare videntur, legis Mosaicae sacrosanctae ne levissimam quidem partem per humanam auctoritatem sacrilegasve mortalium manus esse interituram *). Id quod concedi potest, si tempora Messiana excludis, quae non sunt hominum, sed Dei **). De quibus temporibus hi, quos in suam sententiam excitant, Rabbini ne philosophantur quidem, sed universe disputant: ut diversitatem aetatum, quae maximi in tota h. causa est ponderis et πέτρα σκανδάλου, ne memorem quidem. *Alterum Mosen* vocatum esse a Rabbinis Messiam, supra attigimus. Sed gravior difficiliorque quaestio restat, an Iudaei *hodieque* Messianae emendationi obnoxiam ideoque minime aeternam et constantem arbitrentur legem suam, Messiam avide exspectantes, de quo ad rei summam eadem valent, quae de Messia, Christi tempore a popularibus exspectato. Quod equidem, mearum memor virium, e Iudaeorum monumentis hodiernis diversarum provinciarum diversissimis demonstrare non audebo: aliorum de hoc capite labores ardentissime desiderans.

---

*) Huc pertinent miserae literulae *Jod* querelae coram throno divino, et solatium a Numine datum. Ceterum *iisdem* Triumviri locis ad probationem utuntur.

**) Vero proxima Lightfooti ad h. l. verba: „De Messia fuit gentis opinio, eum quidem legem novam editurum, at nullo modo in praeiudicium aut nocumentum Mosis et prophetarum: at vero Mosaica ad summum usque apicem promoturum, et quae praedicta sunt a prophetis impleturum, idque secundum literam, ad summam usque pompam."

II. Fritzschii ad v. 17. sententia est: praepostere locata esse a Matthaeo h. verba, quod, quem Messiam esse paulo ante supplicium (16, 17.) per familiare colloquium cognovisset, errore facillime subrepente scripserit hanc dignitatem professum eo tempore, quo nec rerum ratio, nec prudentia doctoris admiserit. At per omnem subsequentem orationem *praecipiendo* professus est si non *verbis* disertissimis, *reapse* tamen Messianum officium. Quare dicendum fuisset rectius, omne orationis corpus et suo Marte composuisse et alieno loco inseruisse Evangelistam *). De qua re quoniam fusius tractatum est supra, nunc non fas est agere. Praeterea, quod discipulis ne latius proferrent, interdixit (16, 20.), alio tempore loco-que (ἐλθὼν — εἰς τὰ μέρη Καισαρείας τῆς Φιλίππου v. 13.); in Galilaea doctor prodiens ne dissimularet, et consilio suo consentaneum et vero necessarium credidisse dici poterit.

III. Non silentio praetermittendum, vel in remotissima antiquitate christiana male perverseque actum cum h. commate ab adversariis doctrinae iudaicae s. elementorum, quae in Christianismo apparuissent, iudaicorum. Prodiit Marcion, et Chiliasticorum somniorum, quorum late ei diffusum videbatur imperium, pertinax osor, et allegoricae interpretationis, quae arriserat reliquae Gnosticorum cohorti, strenuus contemtor. Is, Deum δημιουργὸν (V. T.) a Deo ἀγαθῷ, ἀγνώστῳ (N. T. oeconomiae), patre coelesti, sollicite et constantissime secernens, a Tertulliano, adversario acri et acerbo, accusatur omnia Iudaismi vestigia

*) Quorum illud quodam modo concessit, hoc negavit, excipiens, uti dictum est 5, 17 sq. et 7, 21 sq. Sed hoc *ex mero arbitrio* dictum. Non enim haec tantum Messiana dicta sunt, sed longioris Messianae orationis particulae.

manu audaci erasisse ex evangelicis pariter atque apostolicis instrumentis. Traditur ille in exemplo evangelii sui (quod tamen, uti in veterum traditione est nupereque ab hominibus doctis satis contra Eichhornium demonstratum, non Matthaei fuit, sed Lucae, et vero adulteratum) adscriptum Matthaei locum delevisse, ne videretur Christi, veri dei legati, in h. mundum adventus cum serie oraculorum V. T., quae ad Dei Creatoris imperium pertinuerit, ullo necessario vinculo contineri. Longius vero progressi discipuli, et in arte critica (improvida ista et superbiente) magistro suo superiores, mutaverunt verba, ordine inverso, hunc in modum: οὐκ ἦλθον πληρῶσαι τὸν νόμον, ἀλλὰ καταλῦσαι *). Id propterea monendum duxi, ut intelligatur, et antiquitus

*) De Marcione, non emendatore, sed corruptore Lucae canonici e rationibus dogmaticis v. Tertull. *adv. Marc.* IV. 7. ostendentem in primo ingressu venisse se, non ut legem et prophetas dissolveret, sed ut potius adimpleret. *Hoc enim Marcion ut additum erasit.* IV. 9. 5. fin. Ecce praecepit legem impleri. Quocunque modo praecepit, eodem potuit etiam illam praetermisisse sententiam: Non veni legem dissolvere, sed adimplere. Quid ergo tibi fuit de evangelio erasisse, quod salvum est? Confessus es enim, prae bonitate fecisse illum, quod negas dixisse. c. 36. Salvum est igitur et hoc in evangelio: non veni dissolvere legem et prophetas, sed potius adimplere. V. 14. Dixerit Christus, an non ego non veni legem dissolvere, sed implere. Frustra de ista sententia *neganda* Ponticus laboravit. De discipulorum violenta mutatione v. *Dial. contra Marcionit.* II. p. 63. οὐχ οὕτως δὲ εἶπεν ὁ Χριστὸς, λέγει γάρ· οὐκ ἦλθον πληρῶσαι τὸν νόμον, ἀλλὰ καταλῦσαι. cl. Isid. Pelus. I. *ep.* 371. ed. *Paris.* 1638. p. 97. Εἰ προΐσχεται ὁ τῆς Μαρκίωνος συνήγορος βλασφημίας τὸ παρ' ἐκείνοις ὀνομαζόμενον εὐαγγέλιον, λαβὼν ἀνάγνωθι, καὶ εὑρήσεις εὐθὺς ἐν προοιμίοις τὴν ἀτοπίαν· αὐτὴν γὰρ τὴν κατάγουσαν ἐπὶ Χριστὸν ἐπὶ Δαβὶδ καὶ Ἀβραὰμ γενεαλογίαν ἀπέτεμον· καὶ μικρὸν ὕστερον προϊὼν ἄλλην ὄψει κακόνοιαν. Α-

eam, quam nos praetulimus, explanationem celebratam fuisse traditumque propagatam: vix enim in alio, quam hoc sensu, magis offensos fuisse credas Marcionis cultores. Nexus enim V. T. cum nova oeconomia ex h. explanatione apertissimus. —

Alia vestigia animi, quo Dominus in Mosaismi instituta fuerit, insunt in Mtth. 5, 23. 24. Ibi sacrificiorum cultus non damnatur, sed consecrandus esse dicitur per amantem et placabilem in proximos sensum.

Nec a re nostra alienum, quod Mtth. 8, 1—4. Mc. 1, 40 — 45. Luc. 5, 12 — 16. traditur Iesum monte relicto, leproso, uno tactu et voce potenti persanato, severe inculcasse, et, ut ne aliis prodat praepropere rem gestam, et ut de lege sacrosancta se ostendat sacerdoti, donum afferat solemne, quod sit iis (sacerdotum nationi) documentum venerationis, quae legibus exhibetur *).

μείψαντες γὰρ τὴν τοῦ κυρίου φωνὴν, οὐκ ἦλθον, λέγοντος, καταλῦσαι τὸν νόμον ἢ τοὺς προφήτας· ἐποίησαν, δοκεῖτε, ὅτι ἦλθον πληρῶσαι τὸν νόμον ἢ τοὺς προφήτας; ἦλθον καταλῦσαι ἀλλ' οὐ πληρῶσαι. Ἐκ τούτων δὲ εἴσῃ, ὅπως ἔχθραν ταῖς δυσὶ διαθήκαις κατασκευάζουσι, ξενὸν εἶναι τοῦ νόμου τὸν Χριστὸν σχεδιάσαντες. De Marcionis ingenio, conatibus et schola praestantissima est narratio Neandri *gnost. Systeme.* (Berol. 818. 8.) p. 276 — 322 (de nostro l. p. 315.) Add. praeter alios optime meritos de haeresiarchae historia Hug. *Einl. in d. N. T.* (ed. 3.) I. p. 65 — 82. imprimis p. 76. 77.

*) Εἰς μαρτύριον αὐτοῖς male et perverse Fritzschius habet non in verbis Christi, sed in adnotatione Matthaei, referens ad praesentes auditores, quibus antecedd. vv. testimonio fuerint dediti institutis ritibusque Iudaicis Iesu animi. At et locutio talis satis obscura et collocatio insolens imo difficilis foret. Neque tam intererat vulgi, quam sacerdotum usu novisse, per Jesum non migratam esse legem ritualem. In locutione εἰς μ. αὐτοῖς obvia Mtth. 10, 18. 24, 14. Mc. 6, 11. 13, 9. Luc. 9, 5. 21, 13. Iac. 5, 3. Hebr. 3, 5. e nexu debet aperiri, quale sit, de cuius praesentia vel efficacia alicui argumentis persuadetur.

Quorum illud suadebat prudentia eo quidem tempore, quo, quamvis in antegressa oratione Messianum nomen non tecte professus erat, tamen res eius nondum erant confirmatae; hoc vero nihil efficitur, nisi ut intelligatur, nondum venisse tempus, quod manifestandis consiliis esset opportunum, et angustiorem ferret legumlationem.

Maiorem fere vim habent, quae Mtth. 8, 5 — 13. Luc. 7, 1 — 10. non pleno in *rei gestae forma* *) tradenda consensu (nam oratio non alia, sed in Mtth. amplior, in Luca decurtata) legitur, narratio. Centurione Capernaumitico, extero, liberrimam sanandi potestatem in Iesu admirante, et firmissimam in potentissimum eius nutum fidem prodente, unum verbulum, quo vis morbi vincatur, poscente, Christus, ad subsequentem turbam (parum, uti credibile est, confirmatam, sed rerum novarum cupidam) orationem convertit, aculeorum plenam: ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐδὲ ἐν τῷ Ἰσραὴλ τοσαύτην πίστιν εὗρον. Et ap. Mtth. v. 11. addit verba, quae in tali occasione prolata, in exteri mentione, vel leviter imbutos propheta-

*) Matthaeus auctor est, a centurione Iesum conventum esse de aegrotante servo sibi caro, auxiliumque imploratum. Lucas Iudaeos proceres tradit pro homine probo et pio, Iudaici cultus amante, eius precibus intercessisse; deinceps alios centurionem amicos suo nomine e domo ad Christum misisse, ut preces iterarent et tanti doctoris in aedes exteras introitum modeste averterent. Vana debent esse conamina, narrationis diversitatem componendi. Sed ne interest quidem composuisse. — Ceterum nullo suffragio probari potest Ven. Patris sententia (quam arbitror Virum Celeberrimum dudum suo iudicio retractavisse): postulare centurionem, ut amicos, discipulos mittat Iesus, medicamentis opportunis instructos, verbo iubeat necessaria, deprecari, ne molestias itineris et curationis ipse suscipiat cet. Talia uti nullo modo insunt in textu, et *consilium scriptoris* cummaxime violant, ita ab unoquoque aliter conformari, imo fingi possunt.

rum, latiorem divini regni ambitum et σαρκικῶς et dispiciendo potius, quam clare intuendo augurantium, lectione attentiores tenere poterant et sublimius consilium exspectare iubebant: λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι πολλοὶ ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν (ex remotissima orbis parte) ἥξουσι, καὶ ἀνακλιθήσονται μετὰ Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακὼβ ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν· οἱ δὲ υἱοὶ τῆς βασιλείας (notissimo linguarum semiticarum idiotismo: qui proximis rationibus iunguntur regno dei, quasi cum nativitate civitatem adepti) ἐκβληθήσονται εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον· ἐκεῖ ἔσται ὁ κλαυθμὸς καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων. Hanc vero vaticinationem non eo tendere perspicuum est; ut Iudaei ob id ipsum posthabendi dicantur, quod sint Iudaei. Imo causam luculentam antecedentia suppeditant: ea cernitur defectu fidei, in Messia, duce ad coelestis societatis iura et bona certissimo, repositae. Ita, ut simillima utar enuntiatione, εἰσὶν ἔσχατοι (Iudaeorum existimatione), οἳ ἔσονται πρῶτοι (quoad facultatem intrandi regnum), καί εἰσι πρῶτοι, οἳ ἔσονται ἔσχατοι. Cf. Luc. 13, 28 — 30.

Huic plane contraria ea videtur oratio, quae ad apostolos est habita evangelii praedicandi causa in provincias Palaestinenses missos. Tantum enim abest, ut hos primos legatos sub auspiciis muneris doctorum, latius ultra patriae fines proferre hortetur Iesus Messianum sermonem, ut intra Iudaicum agrum subsistere, ab exterorum confiniis pariter atque Samaritanorum vicinis urbibus abstinere hac diserta voce iubeantur Mtth. 10, 5. *) εἰς ὁδὸν ἐθνῶν μὴ ἀπέλθητε, καὶ εἰς πόλιν Σαμαρειτῶν μὴ εἰσέλθητε· πορεύεσθε δὲ μᾶλλον πρὸς τὰ πρόβατα τὰ ἀπολωλότα οἴκου Ἰσραήλ.

---

*) Omittunt in parall. ll. Marcus et Lucas.

Ita igitur certis finibus circumscripsit eorum efficaciam apostolicam. Ita nec a capitali odio popularium in haereticam Samaritanorum pravitatem recesserat, et exterorum non minoribus studiis commercium fugit. Satin' haec inter se convenient, si antecedentis liberalissimae vocis de exteris de unoquoque orbis tractu ad beatae societatis consortium confluentibus bene fueris memor? Pugnare videntur, at non pugnant. Ut brevissime dicam, sciebat Dominus, et quos mitteret apostolos et quibus mitteret. Ibant Iudaei ad Iudaeos. Ibant eo tempore, quo vix praeparati, ne dicam confirmati erant Palaestinensium popularium animi ad aeque ferendum Samaritanorum exterorumque parem in Messianis rebus dignitatem. Intolerabilis fuisset vox plurimis talis argumenti: excidisse praerogativa sua Abrahamidas, populum deo consecratum. Occlusisset aures animosque omnium, non aperuisset. Praeterea quid iuvat alienum agrum ante tempus colendo, neglexisse suum? A patria principium, popularium commodis et saluti primum consuli, et prudentia, et vero aequitas suadebat. Et cum in his finibus satis larga messis superesset, multa auxilium exspectarent πρόβατα ἀπολωλότα οἴκου Ἰσραήλ, nonne primarium officium fuit, his perditis benignum auxilium, et paratam manum adhibere? Praesertim per apostolos *), nunc primum docendi periculum facientes, a iudaicae opinionis erroribus neutiquam immunes, magistro non una re inferiores, nec, quod admodum fas parque est

---

**) De discrimine ingenii doctrinaeque Christi et apostolorum nondum satis expedita quaestio est, quam alio loco enucleare illustrareque tentabimus. V. Ven. Tittmann. *de discrimine doctrinae Christi et apostolorum* in *Comm. theoll. Lips.* (826. 8.) I. 2. p. 1—89. et C. F. Boehmium passim in scriptis suis.

existimari, tanta dexteritate facundiaque instructos, ut Samaritanis exterisque se miscendo, finesque Palaestinae egrediendo, et utrisque salutiferam persuasionem praeberent, et Iudaeis non maximae essent offensioni. Nam, quod Paulum rara ingenii felicitate et assiduis studiis adsequutum esse, evangelicae literae docent, ut plurimorum commodis serviendo, exteros Iudaeosque conveniendo, nec versatile dicendi genus desiderari pateretur, nec, quod in alio quovis timendum fuisset, frequens illa ad diversorum ingenia συγκατάβασις vim constantiamque in profitenda nova doctrina infringeret, id aeque bene cessurum fuisse in XII apostolis, ad populares *primum* *) dimissos, quis tandem ingeniorum mediocris existimator aetatisque apostolicae curiosior indagator non ab omni specie veri abhorrere intelligat? Quis sapientem doctorem, a firmis principiis egredientem, lites inter discipulos facile gliscentes vitantem, exigua initia non spernentem, praeparatos antiquitate prophetiae animos prudenter colentem, ut latius pedetentim serpat consilium, neglectae humanitatis reum sistere audebit? —

Vel e praedictione calamitatum Mtth. 10, 16 sq., discipulis et sectatoribus sustinendarum, satis apparere arbitramur, novi quid tentasse Christum, et ultra religionis patriae fines animum erexisse. Nam Ioannes B., doctor in medium prodiens, non metuerat tumultus, suum adventum et docendi officium sequuturos, nec vita inter docendum transacta eo tetendit, ut patrios ritus antiquando novae institutioni rerum publicarum et sacrarum viam sterneret. Imo emendavisse hortando mul-

*) Cf. Act. 13, 46. ὑμῖν ἦν ἀναγκαῖον πρῶτον λαληθῆναι τὸν λόγον τοῦ θεοῦ etc.

torum animos, et nuntio proximi Messiae adventus ad resipiscentiam et severi iudicii metum revocavisse satis habebat. Itaque non capitis reus ob rerum novarum studium et cupidinem, sed liberrimus vindex sanctitatis castitatisque tyranni invidia interiit.

Accedimus ad ea loca, quibus Iesus et per sermones, Pharisaeorum maxime insidiosis quaestionibus oppositos, et per res gestas, aegrotorum inprimis curationes, sabbaticis diebus perfectas, satis ostendisse visus est, quid pretii ritibus Mosaicis et sacris publicis sit statuendum, quove sit animo opus, ut ne, qui Deo se placere prae ceteris arbitrantur, strenui antiquae et recentioris legis cultores, misere se ipsos deludendo, graviorum sanctimoniam officiorum paulatim elanguescere et memoria exstingui patiantur. —

Huc referas Mtth. 12, 1—8. Mc. 2, 23—28. Luc. 6, 1—5. Discipuli Iesu per Pharisaicam malignitatem violatae religionis accusantur, quod fame correpti, agros praetereuntes, sabbati die spicas vellere audent. Refutat Dominus hostilem impetum per V. T. exempla: Davidis, pii et clarissimi regis et sacerdotum, sacra in templo administrantium, quorum ille, urgente fame, templum ingressus, panes inviolabiles, sacerdotum usui destinatos, una cum satellitibus invaserit, hi munere fungentes, sine ulla criminatione perpetuo sabbatum laedant. Et, quid summum sit, quo tendat vera de rebus divinis sacrisque sentiendi ratio indicaturus, addit (ap. Mtth. v. 7.): *εἰ δὲ ἐγνώκειτε* (si cognovissetis), *τί ἐστιν· ἔλεον θέλω καὶ οὐ θυσίαν· οὐκ ἂν κατεδικάσατε* (non condemnavissetis) *τοὺς ἀναιτίους*. (De Hoseae dicto, quod suum fecit Iesus, supra disputatum.) Antecesserat vero (v. 6.) gravis vox: *λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι τοῦ ἱεροῦ μείζων* (al. *μεῖζον*) *ἐστιν*

ὧδε. Quod utrum ad Iesum ipsum trahendum sit, legendo μείζων *); an neutrali sensu accipiendum, ut praeferas μεῖζον sc. τι **), dubitatur. Illud qui potius ducunt, sensum fundi volunt: Christum superiorem esse et templo et templi cultu; Messiam, summum prophetam, legis et emendatorem et amplificatorem, non posse minutissimis regulis obnoxium esse, suamque coercere pati saluberrimam efficaciam. Imo praecipere eum res sacras, et praeire auctoritate sua. (Et vel in remotiori antiquitate prophetiam excellentiorem habitam fuisse sacerdotio.) Quibus, qui posterius praeferunt, ita respondent, ut in formula: ὅτι τοῦ ἱεροῦ μείζων ἐστὶν ὧδε, si Iesus se ipsum digito quasi monstravisse dicendus sit, moneant ab insolentia, imo foedo soloecismo ***) liberari non posse orationem. Volunt autem, per neutrum μεῖζον innui doctrinam coelestem, hominum flagitiis deditorum emendationem, μετανοίας praedicationem, Christi officium. Quibus ego ita adstipulor, ut novis quibusdam argumentis eorum causam stabiliendam esse putem. Scilicet miror, non satis animadversum esse, geminum esse locum Matthaei v. 41. 42. ubi Christus se resque suas indicans, similiter: καί ἰδοὺ, inquit, πλεῖον Ἰωνᾶ ὧδε, καὶ ἰδοὺ πλεῖον Σολομῶνος ὧδε. cl. Luc. 11, 31. (Ibi rei natura in πλεῖον nullam patitur scripturae varietatem.) Praeterea non sine causa Dominus subobscure loquutus esse videtur, ut magnificentiam causae divinarent citius, quam

---

*) Ita Vulgata, Elsnerus, van Tillius, Griesbachius, Wetstenius al.

**) Cum Grotio, Paulo, Kuinoelio, Gratzio, Fritzschio, al.

***) Nam vel ὅδε v. οὗτος scribendum fuisset. Cf. Fritzschius ad h. l.

perspicerent. Illud μεῖζον, quod nunc hic apparuit (das Höhere, Edlere, absichtlich im Halbdunkel gelassen, das jetzt sich zeigt) est causa misericordiae, verae humanitatis, quae opponitur causae Pharisaicae (dem Geiste der Buchstäblichkeit, selbstsüchtiger Verläumdung). Hoc voluit Iesus, per pauca verba adumbrans magis, quam diserte eloquens. Dandum hoc erat esurientibus, Messiae, summi prophetae, auditoribus assiduis, negotio sublimiori vacantibus, ut vitae necessitatibus extemplo subvenirent. Quis enim terrestris cibi parandi curiosus, qui aeterno pabulo animum exsatiavit suum? Hunc si sensum amplexus fueris, maiori luce illustrantur, quod arctiorem nexum produnt, vv. quae sequuntur: *εἰ δὲ ἐγνώκειτε* etc. Quocum conferas, quod Marco in h. oratione peculiare est, v. 27.: *τὸ σάββατον διὰ τὸν ἄνθρωπον ἐγένετο, οὐχ ὁ ἄνθρωπος διὰ τὸ σάββατον.* Si in contentionem veniunt sabbati religio et hominis vita ac salus, non dubium est, hanc illi longe praeponendam esse. Nam constituta sanctitas festi diei hominum causa est, ut remissis quotidianis munerum laboribus Deum colant divinisque rebus vacent, vires reficiant quiete cet. Minime vero homo sabbati causa progenitus sc. ut, meliore sui parte neglecta, anxiis ceremoniarum ambagibus subsit dieique festi imperio discrucietur. Clauditur sermo communi triumviris Evangelistis sententia; Mtth. v. 8. Mc. v. 28. Lc. v. 5.: *κύριος γάρ ἐστι τοῦ σαββάτου ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου.* Hoc quidem post ea, quae de υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου in N. T. libris historicis *certa* et *necessaria notione* supra fuse docuimus, nulli dubitamus: ad Iesum unice, *tanquam Messiam*, referendum esse. Quod autem contra monuerunt Grotius, Fritzschius al. nondum eo tempore professum esse Iesum Messianam digni-

tatem; id neminem morabitur reputantem, hoc argumentum adeo esse infirmum, ut nihil probare videatur. Nam, ut repetam, quae supra exposui, per orationem montanam si non *verbo*, certissime *re*, nova legislatione, Messiam se professus est; et in h. omni causa iterum iterumque tenendum, aliter eum cum promiscua plebe, aliter cum Pharisaeis, aliter cum familiaribus, aliter in aliis Palaestinae tractibus, in alia incolarum indole, pro insigni prudentia egisse. Praeterea hoc argumentum tum demum vi idonea polleret, si Matthaeum ubique strenue *chronologicum ordinem* tenuisse et per rationes fontium, et per alia vestigia non tantum probabiliter statui, sed certo dici potuisset. Ita sensus erit: *Imperium est Messiae* (Dei filio, rei sacrae instauratori, imo altero conditori) *et in sabbatum eiusque sanctitatem* (ut non contra ius fasque, relictis maioribus humanitatis officiis, eius cultui adhaerescas).

Gemina est narratio ap. Mtth. 15, 1—28. Mc. 7, 1—30., ubi cum a Domino per occasionem Pharisaici de lotione manuum praecepti de ciborum vetitorum vano discrimine, de internae sanctitatis vero κριτηρίῳ severe et ingenue iudicatum sit, item de discrimine ἐντολῆς τοῦ θεοῦ a παραδόσει τῶν πρεσβυτέρων, vix ullam dixeris luculentiorem, per quam genuina Christi de Mosaismi et Rabbinismi institutis sententia perspiciatur. Nos prosequentes rem gestam ordine Commentariorum sacrorum, nostram interposuisse enarrationem satis habebimus. Accedunt ad Iesum legumperiti et Pharisaei Hierosolymitani, ut eum (insidiose) percontarentur, quare tandem sectatores, transgressi traditionem maiorum (τὴν παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων), illotis manibus ad coenam accedant (*ἐσθίειν ἄρτον* אָכַל לֶחֶם, coenare, latiore sensu). Ille, non diserte respondens

malignis animis, regerit fortiter criminationem, et multo gravius peccare accusatores, ita enuntiat, ap. Mtth. v. 3. διατί καὶ ὑμεῖς (qui praepropere damnatis meos) παραβαίνετε τὴν ἐντολὴν τοῦ Θεοῦ (ipsissimam legem *divinam*) διὰ τὴν παράδοσιν ὑμῶν (*humanae* vestrae traditionis causa); ap. Mc. v. 9. καλῶς (ironice) ἀθετεῖτε τὴν ἐντολὴν τοῦ Θεοῦ, ἵνα τὴν παράδοσιν ὑμῶν τηρήσητε. Deus enim (per Mosen Mc.) praecepit: venerare (non verbis tantum, sed factis, beneficentia) patrem et matrem tuam, et, qui exsecratur patrem aut matrem, certissima nece peribit. (Lex humanitatis, pietatis.) Vos autem dicitis: si quis dicat patri aut matri, templi donum, Deo consecratum est (κορβᾶν, δῶρον *)), quo a me iuvari posses, is vel nihil colat parentes suos, vos secure eum patimini (ἀφίετε Mc.) parvi pendere eorum curam et nihil benefacere. (Templi exornatio et cultus tollunt, si vos audiunt, humanitatis sanctissima officia; minus praeceptum derogat maiori.) Ita igitur, uno exemplo defungar, nam, uti ap. Mc. (v. 13.) est: παρόμοια τοιαῦτα πολλὰ ποιεῖτε, negligitis mandatum divinum ob traditionem vestram. Vere de vobis cecinit Iesaias, nationem deplorans labiis studiose venerantem Deum, animo ab eius cultu alienissimam; frustra enim eum venerantur, praecepta, hominum inventa, inculcantes. Et ap. Mc. v. 8. fortiter repetens, ἀφέντες γάρ, inquit, τὴν ἐντολὴν τοῦ Θεοῦ, κρατεῖτε τὴν παράδοσιν τῶν ἀνθρώπων, βαπτισμοὺς ξεστῶν καὶ ποτηρίων· καὶ ἄλλα παρόμοια τοιαῦτα πολλὰ ποιεῖτε. Iam, advocata plebe, eius excitat mentem, et in sermonem incidens cognatum de discrimine mundorum et immundorum ciborum, universe ita pergit:

*) V. inter al. Jahn. *bibl. Archäol.* III. §. 113.

Nihil, quod extra hominem situm est, et intrat os humanum, profanat hominem, sed quae exeunt eius os, ea hominem dehonestant. Eam sententiam, ut inauditam coronae adstanti et meditatione dignissimam commendat v. 16. εἴ τις ἔχει ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω! Discipuli, curiosi Pharisaicae machinationis observatores, adeunt doctorem et Seniorum male offensos animos referunt. Id ille ita percipit, ut omnem plantam (doctrinam, doctores), quam non severit coelestis pater, radicitus exstirpatum iri (aetates non laturam) intrepide affirmet. Ne curetis eos: duces enim caeci (interiore divinarum rerum intelligentia destituti) caecorum (miserae, traditionum iugo oppressae plebeculae) sunt. Caecus vero si caeco dux itineris fuerit, ambo in foveam incidunt. (In proverbione formula fuit? Sensus ultro patet. Utriusque, et male docentis, et parum praeparate audientis, error certissimus.) Domum vero a populi concione reversum, discipuli (sec. Mtth. v. 15. Petrus) de parabolae (lat. sensu, figuratae orationis) vi et potestate interrogant. Iesus, aegre ferens tarditatem familiarium, ἀκμὴν, ait, ap. Mtth. v. 16. καὶ ὑμεῖς ἀσύνετοί ἐστε. Nonne intelligitis, omne id, quod extrinsecus in hominem venit, profanare eum non posse? Nam non animum eius occupat, sed ventrem et naturali via exit de corpore. (Haec ἀδιάφορα id, quod summum est in homine, non tangunt.) Imo quod exit de hominis ore, polluit hominem, quoniam exit de eius animo. Intus enim ex animis hominum proficiscuntur cupiditatum et male factorum taetrae cohortes, infiniti nominis, cognatae, quod fontem attinet, indolis (complura habet Mc., cuius recensum v. 21. 22. exhibemus *)):

*) Mtth. v. 19. peculiare est: ψευδομαρτυρίαι.

οἱ διαλογισμοὶ οἱ κακοί· μοιχεῖαι, πορνεῖαι, φόνοι, κλοπαὶ, πλεονεξίαι, πονηρίαι, δόλος, ἀσέλγεια, ὀφθαλμὸς πονηρὸς, βλασφημία, ὑπερηφανία, ἀφροσύνη. Haec omnia (tanta) mala intus emergunt et profanant hominem: et ap. Mtth. v. 20.: ταῦτά ἐστι τὰ κοινοῦντα τὸν ἄνθρωπον· τὸ δὲ ἀνίπτοις χερσὶ φαγεῖν οὐ κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον. (Pectus est, quod puros impurosve sistit Deo mortales, non corporis lavacrum, non ciborum, quos *rerum natura* porrigit, *civile* discrimen vel servatum, vel neglectum): Quod Pharisaei strictim admonuerant, de uno ritu vetusta traditione sancito, a Christi discipulis posthabito, id Dominus latius patere arbitratus, *interna* sanctitas quantum antecedat *externae*, per exemplum vetitorum ciborum legis, quam e causis medicis aliisve e horum temporum ingenio sponte fluentibus sapienter consecraverat Moses, additamentis mirifice auxerant Legumperiti et in molestissimum iugum perverterant, generatim ostendit.

Geminam habes narrationem de sanatione a Christo in mulieris Cananaeae filia perfecta, quae si recte consideratur, minime repugnat ei, quam hactenus stabilitum ivimus, Christi de ambitu regni divini et Mosaici instituti praestantia iudicio. Rem tradunt Matthaeus, 15, 21 — 28. et Marcus 7, 24 — 30. hic eo memorabilis, quod paucis sed gravibus verbis dilatans orationem, lucem rei gestae in magna interpretum inconstantia et dubitatione exoptatam adfundit. Hanc conformationem miror non animadversam perceptamque fuisse criticis, qua, si quid video, insolentia et acerbitas sermonis, qui olim hodieque offenderat multos, egregie mitigatur. Tradunt Iesum exinde profectum contulisse se in confinia Tyri et Sidonis. Ibi cum intravisset domum, no-

luit aliis innotescere, (neminem admittere ad se voluit) nec tamen contigit ei secure delituisse. Mulier enim Chananaea, extera (Ἑλληνὶς cl. Act. 17, 12.), ad quam rumor pervenerat de Christi, maximi prophetae et εὐεργέτου, adventu, properavit ad eius pedes, impense auxilium implorans et misericordiam pro filia, quae morbo daemoniaco (comitiali) vehementissime laborabat. Ille nihil clamitanti respondit. Discipuli, moleste ferentes importunum clamorem, eum rogant: ut dimittat eam (v. cum auxilio lato v. quovis modo; nostrum: abfertigen), quod pone se vociferetur. Ille vero respondit ap. Mtth. v. 24. οὐκ ἀπεστάλην, εἰ μὴ εἰς τὰ πρόβατα τὰ ἀπολωλότα οἴκου Ἰσραήλ. cl. Mtth. 10, 6. Si non tuam infers enarrationem orationi, sed sensum simpliciter effers, indicavit Iesus: non se missum esse a patre, nisi ut errantes et calamitatum onere pressos Israelitas solatio et auxilio recreet. Non dicit, non se *nunc* (hoc vix suscepti muneris tempore, aut similiter) missum esse exteris, sed universe missum esse negat. Hoc igitur dictum si unice superesset, sine subsequenti oratione et rei posthac gestae expositione, sine ulla dubitatione fatendum esset candido et veritatis amanti interpreti, talem qui enuntiasset formulam, Messiam se prodere non mundanum, sed Israeliticum. *Nuda autem veritate, qualis tandem cunque sit, quid amabilius?* Sed, ubi absurditas e sententia prodit, qualis nunc fundi videtur, si adiunxeris sequentem rem gestam, et continuitatem perspexeris orationis, non temere praeferes absurditatem, nisi ipse absurdus videri malueris, spreta explanatione et credibili et vero simili. Mulier in genua provoluta: opitulare, inquit, mihi, Domine. Cui *non uno modo* apud Duumviros Evangelistas respondit Iesus, referente Mtth. v. 26.

φίνοῦσιν καλὸν λαβεῖν τὸν ἄρτον τῶν τέκνων καὶ βαλεῖν τοῖς κυναρίοις. Non decet ereptum liberis panem proiicere canibus. Utut hanc in proverbio fuisse formulam dicas, utut κυναρίων voc. in Iudaeorum sermone satis receptum, et reprehensionis citius, quam convitii vocabulum ad designandos exterorum greges fuisse credas *), non diluitur acrimonia dictionis, cuius potestas h. est: Non fas est, decretum quasi aeterna et iusta sorte Iudaeis Messianum auxilium eripere et ad exteros transferre. Σκληρὸς ὁ λόγος, τίς δύναται αὐτοῦ ἀκούειν; — At quanto mitius et humanius Iesus ap. Mc. v. 27. ἄφες πρῶτον (hoc verbulum in h. nexu *ingentem* vim habet) χορτασθῆναι τὰ τέκνα: οὐ γάρ καλόν ἐστι, λαβεῖν τὸν ἄρτον τῶν τέκνων καὶ βαλεῖν τοῖς κυναρίοις. Sine *primum* Iudaeos curari (aderant aegroti Palaestinenses, Iesu manus sanantes exspectantes?) cet. Non denegat miserae acerbe opem suam, sed prorogat. Illa, fortis et intrepida, nobilis fiduciae femina, continuo regerit: Mth. v. 27. ναὶ κύριε· καὶ γάρ τὰ κυνάρια (ὑποκάτω τῆς τραπέζης Mc. v. 28.) ἐσθίει ἀπὸ τῶν ψιχίων — τῶν πιπτόντων ἀπὸ τῆς τραπέζης τῶν κυρίων αὐτῶν. (Mc. simplicius: ἀπὸ τῶν ψιχίων τῶν παιδίων.) Tum Iesus, admiratus inconcussam mulieris fidem, in h. vv. erumpit sec. Mth. v. 28.: ὦ γύναι, μεγάλη σου ἡ πίστις· γενηθήτω σοι ὡς θέλεις. Quis vero ignorat, fidem ubique requisivisse in sanationibus miraculosis Dominum; quam nunc non exspectarat, sed aderat praeter exspectationem, cedit ei Christus. Id in rebus minutioribus accuratior Marcus rursum dilucidius subtiliusque declarat v. 29.: διὰ τοῦτον τὸν λόγον ὕπαγε· ἐξελήλυθε τὸ δαιμόνιον ἐκ τῆς θυ-

*) Cum Paulo aliisque.

μητρός σου. Ita evanuerat asperitas sermonis, rediit comitas et benignitas. Pulchre claudit sermonem ap. Mtth. v. 28. καὶ ἰάθη ἡ θυγάτηρ αὐτῆς ἀπὸ τῆς ὥρας ἐκείνης. Mc. v. 30. καὶ ἀπελθοῦσα εἰς τὸν οἶκον αὐτῆς, εὗρε τὸ δαιμόνιον ἐξεληλυθὸς, καὶ τὴν θυγατέρα βεβλημένην ἐπὶ τῆς κλίνης. — Quis hac narrationis simplicitate contemplatus rem gestam, Domini damnabit sermonem? *) —

De Christi benevolo erga *Samaritanos* animo rariora quidem apud Synopticos vestigia sunt, sed non desunt. Et Lucae quidem in his praeter ceteros auctoritas est **). Id quod intelligitur non tantum e parabola de Samaritano misericorde, non sine causa proposita (10, 33 sq.), de qua supra fuse dicendum putavimus, sed ex aliis item vestigiis. Cf. 17, 16 sq. ubi Samaritanus leprosus sanatus, et prae novem aliis, item valetudini restitutis *unus* beneficii memor Christo gratias egisse narratur. Unus tradit Lucas 9, 52 sq. Christum vetuisse suos diris ***) devovere inhospitales vici Samaritani incolas. cf. v. 56.

---

*) Diversitas Matthaei atque Marci, unde repetenda sit, in tanta obscuritate fontium certo dicere nec possum nec volo. Facilius, sed levius te expedies, contendendo, quod vulgo sustinetur, Matthaeum Iudaeo-Christianis, Marcum exteris scripsisse. In hac causa habet tantum speciem veri.

**) Unde Censor in *Nov. Ann. theol.* a. 1817. p. 96[illegible] sq. (Celeberr. Schulzius) cum aliis hominibus nostris Lucae, Pauli discipulo et comiti, ceteris Evangelistis, Marco atque Matthaeo, maiorem *universalismum*, quem barbare vocant, tribuit: minore invidia atque cupiditate adversus Samaritanos esse eumque se prodentem. Quod quidem ita affirmari potest, ut veritati in adumbrando Christi ingenio non obfuisse dicatur.

***) Talia mente tenuisse videtur Herderus, Lucam asserens eas inprimis Christi virtutes, quae in homi-

Delapsi sumus, ipso praeeunte *Matthaeo* Evangelista, ad quaestionem et difficillimam, et ob hoc ipsum variis multorum studiis agitatam, *utrum* inter suos versans, in hac mortali conditione, Christus condendae ecclesiae consilium ceperit, et si de eius animo nullus relinquitur dubitationi locus, *qualem* tandem coetum, hoc nomine insignem, condere voluerit? De potestate enim huius vocis non tantum ad nativam vim et linguae originem, sed ne ad experientiam quidem christianorum saeculorum minime una sententia est. His adiungenda sunt alia, quae cum Christi orationibus in h. causa unicis adnexa leguntur, non possunt, salva causae perspicuitate et disputandi subtilitate, ab interprete praetermitti.

Ac primum ingenue fatendum, in tanta paucitate locorum Evangelicarum historiarum, quae Dominum diserte de his loquentem inducant, deesse monumenta vetusta et fide digna, quibus lis (pugnantes enim sententiae sunt) dirimi et ad evidentem adduci exitum queat. Et nemo erubescet veri nominis Criticus, ignorantiam confessus. Coniecturis vero, quamvis acute inventis artificioseque stabilitis, nisi ex rei natura et disciplinae indole sponte fluentibus, se dare, quid quaeso aliud est, quam incerta incertis superstruere? Nos, nihil curantes copiosas Theologorum et Iurisconsultorum de ecclesiae reique publicae notione et utriusque necessitudine disputationes, Theologastrorum super eadem causa φιλοσοφούμενα et saepe somnia, pro huius libri necessaria ratione et instituti consilio intra exegeticos historicosque fines constantissime nos continentes, neatum, sermonis leges, rationes histo-

---

...rum consortio et societate se exserunt, *humanitatem* eius atque *summam modestiam* depinxisse.

ricas et alia, quae interpretis sunt praesidia generis eiusdem ad genuinam Christi sententiam inquirendam unice intuebimur.

Duo loca sunt, ex quibus disputationis ratio omnis ducenda, in quibus solis apud historicos N. T. scriptores nomen ἐκκλησίας obvium est. Prius apud Matth. 16, 18. 19. legitur. Brevitatis nexum a v. 13. repetam. Cum Jesus in fines Caesareae Philippi secessisset, rogavit discipulos: Qualem me habent tandem homines? Messiamne? Illi varium regerunt sane vulgi iudicium: alios Ioannem Baptistam, a mortuis suscitatum, alios Eliam, Messiae praecursorem, alios Ieremiam, vel unum de prophetis, Messiani adventus item praenuntiis, augurantibus; neminem fere Sospitatorem desideratissimum agnoscentis. Tum ad discipulos, quasi in carissimis solatium quaerens, conversus: qualem tandem, ait, vos me esse dicitis? Respondit alacri animo, promta lingua, omnium nomine Simon Petrus: Tu es Christus, filius Dei vivi (veri). Quam vocem candidissimam ingenua laetitia excepit Iesus, non ad humanae imbecillis naturae inventionem eam referens, sed divinitus editam asseverans: μακάριος εἶ, Σίμων Βὰρ Ἰωνᾶ· ὅτι σὰρξ καὶ αἷμα οὐκ ἀπεκάλυψέ σοι, ἀλλ᾽ ὁ πατήρ μου ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Additque, quasi ἀντίδωρον animi tributurus discipulo, κἀγὼ δέ (et ego vicissim) σοι λέγω, ὅτι σὺ εἶ Πέτρος (Ita vocarat transgressum in sui familiaritatem et commercium Simonem Iesus Io. 1, 43.) intrepidam intuens animi indolem, quam tamen nimia subinde alacritas infregit. In Germanorum Latinorumque sermone vis interit paronomasiae; Galli Hebraeorum et Aramaeorum כֵּף, כֵּיפָא et Graecorum Πέτρος, πέτρα felicius

retinent in Pierre et la pierre *)); καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ (cavos, ne cum nonnullis *reflexive* ad Iesum trahas, quo et verus orationis nexus violaretur, et languidus emergeret sensus, idoneâ cogitatorum consequutione destitutus, quasi hoc vellet: nos ambo rupis instar constantes cet.) οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν, καὶ πύλαι ᾅδου (fortissima et durissima quaevis) οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς (evertere eam non valebunt. Perennis erit eius auctoritas). His adnectit mandatum proprius spectans apostolicum munus, plenam conferens potestatem: καὶ δώσω σοὶ τὰς κλεῖς τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς· καὶ ὃ ἐὰν λύσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένον ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Trado tibi ego regni coelestis claves, quibus continetur ius admittendi in sacram societatem et ab eius aditu arcendi proprio iudicio, quoscunque bene visum fuerit. Et quod tu cunque illicitum nefasque declaraveris in his terris, item iudicator in coelis; quod tu vero cunque ratum habueris licitumve declaraveris in rebus humanis, eodem loco habebitur in coelis. (Haec translatio infra argumentis vindicanda.) Divini ergo legati auctoritate ei erat agendum. Tantum confidit apostolo, verum de se testimonium edenti! At *familiare* fuisse *colloquium*, uti narrationis exordium docet, ita confirmant verba v. 20.: τότε διεστείλατο τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, ἵνα μηδενὶ εἴπωσιν, ὅτι αὐτός ἐστιν ὁ Χριστός. cf. Mc. 8, 30. Lc. 11, 21.

Huic gemina oratio, item ab *uno* Matthaeo tradita 18, 15 — 20., cuius v. 17. et 18. prae ceteris curamus. Continet praecepta placabilitatis et clementiae, nec arctiore vinculo praecedentibus adnectitur. Omni studio nitendum, ut pax ser-

---

*) Ut scite observat GRATZ. ad h. l.

vetur. V. 15.: Si in te peccaverit frater tuus (iisdem addictus sacris), age, eum corrige (erroris convince, reduc ad frugem bonam) te inter atque eum solum (privato alloquio). Si tibi facilem et iustam aurem praebuerit, bene est, amicum reddidisti tibi fratrem tuum, si vero noluerit orationi tuae auscultare, assume tecum unum vel duos alios (uti praeiverat lex Mosaica), ut ex ore duorum vel trium testium omnis causa agatur (lis brevi manu dirimatur). Si ne his quidem fuerit obsequutus, dic ecclesiae (synagogae iudaicae an concioni christianae, quae non fuit, sed futura praesagitur? Usus loquendi utrumque admittit. Praeterea sponte intelligitur, ecclesiae nunc non e consilio *praecipuo* Scriptoris, sed *obiter* et ὡς ἐν παρόδῳ iniici per nexus necessitatem mentionem.), et si vel huius vocem spreverit, sit tibi instar exteri et portitoris. Iam quae 16, 19. dicta fuerant *Petro*, ea v. 18. ad *omnes apostolos* referuntur, unde de praerogativa illi concessa rectum facile iudicium effingas: ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅσα ἐὰν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται δεδεμένα ἐν τῷ οὐρανῷ· καὶ ὅσα ἐὰν λύσητε ἐπὶ τῆς γῆς, ἔσται λελυμένα ἐν τῷ οὐρανῷ. Claudit ἐπιφώνημα ad *Ioanneum genus* *) mystica indole proxime accedens v. 19. πάλιν λέγω ὑμῖν· ὅτι ἐὰν δύο ὑμῶν συμφωνήσωσιν ἐπὶ τῆς γῆς, περὶ παντὸς πράγματος οὗ ἐὰν αἰτήσωνται, γενήσεται αὐτοῖς παρὰ τοῦ πατρός μου τοῦ ἐν οὐρανοῖς. Οὗ γάρ εἰσι δύο ἢ τρεῖς συνηγμένοι εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα, ἐκεῖ εἰμι ἐν μέσῳ αὐτῶν.

I. De nativa potestate v. ἐκκλησίας non est, quod nunc post Lexicographos **) copiosius dispu-

*) Nam ne hoc quidem dicendi genus in Christo, qualis Synopticis describitur, *penitus* desideratur. Cf. Matth. 11, 27. Luc. 10, 22. et Mtth. 28, 18.

**) Quibuscum cf. Grotium ad h. l.

tamus, si quidem inter omnes constat, respondere vocem hebraicis: קָהָל, עֲצָרָה, מִקְרָא, quae et universe de populi multitudine confluente, et de sacris conventibus promiscuo usu adhibuerunt Iudaei. Ex usu igitur linguae nihil proficitur, ad naturam indolemque ecclesiae, a Christo fundandae, penitius perspiciendam. Quare cum alia luculentiora vestigia desint, quibus ambitus, finis, vera potestas et externa forma recentis instituti a conditore adumbretur, et perspicua explanatione futuris aetatibus prospiciatur, fuerunt, qui Christum de ecclesia, quam nunc vocant, condenda certisque legibus firmanda in hac mortali conditione cogitavisse negarent. Noluisse Christum recedere a sacris iudaicis, noluisse apostolos; illum, quoad in terris esset versatus, cultum patrium esse sectatum; hos synagogis Iudaeorum primum se adiunxisse, et adversa fortuna tandem impulsos, a Deo admonitos, ad exteros edocendos animos vitaeque studia contulisse. Quodsi igitur Petrus laudetur a Domino ob rerum divinarum intelligentiam constantiamque animi intrepidam, et super eo, tamquam in firmissima rupe, condenda esse asseveretur ecclesia Christi; prodere hanc orationem tempus posterius, rerum christianarum statum post Christi discessum ex his terris emergentem, ideoque non ex eventu quidem interpolatam, sed ad eventum tamen formatam, non integram, non illibatam ad nos venisse Christi orationem. De posteriore autem l. similiter existimatum video. Nam, quod de triplici conatu ad pacem cum adversario et offensore restituendam monetur, et ad placabilitatem commendandam, ut primum solus a solo convincatur erroris et iniuriae admissae, tum, si nihil effectum fuerit, intra duorum vel trium testium praesentiam res litigetur, denique, si et hoc male cesserit, ad eccle-

sion lis iudiciumque deferatur: id totum ad similitudinem Iudaeorum procedendi modi et gradationem iudiciorum usu receptam conformatum esse interpretes antiquitatis iudaicae periti bene multi admonuerunt. Quare nihil impedire, quominus ἐκκλησία *synagogam Iudaicam* indicet, a qua non desciturus esse suos Christus praesagiverit. Haec plus minusve perspicue pronuntiata sunt. Possunt haec addi. *Hoc quidem tempore ne poterat quidem, praesentem causam agitans, non futurae prospiciens, de ἐκκλησία christiana, cuius ne prima quidem initia apparebant, Iesus verba facere.* Non enim loquitur de futurae, sed de praesentis placabilitatis pretio eiusque exercendae studio. Itaque ablegatos puta Christi sectatores a Christo ad ecclesiae iudaicae iudicium (jüdisches Gemeindegericht), ut, coram concione sacra facta admonitione, in gratiam invicem redirent. Quibuscum pulcrius concinere videbuntur, quae sequuntur, verba: ἐὰν δὲ καὶ τῆς ἐκκλησίας παρακούσῃ, ἔστω σοὶ ὥσπερ ὁ ἐθνικὸς καὶ ὁ τελώνης, quae alias cum Christi, τῶν ἐθνικῶν καὶ τελώνων Φίλῳ, ingenio aegerrime conciliabis, nunc ex sentiendi ratione iudaica dicta esse censebis. Haec si recte disputata sunt, non egemus adiumento: non satis fidelem esse et accuratam, *ab eventus respectu* non immunem Evangelistae relationem. Ita evanuisset alter locus, qui vulgo ad consilium Christi de ecclesia condenda refertur, ad unum disertum testimonium redirent omnia.

II. In tanto monumentorum defectu, in tanta sententiarum diversitate eo magis necessarium, ut ingenue quivis dicat quid sentiat. In utramque partem argumentis dicendo tutius veritas emergit. Sententiam quidem ita declarabo, ut ad reliquo-

rum Iesu dictorum factorumque indolem, in Synopticis evangeliis (de quibus nunc unice agam) proditam proxime accedere videntur. Voluit sine dubio Dominus novum colligere et condere coetum sacrum, Messianum. Quales huic concioni adscribendos curaverit cives, copiosissime dictum est in antecedentibus. Fuere τέκνα θεοῦ, opposita τῷ κόσμῳ. Verum ex his ipsis, perditis ad communem opinionem desperatisve hominibus quamplurimos divinae causae studuit conciliare. Ἦλθε γὰρ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου σῶσαι τὸ ἀπολωλός. Haec natio Deo consecrata, amore una, recte, honeste, clementer factis insignita, ἐκκλησία erat Messiana, cuius latius propagandae, exemplo doctrinaque firmandae provinciam suscepit Petrus, susceperunt reliqui apostoli. Erant illi sacrorum Messianorum antistites (Christi Legaten und Verfüger in der Messianischen Ordnung der Dinge, *vorarbeitend* und *vorbereitend* auf den Gottesstaat, welcher mit seiner Rückkehr *tiefer* begründet wird.), quibus, fervore et constantia Petro similibus, concrediderat opus suum. Sed hoc quousque pateat, e Synopticorum relatione, sine his, quae de reditu suo praecepit Dominus, recte subtiliterque aestimari nequit. Christus ad solemnia regni Messiani initia consecranda latissimeque propaganda brevi redux futurus est. (Id sequenti disputatione evincere propositum est.) Symbola communionis externa nulla sunt; praeter baptismum et sacram coenam. Ille adumbrat consilium a vita flagitiosa et libidinibus dedita perveniendi ad eum animi statum, qui τῶν τέκνων τοῦ θεοῦ conditioni est propior. Haec novum et augustius foedus sancitum esse declarat; extremam cecidisse victimam Christum; nam uti Mosaico instituto sanguis victimae altari adspersus leniverit Dei iram, et peccata populi sustulerit,

ita Christi, Messiae sanguinem ideiu perfecisse novo instituto, pro hominibus multis effusum. Huius facti primarii memoriam repetant sectatores per coenam repetitam (εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν). Claudit Paulus eandem pericopam 1. Cor. 11, 26. verbis evidentissimis: ὁσάκις γὰρ ἂν ἐσθίητε τὸν ἄρτον τοῦτον, καὶ τὸ ποτήριον τοῦτο πίνητε, τὸν θάνατον τοῦ κυρίου καταγγέλλετε, ἄχρις οὗ ἔλθῃ.

III. Si igitur negamus, Christum ecclesiam condere voluisse, hoc tantum negamus, eum talem coetum, qualem multis ritibus ceremoniisque deditum, reipublicae oppositum, iura, officia, beneficia, privilegia complectentem, suis luculenter instructum ministris, praefectis, administratoribus, terrestribus armis coeleste verbum opponentem, nostra aetas e praecedentibus temporibus quasi traditione ad se venientem vidit, ἐκκλησίας nomine instituisse. Nihil enim nec apostolis, nec reliquis auditoribus declaravit, quod animum huic consilio intentum prodere videri posset. Non tantum a disertis praeceptis, ad quae singula ordinanda et caeremoniarum symbolorumque cultus instituendus esset, penitus abstinuit; sed quavis arrepta occasione praesentis iudaici cultus, qui a genuino Mosaismo multis modis recesserat, levitatem, operum operatorum vanam existimationem, Pharisaismi durum et intolerabile iugum sermone aggressus, ad pie sensorum, et honeste beneque factorum sinceritatem omnia revocans, noluit obsoleto cultui novum superstruere. Hunc, per rei necessitatem, crescente sectatorum numero, sponte suborientem, latius se diffundentem, mutationes per seculorum decursum diversissimas experientem, ad nostros dies traductum, ad posteros traducendum, an mente animoque

praesagiverit Iesus, et rerum posthac futurarum, per seculorum millia gerendarum summam uno immenso intuitu complexus fuerit; id interpretis, historicis vestigiis sapienter insistentis, quaerere non est. Disputent, quorum est, Dogmatici; ego ingenue fateor, Dei hanc esse, non hominum scientiam, et si quis eam Christo, divino homini, tribuendam esse contendat, equidem non repugno: modo is idem, quod debet, concedat, causam hanc *exegeticis historicisque finibus* esse exterminatam aliisque argumentorum momentis agendam. Mihi hoc sufficit, quod ministrat recte intellecta Scriptura, officiose amplectitur humana ratio, Dei donum praeclarissimum, divinarumque rerum cognitionis ὄργανον unicum, praevidisse Dominum futuram societatis Messianae a iudaicis sacris secretionem, sub tempore reditus sui perficiendam. Formas Messianismi externas non praescripsit; satis se unusquisque per baptismi symbolum Messiano coetui addictum professus fuerat, satis unusquisque sacra coena communiter celebrata memoriam conditoris novi Foederis ad Coelites vocati, de coelis ad inaugurandam novam societatem mox rediturí, recolebat. Quae restabant perficienda, ea diebus temporibusque Messianis, haud diu desiderandis, servata existimantor! At internus animorum cultus externo rituum et ceremoniarum corpore tanto est superior, quanto res, quae perficitur, alicui eius perficiendae adminiculo antecellit. Πνεύματι, ἀγάπῃ, ἐλευθερίᾳ dent se discipuli Messiani; harum trium Gratiarum christianarum cultu transigitur vita christiana. Haec Synoptici. An discedat Ioannes, posthac videndum. Ita *interpreti* de ecclesia a Christo fundata statuendum sentio. Qui vero me erravisse criminetur, agat *eiusdem generis*, et *doctis* argumentis, quibus ego rei veritatem demonstrare anni-

enim; aliis nec mihi nec cuiquam sano Critico persuadebitur *).

IV. De potestate *solvendi* atque *ligandi* Petro et sodalibus apostolis concessa, minime una omnium sententia est.

a. PP. multi, Grotius, Calixtus, Er. Schmidius, Wolfius, Schleusnerus, (utut hic dubitante animo) al. λύειν et δέειν de *potestate peccatorum veniam vel concedendi vel denegandi* interpretantur. At faciunt invito loquendi usu. Nam, uti λύειν sine adiecto ἁμαρτιῶν v. ἁμαρτημάτων voc. h. sensu percipi nequit, et vel sic exemplis e N. quidem T. petitis non firmatur **), ita δέειν ἁμαρτίας v. ἁμαρτήματα, peccata constringere, vincire, ut sit: peccatorum veniam denegare, et mira insolentique imagine et nullo exemplo foret dictum. Et sine subtiliore iudicio contulerunt vocem Christi, apostolis applicatam Io. 20, 23.: ἄν τινων ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, ἀφίενται αὐτοῖς· ἄν τινων κρατῆτε κεκράτηνται. Nam κρατεῖν quo sensu accipiendum, ex *opposito* perspicuum est. Eorum, quibus non remittunt, retinent s. cohibent peccata apostoli, aut, quod inde sponte fluit, poenas asservant. Cogitantur ergo quasi arbitri et Domini flagitio-

*) De consilio Iesu, condendi ecclesiam, disputavit universe, non subtilius examinatis locis evangelicis, aut discrimine observato Synopticos inter atque Ioannem Ven. Planckius in l. *Gesch. d. christl. kirchl. Gesellschaftsverfassung.* I. p. 13–17.

**) Afferunt Ies. 40, 2. λέλυται αὐτῆς ἡ ἁμαρτία (נִרְצָה עֲוֹנָהּ, bezahlt, abgetragen, *annullirt* ist ihre Schuld = Sündenschuld) et Sir. 28, 2 *ἄφες ἀδίκημα τῷ πλησίον σου, καὶ τότε δεηθέντος σου αἱ ἁμαρτίαι σου λυθήσονται.* Nihil talia probant, quorum propter substantivi praesentiam nulla ambiguitas est. De exteris scriptoribus v. inter alios Kypkium ad Matth. 18, 18.

rum, penes quos sit, cognita verae aut simulatae μετανοίας indole, aut peccatorum veniam concedere (ἀφιέναι τὰς ἁμαρτίας), ut h. condonatio item divino iudicio adprobetur, aut retinere, et quasi in integritate capta tenere, ut similiter in coelestibus partibus retenta et poenis prosequenda iudicentur. Inde manifestum est: nativam vim in v. κρατεῖν, quae est *coërcendi, cohibendi, imperandi* sim. minime periisse et falsissime iudicare, qui v. δέειν non synonymam et cognatam, sed *eandem* esse vim praecipiunt *).

b. Aeque vituperandi sunt **), qui, potestatis apostolicae memores, δέειν morbos immittere, λύειν eosdem depellere ***) explicuerunt, male ex-

*) Ita mireris statuisse Tholuckium ad Io. l. c. Et nihil valet, quod hebr. עָצַר modo per δέειν Ier. 33, 1. καὶ αὐτὸς ἦν ἔτι δεδεμένος ἐν τῇ αὐλῇ τῆς φυλακῆς, modo per κρατεῖν Dan. 10. 8. καὶ οὐκ ἐκράτησα ἰσχύος translatum monet. Illi enim translatores minime ubivis vim hebraici verbi subtilissime et accuratissime exhauriunt. In priore l. non *significationem*, sed *sensum* reddunt, accuratius scripturi, si κρατεῖν adhibuissent. Nam si quis *retentus* in carcere dicitur, non continuo captivus, multo minus vinctus dicitur, sed captivum esse factum, *consequens* est. In altero l. וְלֹא עָצַרְתִּי כֹּחַ nostrum est: ich hielt nicht Kraft *zurück*, behielt nicht Kräfte; ad *sensum* haud dubie: ich herrschte nicht über Etwas von Kraft. Recte Lueckius, differre κρατεῖν a δέειν nostris ll. scribit et sibi et plurimis visum. Quod vero ad *cognationem* utriusque vocis evincendam addit, haud raro voc. κρατεῖν oppositum legi v. λύειν, afferens Act. 2, 24: ὃν ὁ θεὸς ἀνέστησε, λύσας τὰς ὠδίνας τοῦ θανάτου, καθότι οὐκ ἦν δυνατὸν κρατεῖσθαι αὐτὸν ὑπ' αὐτοῦ, id ita concedendum, ut primitivam potestatem *cohibendi* s. *in potestatem redigendi* ne ibi quidem diminutam esse firme contendas.

**) Ita Olearius, Clericus al.

***) Provocantes ad Ananiae et Sapphirae de Petro, aut Elymae et Magi de Paulo exemplum.

citantes Luc. 13, 16. θυγατέρα —, ἣν ἔδησεν ὁ σατανᾶς ἰδοὺ δέκα καὶ ὀκτὼ ἔτη, οὐκ ἔδει λυθῆναι ἀπὸ τοῦ δεσμοῦ τούτου cet. Non enim par ratio est. Nam, uti a Satana, physicae auctore calamitatis, vincti sponte intelliguntur e iudaica sentiendi ratione pedibus manibusve capti, aut alio daemoniaco morbo correpti, ita a Petro apostolisque vinculis constrictos sine luculentiore indicio quo iure existimabis his malis affectos dici? Et ne hoc quidem praetermittendum, quod non video animadversum ab interpretibus, vv. λύειν atque δέειν non sine causa a Iesu electa, ut praecedenti v. 15., in quo item usurpatum videas de *animalibus* λύειν, fortius responderet per gradationem de *hominibus* enuntiatio.

c. Non felicius alii, ut Seb. Schmidius (v. Wolf. *Cur.* ad h. l.), δέειν *vinculis constringere*, λύειν *e vinculis solvere* explicant, ut sensus sit: quoscunque tu aeternis vinculis nectendos Orco destinaris, hos adstipulante Deo eo conieceris, quibuscunque vero tristi carcere liberatis Messiani regni beatitatem patefeceris, his divino iudicio apertus erit introitus. Nam a. insignis foret et breviloquentia et insolentia sermonis, praesertim in aliorum defectu exemplorum, ne verbo quidem Orci mentione iniecta, ut δέειν sit Tartaro, λύειν coelesti regno adiudicare, quo accedit, quod b. de aeternis praemiis suppliciisve e constanti Iesu doctrina non tam Messiae discipulorum, quam *Messiae unius*, Dei nomine, iudicialis est ἐν τῇ παρουσίᾳ sententia.

d. Ergo unice vera est plurimorum interpretum, et antiquiorum, quos recenset Wolfius l. c., et recentiorum Wetstenii, Lightfooti, Schoettgenii, Pauli, Kuinoelii, Wahlii, Fritzschii al. sententia. Ex usu enim chaldaico, tar-

gumico, et inprimis rabbinico (et ne arabicus quidem ab hac notionum affinitate abest. V. Gesen. Lex. s. v. אָסַר) in vv. אֲסַר, vincire, prohibendi, vetandi, et הַתֵּר, solvere (a נָתַר, decidere, defluere) permittendi, liberum faciundi notio praevaluit *) de doctoribus et sapientibus Iudaeorum eorumque scholastico imperio. Ita transferunt: quodcunque tu Petre, vos apostoli, licitum illicitumve declararitis, per legem sanciendo s. interdicendo, eodem loco habebitur in coelis, divino iudicio. Hanc quidem interpretationem, *universe* ab aliis adumbratam, et nube exemplorum e rabbinicis talmudicisque scriptoribus firmatam **), nos *sigillatim* ita conformandam duximus. Messiani doctores legumlationem morum et theocraticam exercent, interdicunt rebus factisque et admittunt alia (nostrum: untersagen oder freigeben), itâque *potestatem* exercent, quae, si non ecclesiastica est, certe eiusmodi, quae in ecclesia posthac, suadente rei natura, condenda et uberius excoli, et perverse intelligi, et imperandi cupidini fomentum praebere luculentum videatur. At hoc a Divi Iesu ingenio et consilio mirum quantum recedit. Voluit apostolos usque ad sui iteratam praesentiam et vere *κυριακὴν ἡμέραν* idem facere et administrare in rebus Messianis (Messiasthum), quod ad hunc diem fecissent administrassentque in rebus Mosaicis, magisque etiam Iudaicis (positiv-statutarisches Judenthum) doctores aequales, scholarum antistites, vi-

---

*) Inde אֱסָר (interdictum) Dan. 6, 8 — 10. אָסוּר, איסור, prohibitum, vetitum; et הֶיתֵּר, concessio, היתר, מותר, licitum, permissum. V. Buxtorf. *Lex. chald.* et *talm.* p. 174 sq. 1409 sq.

**) Cf. inprimis Wetsten. et Lightfoot. ad h. l.

tae popularium imperantes, Pharisaei, sub quorum funesto iugo ingemiscens vulgus Messianae spei, animi solatio, inhiabat. Inde de se suaque disciplina vere praedicavit Servator optimus: ὁ γάρ ζυγός μου χρηστὸς, καὶ τὸ φορτίον μου ἐλαφρόν ἐστιν. Non concessit familiaribus ius, recipiendi in theocraticam communionem et excludendi e sacro consortio, quoscunque arbitrio elegissent, declarandi dedit facultatem, quibus sub legibus sancte vivatur in republica Messiana, et aditus cuivis pateat. Quae quidem leges et affirmativae et negativae una cum officiis civium Messianorum cum sint generis *ethici*, uti satis supra demonstratum ivimus, quo tandem pacto erat verendum, ne recte intellecta mente sua abuterentur apostoli? Huic explanationi et hoc quamvis levioris commodi accedit, quod *ὃ ἐὰν* et *ὅσα ἐὰν* utroque l. non de *personis*, sed de *rebus actionibusve* adhibitum legatur, quamvis non inepte alii pro insolentiori usu neutr. Christi vocem Mtth. 18, 11. ἦλθε γάρ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, σῶσαι τὸ ἀπολωλός excitaverint. — Claves autem regni coelestis gestans Petrus designatur a Iesu nota imagine (cl. Ies. 22, 22. Apoc. 3, 7.) coetus Messiani aditum patefacturus, non vi personae et muneris, sed intima notitia et declaratione eorum, quae Christus de instituti sui ratione et sectatorum officiis et virtutibus inter interioris admissionis discipulos fuerat professus.

V. De primatu Petri apostolico, quem ex hac Christi oratione duxit posteriorum seculorum mala sedulitas, non est, quod post tot hominum doctorum prosperrima in infringendo obsoleto errore studia denuo agam. Si Petrum apostolorum principem et antesignanum dicere Christus voluisset, non eam potestatem, quam 16, 19. ei de-

mandaverat, Mth. 18, 18. in apostolos omnes contulisset. Et scientiam viri fraudi non obnoxiam non esse habitam, intelligitur ex ea compellatione, quae, paucis versibus interiectis, ad eundem dirigitur, v. 23.: ὕπαγε ὀπίσω μου, σατανᾶ! σκάνδαλόν μου εἶ· ὅτι οὐ φρονεῖς τὰ τοῦ θεοῦ, ἀλλὰ τὰ τῶν ἀνθρώπων. Denique, si audientibus reliquis apostolis, ita primas in Petrum partes detulerat Christus, ut insignem principatum et praerogativam eius ab omnibus percipi et coli vellet, qua tandem fronte iterum 18, 1. quaerere e magistro poterant: τίς ἄρα μείζων ἐστὶν ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν;

VI. De *interpolatione* l. Mth. 16, 18. 19. audaciori manui ex eventu debita (id quod recentioribus placuit criticis, in mentione ecclesiae offensis, et huic nexui parum convenientem Christi vocem arbitrantibus) omnia incerta sunt. Nam ipsissima Servatoris verba nobis tradita esse, etsi non affirmari audacter, tamen ne negari quidem idoneis argumentis poterit. Quid igitur, si non potius visum fuerit, causam in medio esse relinquendam, quid melius tentabitur, quam explanatio talis, quae et rei Messianae adumbrationi, per hos Synopticorum libros obviae, belle respondeat, et interiorem ac vere divinam Iesu Messiae disciplinae indolem non violet? — De his igitur penes peritos sit iudicium! —

His, quod nulli loco aptius visa essent inseri posse, et tamen nostra causa requireret hoc genus disputationis, copiosius monitis, redeamus ad propositum. Latius patuisse Iesu institutum, non tantum inde, uti supra monuimus, intelligitur, quod Galilaeam, exterorum commercio frequentissimam, elegerit, in qua docendi tirocinium poneret, et maximam partem virium, praeclaro muneri sacratarum, consumeret; sed *disertis testimo-*

niis traduntur Idumaei et Tyri Sidoniisque incolae, haud dubie exteri, catervatim adfluxisse et doctori summo auditores adstetisse. Cf. Mc. 3, 8. καὶ ἀπὸ Ἱεροσολύμων, καὶ ἀπὸ τῆς Ἰδουμαίας, καὶ πέραν τοῦ Ἰορδάνου· καὶ οἱ περὶ Τύρον καὶ Σιδῶνα, πλῆθος πολὺ, ἀκούσαντες ὅσα ἐποίει, ἦλθον πρὸς αὐτόν. Et Luc. 6, 20 sq. si montana est oratio (id quod ob argumenta supra posita dubitari nequit), et ipsa audita est ab exteris. Nam v. 17. dicitur adfuisse praeter discipulos πλῆθος πολὺ τοῦ λαοῦ ἀπὸ πάσης τῆς Ἰουδαίας, καὶ Ἱερουσαλὴμ, καὶ τῆς παραλίου Τύρου καὶ Σιδῶνος, οἳ ἦλθον ἀκοῦσαι αὐτοῦ, καὶ ἰαθῆναι ἀπὸ τῶν νόσων αὐτῶν. At ubi tandem legis, hos peregrinorum vultus Dominum perhorruisse, et a suo comitatu segregandos anxie curavisse? Quid quod ipse Christus narratur accessisse ad fines Palaestinae, agros Tyri atque Sidonis e. g. Mtth. 15, 21. καὶ ἐξελθὼν ἐκεῖθεν ὁ Ἰησοῦς, ἀνεχώρησεν εἰς τὰ μέρη Τύρου καὶ Σιδῶνος et l. parall. Mc. 7, 24. καὶ ἐκεῖθεν ἀναστὰς, ἀπῆλθεν εἰς τὰ μεθόρια Τύρου καὶ Σιδῶνος; quamvis ibi additum sit in testimonium cauti ac prudentis animi *): καὶ εἰσελθὼν εἰς τὴν οἰκίαν, οὐδένα ἤθελε γνῶναι· καὶ οὐκ ἠδυνήθη λαθεῖν. Quo denique iudicio utendum sit de eius cum Syrophoenissa muliere colloquio, non repetam. Et perquam credibile est, crebrius multo, quam in commentariis sacris narratum reperitur, Christum discipulosque in has regiones iter instituisse.

Et hoc ipsum, quod criminantur inimici, mirantur amici: τελώνας et ἁμαρτωλοὺς in fami-

*) Vel ne praemature studio ad exterorum commercium videretur se contulisse, et temere exacerbare Iudaeorum iram; vel ut a Pharisaeorum insidiis tutus delitesceret. V. Kuinoel. ad h. l.

liaritatem, imo contubernium adsciri, nonne perspicue probat, quod demonstrare coepimus, pectus Christi erga ἀλλοφύλους amoris misericordiaeque plenissimum? Nam etsi longius procedunt et multorum locorum nexum historicasque rationes negligunt, qui ἁμαρτωλοὺς *plane synonymica* cum exterorum, ἐθνικῶν, vocabulo pollere notione contendunt, tamen concedendum, ἁμαρτωλοὺς saepe vocari Iudaeos, turpi vitae deditos, saepius exteros, ob idolorum cultum, familiari a V. T. libris atque historiis usu *).

Verum alios etiam, quam Iudaeos curae fuisse cordique Servatori per orationes resque gestas institutum suum indicanti, percipitur ex iis locis, quibus κόσμου ita mentio fit, ut orbis ad eius ditionem pertinuisse dicatur. Cuius rei primum vestigium adest in Mtth. 13, 24 — 30., de bono semine et lolio in agro eodem sparsis parabola; cuius ἐπιμύθιον rogatu discipulorum addens v. 38. ὁ δὲ ἀγρός, ait, ἐστιν ὁ κόσμος; antecesserat vero: ὁ σπείρων τὸ καλὸν σπέρμα, ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. Quod si quis haec considerans de *iudaico orbe* explicanda esse maluerit, is reputet, et nulla disertiora esse apud tres priores vitae Christi scriptores huius usus exempla, et refragari universalem doctrinae typum, dein latius persequendum, de iudicio Messiano in ter-

---

*) Ita iuxta apponuntur τελῶναι atque ἁμαρτωλοί, qui lateri Iesu se adiunxerant, e. g. Mc. 2, 15. 16. Lc. 5, 30. 15, 1. 2. 19, 7. Et Mtth. 18, 17. huc facit, ubi pro vulgari ἁμαρτωλοῦ mentione habes: ἔστω σοὶ ὥσπερ ὁ ἐθνικὸς καὶ ὁ τελώνης. Inde tamen praepropere concluseris, ἁμαρτωλοὺς non esse nisi ἐθνικοὺς in N. T. idiomate. Adde, quod Redemtor dicat se traditum iri εἰς χεῖρας ἁμαρτωλῶν. Mtth. 26, 45. quibus vulgo arbitrantur *Romanos* innui. At v. 47. cohors a Synedrio emissa (circumforanea?) adstat, ut captivum deducat. Similiter Lc.

rarum orbem mortalesque cunctos exercendo, cui depingendo vel per hanc similitudinem praeivit.

Nec male eadem retuleris Mtth. 20, 28. Mc. 10, 45., ubi Christus discipulorum propulsurus inceptiam et inanem exspectationem, venisse ait Messiam, servitia non ut sua occupet, sed exhibeat, profundatque vitam sacrificii piacularis instar *pro multis*, καὶ δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ λύτρον ἀντὶ πολλῶν. Ibi Grotius, Rosenmüllerus*), al. (cl. Rom. 5, 15. 18.) πολλοὺς per πάντας explanant et alienigenas una comprehensos esse censent, contra Paulum, Kuinoelium al. qui ad unam iudaicam nationem referre malunt. Equidem *prius* ita amplector, ut non in *significatione* vocabuli inesse, sed e *sensu* fluere arbitrer, inprimisque ex reliqua indole doctrinae. Ubi enim vocabulum eius naturae est, ut vel latiorem, vel arctiorem sensum admittat, ceterae *internae* rationes, *nexus* et antecedentis consequentisque orationis et similia de vero sensu diiudicant. Haec vero latius patuisse mortem a Christo redemtionis pretio oppetitam luculenter persuadent.

Formula quidem generalior Mtth. 19, 30 cl. 20, 16. πολλοὶ δὲ ἔσονται πρῶτοι, ἔσχατοι· καὶ ἔσχατοι, πρῶτοι de vocatione exterorum e nexus lege inviolabili explanari nequit, id quod p. 228. explicatum. At nullis adscriptum esse unius tenuis plagae incolis Christi consilium, eo

---

24, 7. παραδοθῆναι εἰς χεῖρας ἀνθρώπων ἁμαρτωλῶν: sed in contrariam sententiam 18, 32.: παραδοθήσεται γὰρ τοῖς ἔθνεσι cet. *Vides, promiscuum esse usum.* — Suadet rei natura, et si secus haberet, Paulus Gal. 2, 15. non scripsisset ἐξ ἐθνῶν ἁμαρτωλοί, sed: ἁμαρτωλοί. Legatur Boltenius ad Mtth. 9, 10. p. 146 sq.

*) l. c. p. 42.

manifestius perspicitur e gravi voce, ad pontifices populi Seniores directa 21, 43.: διὰ τοῦτο λέγω ὑμῖν, ὅτι ἀρθήσεται ἀφ' ὑμῶν ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ, καὶ δοθήσεται ἔθνει ποιοῦντι τοὺς καρπούς αὐτῆς. Cf. p. 253. 254. Fructus, quales requiruntur a futuro communionis Messianae socio, non una profert Palaestina, ferunt exteri, ferunt, quibuscunque est curae pure sancteque cogitandi et factis de se aliisque merendi. Ita non nisi per animos humanos ad meliora erectos et generosi amanter pieque sensa ingenua vi perficientes his in terris terminatur divinum regnum. — In memoriam revoco vocem misericordiae plenissimam Mtth. 18, 11. et Luc. 19, 10. ἦλθε ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου σῶσαι τὸ ἀπολωλός, quam etsi simpliciter considerans, μέσην vocare sustineas, nec Iudaeos solos complectentem, nec exteros diserte continentem, tamen, ubi alia minime desunt vestigia, non errabis, quodcunque perditum derelictumve videatur coram imbecilli et praepropero κόσμου iudicio, ad Messianum vitae officium et potentem coelestis legati interventum trahens. Et 22, 14.: πολλοὶ γάρ εἰσι κλητοί, ὀλίγοι δὲ ἐκλεκτοί abunde, praecedente parabola magistra, evincunt: vocationem in coetus Messiani gremium cum severo delectu iri institutum; non de patria, non de natalium splendore, non de maiorum meritis candidatos sciscitandos esse, sed de vitae in melius mutatae aut serio mutandae habitu. V. p. 238.

Et qualis sit intima medulla legis et prophetarum, praeceptum maximum, e quo reliquae leges, ut ex ubere, perenni iugique fonte rivuli profluunt, nusquam apertius hodieque legentibus gratius est professus, quam in brevi illo, at sententiae ponderibus gravissimo cum Legisperito,

homine frugi, colloquio. Mtth. 22, 34—40. Mc. 12, 28—34.

Cui percontanti, non maligno, uti credibile est, animo *), quaenam summa sit sacri Codicis lex, ad intimum et plenissimum amorem Dei et proximi revocat omnia, adiungens ap. Mc. v. 40. ἐν ταύταις ταῖς δυσὶν ἐντολαῖς ὅλος ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται κρέμανται **); his duobus praeceptionibus omnis V. T. ambitus suspensus est. (Reliqua temporibus debentur; temporis enim decursu aut servantur, aut intereunt.) Ampliata vero Marci narratio refert hominis scholastici responsum v. 32.: καλῶς, διδάσκαλε, ἐπ' ἀληθείας εἶπας, ὅτι εἷς ἐστι, καὶ οὐκ ἔστιν ἄλλος πλὴν αὐτοῦ· καὶ τὸ ἀγαπᾷν αὐτὸν ἐξ ὅλης τῆς καρδίας, καὶ ἐξ ὅλης τῆς συνέσεως καὶ ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς καὶ ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος καὶ τὸ ἀγαπᾷν τὸν πλησίον ὡς ἑαυτὸν, πλεῖόν ἐστι πάντων τῶν ὁλοκαυτωμάτων καὶ θυσιῶν. (Praestat cultui sacrificali cultus integerrime transactus in amore Numinis sanctissimi et aliorum proximorum. Is amor aeternus regat vitam, cetera succurrent. Recedunt sacra externa, saepe signa quidem sensorum piorum, quorum tamen nullo modo supplent defectum.) Quod dictum sapiens (ἰδὼν αὐτὸν, ὅτι νουνεχῶς ἀπεκρίθη) adeo arrisit Domino, ut in verba laeta erumperet v. 34.: οὐ μακρὰν εἶ ἀπὸ τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ. Quibus dilucide significavit, ad coelestis regni veram indolem percipiendam, et consortium

*) Ap. Mtth. v. 35. est quidem: πειράζων αὐτὸν; at accuratior et fide dignior Marcus v. 28. εἰδὼς ὅτι καλῶς αὐτοῖς ἀπεκρίθη. Is idem unus habet responsum, indolem hominis adumbrans.

**) Ita vulgata lectio, quam latinizantem habent multi interpretes; indeque praeferunt: ὅλος ὁ νόμος κρέμαται καὶ οἱ προφῆται.

adsequendum requiri ante omnia serium, per inanes et mutabiles externi ritus patrii formas ad summa penetrantem, Deo deditum, et in hac perceptione numinis intima maximum bonum agnoscentem, mortales vero, Dei filios, liberrimo amore et rectissimo de communi dignitate et fine iudicio amplectentem. Et si velis negare, Iesum talia, quae attigi, sensisse omnia; si urgeas, scholasticam talia redolere subtilitatem, et *inferri* verbis ob disputandi ardorem, qui disserentibus theologis sit familiaris, poni, non probari, et pro paucis verbis longiorem commentarium tradi *): monemus, orientalis doctoris vocem vividam et ponderis plenam occidentalium non postulare scholarum, sed admittere explanationem. — Simili sententia ap. Mtth. 7, 12. πάντα οὖν ὅσα ἂν θέλητε, ἵνα ποιῶσιν ὑμῖν οἱ ἄνθρωποι, οὕτω καὶ ὑμεῖς ποιεῖτε αὐτοῖς· οὗτος γάρ ἐστιν ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται. cl. Luc. 6, 31. summa legis et prophetarum refertur ad *mutua officia*, ut alterum aeque, ac nos ipsos, diligendo, quaecunque ab aliis nobis contingere optamus, eadem, persona, ut recte iudicemus, mutata, in altero a nobis praestari aequum existimemus. At ea pars, quae vero cultu amantissima Dei mente exhibendo cernitur, omittitur in alio nexu sermonis.

Alia *maiore* antipharisaica oratione, Pharisaeorum et Legisperitorum acerrime perstringens animi duritiem, insolentiam ac vanitatem Mtth. 23, 1 sq. Mc. 12, 38 sq. Lc. 20, 45 sq. cl. Lc. 11, 39 sq., adstanti populo discipulisque dixisse traditur ap. Mtth. v. 3.: πάντα οὖν ὅσα ἂν εἴπωσιν ὑμῖν τηρεῖν, τηρεῖτε καὶ ποιεῖτε· κατὰ δὲ

*) Similia proponit, et quasi sibi instent ab adversariis, diluit Paulus in *Comm.* in introd. ad h. pericopam.

τὰ ἔργα αὐτῶν μὴ ποιεῖτε· λέγουσι γὰρ, καὶ οὐ ποιοῦσι. Haec qui legerit nec penitius considerarit, videbitur Christum amicum ac fautorem Rabbinorum decretorum, vitae osorem, sibi deprehendisse. Huic indecorae, quae visa esset, sententiae decora interpretatione occurrerunt antiquiores, in his Theophylactus atque Euthymius. Ille enim: ὅτε αὐτοὺς (sc. in antecedd. gratt.) ἐπεστόμισε, inquit, καὶ ἔδειξεν ἀνίατα νοσοῦντας, τότε περὶ αὐτῶν λέγει· περὶ βίου δὲ καὶ πολιτείας διαλέγεται, διορθούμενος τοὺς ἀκούοντας, ἵνα μὴ καταφρονῶσι τῶν διδασκάλων, κἂν διεφθαρμένου βίου ὦσιν. Ἅμα δὲ δείκνυσιν, ὅτι οὐδὲ τῷ νόμῳ ἐναντιοῦται, ἀλλὰ μᾶλλον θέλει τὰ τοῦ νόμου πράττεσθαι, κἂν οἱ ταῦτα διδάσκοντες ἀνάξιοι ὦσιν· ὅσα γάρ φησι λέγουσιν οἱ διδάσκαλοι, τὸν Μωϋσῆν νομίζετε ταῦτα λέγειν, μᾶλλον δὲ τὸν θεόν· ἆρ' οὖν πάντα ὅσα λέγουσι δεῖ ποιεῖν, κἂν κακὰ ὦσι; λέγομεν οὖν, πρῶτον μὲν ὅτι οὐδὲ τολμήσει ποτὲ ὁ διδάσκων προτρέψασθαί τινα εἰς κακόν· ἔπειτα εἰ καὶ δῶμεν τοῦτο, ὅτι ἔσται τις εἰς κακὸν βίον προτρεπόμενος, οὐκ ἀπὸ τῆς Μωσέως καθέδρας ὁ τοιοῦτος, οὐδ' ἀπὸ τοῦ νόμου φθέγγεται· ὁ δὲ Κύριος, περὶ τῶν ἐν τῇ Μωσέως καθέδρᾳ καθημένων λέγει, τουτέστι, τῶν τὰ τοῦ νόμου διδασκόντων. Δεῖ οὖν τῶν διδασκόντων τι ἀπὸ τοῦ θείου νόμου ἀκούειν, κἂν αὐτοὶ μὴ ποιῶσιν. Hic: τοῦ μωσαϊκοῦ φησὶ θρόνου, ait, τοῦ διδασκαλικοῦ, διάδοχοι γεγόνασι. Διὰ τοῦτο πάντα, ὅσα ἂν εἴπωσιν ὑμῖν τηρεῖν, τηρεῖτε καὶ ποιεῖτε. Οὐ γὰρ τὰ ἑαυτῶν λέγουσιν, ὅτε διδάσκουσιν, ἀλλὰ τὰ τοῦ θεοῦ, καὶ ὅσα διὰ Μωϋσέως ἐνομοθέτησε. Πάντα δὲ εἰπὼν, οὐ πᾶσαν λέγει τὴν νομοθεσίαν, οἷον καὶ τὰ περὶ θυσιῶν καὶ τὰ περὶ βρωμάτων καὶ τὰ τοιαῦτα· πῶς γάρ; ἃ προλαβὼν

ἔπαυσε· ἀλλὰ πάντα τοὐναντίον τὰ διορθοῦντα ἦθος καὶ βελτιοῦντα τρόπον, καὶ μὴ ἀντιπίπτοντα τοῖς εὐαγγελικοῖς διατάγμασι. Κατὰ δὲ τὰ ἔργα αὐτῶν μὴ ποιεῖτε· ἀνοίκεια γάρ εἰσι ταῖς διδασκαλίαις αὐτῶν καὶ διεφθαρμένα. Ἐδίδαξε τοίνυν, ὅτι οὐ χρὴ κατεξανίστασθαι τῶν διδασκάλων, εἰ καὶ φαύλην ἔχουσι πολιτείαν, ἀλλὰ πείθεσθαι μὲν τῇ διδασκαλίᾳ τούτων, μὴ μιμεῖσθαι δὲ τὸν ἀνάξιον βίον αὐτῶν. Ἀξιόπιστοι μὲν γάρ εἰσι διδάσκοντες, οὐκ ἀξιοζήλωτοι δὲ πολιτευόμενοι. — Ἔστι δὲ καὶ ἕτερον εἰπεῖν, ὡς ἐπεὶ ἔμελλε διὰ φυλακὴν τοῦ ὄχλου τὰ τελευταῖα προδήλως ἀπελέγχειν τὰς πονηρὰς πράξεις αὐτῶν, ἵνα μὲν μή τινες οἰηθῶσιν, ὅτι ἔρωτι τῆς ἀρχῆς αὐτῶν διαβάλλει τούτους, προεθεράπευσε τὴν τοιαύτην ὑπόληψιν, εἰπὼν, πάντα, ὅσα ἐὰν εἴπωσιν ὑμῖν τηρεῖν, τηρεῖτε καὶ ποιεῖτε, εἰ καὶ μὴ διὰ τὸν βίον αὐτῶν, ἀλλάγε διὰ τὸν ἀρχικὸν καὶ διδασκαλικὸν θρόνον. Ἵνα δὲ μή τινες, πειθόμενοι ταῖς τούτων διδασκαλίαις, ζηλώσωσι καὶ τὸν βίον αὐτῶν, προσέθηκε, κατὰ δὲ τὰ ἔργα αὐτῶν μὴ ποιεῖτε. Καὶ οὕτως ἀνύποπτον καταστήσας ἑαυτὸν, ἄρχεται τῆς κατηγορίας.

His adiungatur Grotius „quidquid, explanans iure cathedrae, sive *ut legis interpretes* vobis faciundum dictaverint,“ restringensque universalem vocem ad officium legis explicandae. Equidem cum Fritzschio *) eatenus facio, ut putem, hanc enunciationem non eo usque ad amussim esse redigendam, ut Iesus ipse secum pugnans subtiliore iudicio reperiatur. Etenim ante omnia auditoribus inculcans, ne quis ad doctorum exempla vitam componat, praecepta coli et servari non aegre fert, et a Mose ducta certe ducenda, et salutaria, et per Messiana tempora emendanda. Ad tem-

*) In *Comm.* ad h. l.

τὰ ἔργα αὐτῶν μὴ ποιεῖτε· λέγουσι γὰρ, καὶ οὐ ποιοῦσι. Haec qui legerit nec penitius considerayerit, videbitur Christum amicum ac fautorem Rabbinorum decretorum, vitae osorem, sibi deprehendisse. Huic indecorae, quae visa esset, sententiae decora interpretatione occurrerunt antiquiores, in his Theophylactus atque Euthymius. Ille enim: ὅτε αὐτοὺς (sc. in antecedd. oratt.) ἐπεστόμισε, inquit, καὶ ἔδειξεν ἀνίατα νοσοῦντας, τότε περὶ αὐτῶν λέγει· περὶ βίου δὲ καὶ πολιτείας διαλέγεται, διορθούμενος τοὺς ἀκούοντας, ἵνα μὴ καταφρονῶσι τῶν διδασκάλων, κἂν διεφθαρμένου βίου ὦσιν. Ἅμα δὲ δείκνυσιν, ὅτι οὐδὲ τῷ νόμῳ ἐναντιοῦται, ἀλλὰ μᾶλλον θέλει τὰ τοῦ νόμου πράττεσθαι, κἂν οἱ ταῦτα διδάσκοντες ἀνάξιοι ὦσιν· ὅσα γάρ φησι λέγουσιν οἱ διδάσκαλοι, τὸν Μωϋσῆν νομίζετε ταῦτα λέγειν, μᾶλλον δὲ τὸν θεόν· ἆρ' οὖν πάντα ὅσα λέγουσι δεῖ ποιεῖν, κἂν κακὰ ὦσι; λέγομεν οὖν, πρῶτον μὲν ὅτι οὐδὲ τολμήσει ποτε ὁ διδάσκων προτρέψασθαί τινα εἰς κακόν· ἔπειτα εἰ καὶ δῶμεν τοῦτο, ὅτι ἔσται τις εἰς κακὸν βίον προτρεπόμενος, οὐκ ἀπὸ τῆς Μωσέως καθέδρας ὁ τοιοῦτος, οὐδ' ἀπὸ τοῦ νόμου φθέγγεται· ὁ δὲ Κύριος, περὶ τῶν ἐν τῇ Μωσέως καθέδρᾳ καθημένων λέγει, τουτέστι, τῶν τὰ τοῦ νόμου διδασκόντων. Δεῖ οὖν τῶν διδασκόντων τι ἀπὸ τοῦ θείου νόμου ἀκούειν, κἂν αὐτοὶ μὴ ποιῶσιν. Hic: τοῦ μωσαϊκοῦ, φησὶ, θρόνου, ait, τοῦ διδασκαλικοῦ, διάδοχοι γεγόνασι. Δία ταῦτα πάντα, ὅσα ἂν εἴπωσιν ὑμῖν τηρεῖν, τηρεῖτε καὶ ποιεῖτε. Οὐ γὰρ τὰ ἑαυτῶν λέγουσιν, ὅτε διδάσκουσιν, ἀλλὰ τὰ τοῦ θεοῦ, καὶ ὅσα διὰ Μωϋσέως ἐνομοθέτησε. Πάντα δὲ εἰπὼν, οὐ πᾶσαν λέγει τὴν νομοθεσίαν, οἷον καὶ τὰ περὶ θυσιῶν καὶ τὰ περὶ βρωμάτων καὶ τὰ τοιαῦτα· πῶς γάρ; ἃ προλαβὼν

ἔπαυσε· ἀλλὰ πάντα πάντως τὰ διορθοῦντα ἤθος καὶ βελτιοῦντα τρόπον, καὶ μὴ ἀντιπίπτοντα τοῖς εὐαγγελικοῖς διατάγμασι. Κατὰ δὲ τὰ ἔργα αὐτῶν μὴ ποιεῖτε· ἀνοίκεια γάρ εἰσι ταῖς διδασκαλίαις αὐτῶν καὶ διεφθαρμένα. Ἐδίδαξε τοινῦν, ὅτι οὐ χρὴ κατεξανίστασθαι τῶν διδασκάλων, εἰ καὶ φαύλην ἔχουσι πολιτείαν, ἀλλὰ πείθεσθαι μὲν τῇ διδασκαλίᾳ τούτων, μὴ μιμεῖσθαι δὲ τὸν ἀνάξιον βίον αὐτῶν. Ἀξιόπιστοι μὲν γάρ εἰσι διδάσκοντες, οὐκ ἀξιοζήλωτοι δὲ πολιτευόμενοι. — Ἔστι δὲ καὶ ἕτερον εἰπεῖν, ὡς ἐπεὶ ἔμελλε διὰ φυλακὴν τοῦ ὄχλου τὰ τελευταῖα προδήλως ἀπελέγχειν τὰς πονηρὰς πράξεις αὐτῶν, ἵνα μὲν μή τινες οἰηθῶσιν, ὅτι ἔρωτι τῆς ἀρχῆς αὐτῶν διαβάλλει τούτους, προεθεράπευσε τὴν τοιαύτην ὑπόληψιν, εἰπών, πάντα, ὅσα ἐὰν εἴπωσιν ὑμῖν τηρεῖν, τηρεῖτε καὶ ποιεῖτε, εἰ καὶ μὴ διὰ τὸν βίον αὐτῶν, ἀλλάγε διὰ τὸν ἀρχικὸν καὶ διδασκαλικὸν θρόνον. Ἵνα δὲ μή τινες, πειθόμενοι ταῖς τούτων διδασκαλίαις, ζηλώσωσι καὶ τὸν βίον αὐτῶν, προσέθηκε, κατὰ δὲ τὰ ἔργα αὐτῶν μὴ ποιεῖτε. Καὶ οὕτως ἀνύποπτον καταστήσας ἑαυτόν, ἄρχεται τῆς κατηγορίας. His adiungatur GROTIUS „quidquid, explanans, iure cathedrae, sive *ut legis interpretes* vobis faciundum dictaverint," restringensque universalem vocem ad officium legis explicandae. Equidem cum FRITZSCHIO *) eatenus facio, ut putem, hanc enuntiationem non eo usque ad amussim esse redigendam, ut Iesus ipse secum pugnans subtiliore iudicio reperiatur. Etenim ante omnia auditoribus inculcans, ne quis ad doctorum exempla vitam componat, praecepta coli et servari non aegre fert, et a Mose ducta certe ducenda, et salutaria, et per Messiam tempora emendanda. Ad tem-

*) In *Comm.* ad h. l.

pus facite, donec melioribus suscipiendis et exsequendis ipsi fueritis idonei redditi, nam frugi sunt morum praecepta, et ritus item ceremoniaeque animo Deo dedito sacrari possunt. (Alia via, ut quidem verba habent apud Matthaeum, ad idoneum sensum h. vocem revocari posse non putarim. Et omnino pinguissima Minerva negotium aggredi manifestum est, qui e fragmentis orationum servatarum unum suis apte cohaerens particulis simulacrum componere vitae ingeniique Christi tentantes, in verba verborumque apices iurant, nec τὸ πνεῦμα anteponere τῷ γράμματι, veras repugnantias percipere, speciosas fictasve tollere, verbo: humane fidem habere, humane denegare didicerunt.)

Tum persequitur vitam eorum arrogantem, insolentem, simulationis iniustitiaeque plenam, dirasque eis imprecatur ap. Mtth. v. 14. οὐαὶ ὑμῖν, γραμματεῖς καὶ Φαρισαῖοι, ὑποκριταί! ὅτι κλείετε τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων· ὑμεῖς γὰρ οὐκ εἰςέρχεσθε, οὐδὲ τοὺς εἰςερχομένους ἀφίετε εἰςελθεῖν. Lucas in alia quidem occasione 11, 52.: οὐαὶ ὑμῖν τοῖς νομικοῖς! ὅτι ἤρατε τὴν κλεῖδα τῆς γνώσεως *). αὐτοὶ οὐκ εἰςήλθατε, καὶ τοὺς εἰςερχομένους ἐκωλύσατε. Quatenus claudere dicantur Legisperiti divinum regnum coram hominibus, quaeris. Fit, Grotii iudicio, suppressa vera interpretatione et quotidiana inculcatione locorum Messianorum de poenitentia, fide et dilectione non ficta; quibus omissis omnem operam impenderint ritibus urgendis et ampliandis. At haec fatus, nonne

*) Surripuistis, arripuistis clavem scientiae sc. interpretandi Mosen atque prophetas. Recte admonitum est, apud Iudaeos clave data quasi in possessionem muneris doctores mitti.

aperte secum pugnasset Iesus, et exhortans vulgus suosque, ut praeceptis doctorum promtas aures praebeant, factisque satisfaciant: et declarans, occludi ab his ipsis magistris aditum ad coeleste regnum, cum nec ipsi intrent, nec aliis accessum meditantibus *) introitum concedant? Ita sane non subtiliore indicio nexum procedentisque orationis cursum examinantibus videbitur. Sed tenendum, eo, quod doctorum munere Mosis nomine et auctoritate Pharisaeos fungi amplius utcunque fert, a vitae tamen perversae contemplatione avocat animos audientium, ne pessima imitentur exempla, non excludi acrem conditionis et efficaciae huius hominum generis, regni coelestis requisitis et officiis adversantis, notationem. Ea non rursus vulgo dicta, sed adstanti doctorum gregi, in cuius latiorem castigationem effunditur. (Id quod magis probatur oratione Iesu apud Lucam, quam in *Pharisaeorum convivio atque contubernio* habitam ille tradit 11, 37 sq.) Posteaquam igitur per exempla ineptarum et minutarum distinctionum quotidianum abusum legis interpretum carpserat; addit generalius monitum et praeceptum v. 23: οὐαὶ ὑμῖν, γραμματεῖς καὶ Φαρισαῖοι, ὑποκριταί! ὅτι ἀποδεκατοῦτε τὸ ἡδύοσμον, καὶ τὸ ἄνηθον, καὶ τὸ κύμινον· καὶ ἀφήκατε τὰ βαρύτερα τοῦ νόμου, τὴν κρίσιν (iustitiam), καὶ τὸν ἔλεον, καὶ τὴν πίστιν. Ταῦτα δὲ ἔδει ποιῆσαι, κἀκεῖνα μὴ ἀφιέναι. Similiter Lucas 11, 42.

*) Τοὺς εἰσερχομένους de his dici, qui parant introitum et conatu suo et voluntate promtissima, nexus docet. Id unumquemque recti sensus docebat, sed miror, non animadversum esse, ne insolentem quidem esse usum. Nam εἰσερχόμενοι sunt, qui eo tendunt, ut intrent, qui media via sunt, quos quidem prohibent, ne intraverint = intus sint.

ἀλλ' οὐαὶ ὑμῖν τοῖς Φαρισαίοις! ὅτι ἀποδεκατοῦτε τὸ ἡδύοσμον, καὶ τὸ πήγανον, καὶ πᾶν λάχανον· καὶ παρέρχεσθε τὴν κρίσιν καὶ τὴν ἀγάπην τοῦ Θεοῦ. Ταῦτα δὲ ἔδει ποιῆσαι, κἀκεῖνα μὴ ἀφιέναι. Τὰ βαρύτερα τοῦ νόμου, quae a Pharisaeis neglecta et dimissa queritur Iesus, alii memores notissimi discriminis Rabbinici levia inter atque gravia praecepta, volunt *maioris momenti* legis decreta dici, ut quodam modo conferantur minutissimis doctorum ritibus, anxie servatis; alii *difficiliora* explanant, propterea quod summa officia contineant, non quasi illa, quibrum praecessit mentio, difficilia sint, sed quodam liberiore usu collationis et oppositionis. Quod equidem praefero et credo Iesum ita luculentissime ostendisse adversariis, nihil illos facere multa faciendo, quod difficiliora (eademque haud dubie maiora, est enim admodum cognata notio) secure praetermittant *). Ea vero sunt sancta humanitatis officia, κρίσις, quae decet iudices, de rebus summis, perpetuos, iustitia; ἔλεος, nec in lege desiderata et multo apertius in prophetia emergens, πίστις, et ad Dei amorem (indeque ad verum Messiam) ducens animum. Lucae vero ἀγάπη τοῦ Θεοῦ, amorem erga Deum, non aliud efferre, quam Matthaei ἔλεος et πίστιν, quis ambigat? Additur in utroque: ταῦτα δὲ ἔδει ποιῆσαι, κἀκεῖνα μὴ ἀφιέναι; quibus *non eodem loco utrumque genus obsequii legibus habiti poni* manifestum est. Nam, qui alia facere iubentur, alia non omittere, si usum linguae subtilius tenueris (id quod nostro

*) Bene Grotius: „Pridem abiecistis curam eorum legis praeceptorum, quae multo maioris sunt ponderis. Praeponderant autem, ut alibi diximus, naturalia constitutis, et ea, quorum causa cetera sunt, ceteris." —

l. in duarum oppositione rerum, oportet fieri), admonentur, ea, quae primaria sunt, ab iis, quae remotiorem utilitatem et fructum praebent, constanter discernendo ordinem iustum servare. At dicant forsitan alii, utcunque moderatus fueris vocem, tamen manere, in posteriora at aliquo loco collocatam fuisse rituum Mosaicorum et aliorum sedulam, quam magistri in deliciis habuissent, observationem. Non nego, sed temporibus hoc datum existimo tenendumque arbitror, quod sequentia adstruunt, puritatem animi et factorum iustitiam tantum antecellere praecipi reliquae λατρείας speciei et quasi fuco, ut non verendum fuerit, ne qui sincere meliora edoceri cupiant, in pristini iudicii perversitatem recidant. Plura vero discere debebant, qui animum μετανοίᾳ intentum et Messianae doctrinae cupidum prae se tulissent. —

Latissime patere hoc Christi institutum, luculentissime intelligitur e longiore Messiana oratione, per quam laetum rei suae progressum medios inter tumultus, funestam ordinis rerum eversionem, bellum omnium contra omnes, vitae publicae et privatae perturbationem, auguratur ap. Matth. 24, 14. καὶ κηρυχθήσεται τοῦτο τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ, εἰς μαρτύριον πᾶσι τοῖς ἔθνεσι· καὶ τότε ἥξει τὸ τέλος. Mc. 13, 10. καὶ εἰς πάντα τὰ ἔθνη δεῖ πρῶτον κηρυχθῆναι τὸ εὐαγγέλιον. Num opus est dilucidioribus verbis? Viam reperiat Messias in altero adventu paratam munitamque. Quae nunc iacta sunt regni divini fundamenta, a tenuibus initiis ad laetiores fructus crescant, indefessis discipulorum Christi Messiae laboribus. Et quot, quaeso, alia manifesta vestigia consilii amplissimi per omnem orationis argumenti unius perpetuitate connexae cursum ad-

sunt? Non dico terrarum motus, coelorum signa et id genus alia; scio talia et apud Ioelem, et apud alios V. T. prophetas interposita his legi, quae Iudaeis evenient exterorumve supplicia praecedent; scio orientalium poetarum ac vatum rectius deberi imaginationi et uberi ornatui, quam rei veritati. At Messiam gentibus omnibus, non solis popularibus, rediturum, inest in vv. c. 30. *καὶ τότε κόψονται πᾶσαι αἱ φυλαὶ τῆς γῆς* (quae nemo sanus de Palaestinae tribubus explanabit), persuadet v. 31. *καὶ ἐπισυνάξουσιν τοὺς ἐκλεκτοὺς αὐτοῦ ἐκ τῶν τεσσάρων ἀνέμων, ἀπ' ἄκρων οὐρανῶν ἕως ἄκρων αὐτῶν.* cl. Mc. 13, 27. *καὶ ἐπισυνάξει τοὺς ἐκλεκτοὺς αὐτοῦ ἐκ τῶν τεσσάρων ἀνέμων, ἀπ' ἄκρου γῆς ἕως ἄκρου οὐρανοῦ.* Ergo non Iudaeorum tantum, sed *gentium* Messias. Denique insequens luculenta descriptio tribunalis iudiciique Messiani, quae est ap. Matth. 25, 31 sq. et verba: *καὶ συναχθήσεται ἔμπροσθεν αὐτοῦ πάντα τὰ ἔθνη* latissimum fore Messianae efficaciae campum indicio sunt. Nemo mortalis excluditur, sua cuique stat dies. Diruetur res Mosaica, Hierosolymorum, templi, cultus interitu; stabilientur sacra Messiana, *πνευματικὰ*, aeterna. De his infra ad locum de *παρουσίᾳ* dicendum copiosius. Agnoscet sine ira et studio legens universalem imaginem, latissimo Messiae regimini describendo aptissimam.

In Bethaniae vico coenans Christus a femina pretiosissimo oleo caput ungitur. Vociferantur discipuli, tenerrimi amoris et sanctissimi misere ignari, luxus, quem unice detexisse sibi sunt visi, reprehensores inepti et inhumani. His post alia haec Iesus, *ἀμὴν λέγω ὑμῖν*, ait, *ὅπου ἐὰν κηρυχθῇ τὸ εὐαγγέλιον τοῦτο ἐν ὅλῳ τῷ κό-*

σμα, λαληθήσεται καὶ ὃ ἐποίησεν αὕτη, εἰς μνημόσυνον αὐτῆς. Mtth. 26, 13. cf. Mc. 14, 9.

Et coronavit finis opus. Nam et ingenue et perspicue mundanus ambitus consiliorum Messianorum declaratur extrema oratione, qua discipulis amantibus et admirantibus valedixit; humanoque adspectui sese subtrahens, in coelestes partes, unde in has terras venerat, narratur rediisse. Ibi contra verborum testimonium ne extrema quidem σκέψις impetum movebit. Mtth. 28, 19. πορευθέντες μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, διδάσκοντες αὐτοὺς τηρεῖν πάντα, ὅσα ἐνετειλάμην ὑμῖν. Mc. 16, 15. πορευθέντες εἰς τὸν κόσμον ἅπαντα κηρύξατε τὸ εὐαγγέλιον πάσῃ τῇ κτίσει. Luc. 24, 47. οὕτως ἔδει — κηρυχθῆναι ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ μετάνοιαν καὶ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν εἰς πάντα τὰ ἔθνη, ἀρξάμενον ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ. De formulae baptismi authentia res inter peritos conclamata est. Quare non acta agimus. Ita igitur, quod sapientia doctoris rerumque rationes suaserant, ne ante tempus divulgaretur, quod diu praeparaverat, sollicite meditatus fuerat, in suo e rebus mortalibus discessu patefecit. Gentibus destinata doctrina, discipuli gentium doctores, praesidio et auspicio Messiae, coelorum terrarumque Domini cl. Mtth. 28, 18. ἐδόθη μοι πᾶσα ἐξουσία ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς. His adde simillimam Domini vocem apud Lucam, Actorum scriptorem, qua *argumentum libri* designatum credas Act. 1, 8.: ἀλλὰ λήψεσθε δύναμιν ἐπελθόντος τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐφ' ὑμᾶς, καὶ ἔσεσθέ μοι μάρτυρες ἔν τε Ἱερουσαλὴμ καὶ ἐν πάσῃ τῇ Ἰουδαίᾳ καὶ Σαμαρείᾳ καὶ ἕως ἐσχάτου τῆς γῆς. In quo mandato quis non

egregiam et doctrinae ingenio maxime accommodatam gradationem perspiciat? —

His peractis, dictis factisque Iesu subtilius consideratis effectum putamus, illa quidem ut re Mosaica atque Rabbinica ampliorem rem Messianam ostendant, haec aliis perspicuis indiciis eodem tendant.

At exsistent forsitan dicentes, Christi opus nihilo minus arctioribus quibusdam finibus fuisse circumscriptum. Eo enim spectasse vitae doctrinaeque consilium, non ut abiiceret Mosaismum, sed universalem redderet. Et si a Prophetismo ethico, quem eundem Humanismum novo at commodo vocabulo dixeris, non differre hunc eundem contendas, concedenda haec sententia est; sed addendum, te verbis lusisse, re nihil novi attulisse. Mosaismum enim suapte natura ita institutum novimus, ut ab aliarum gentium commercio secretionem non ferat ut arbitrariam, sed postulet ut necessariam; eo primum tendentem, ut Monotheismi sanctitas inter exterarum gentium vicinarum *εἰδωλολατρείαν*, variis blandisque religionibus sensus suaviter titillantem, quasi res rara et dilecta, quasi parca lux medias inter tenebras, servetur. Ergo universalem Mosaismum, si quidem historicam originem et nativum sensum posterioris vocis spectaveris, optimo iure contenderis contradictionem in adiecto continere. Adde ingentem molem institutorum, rituum, ceremoniarum, Orientalibus tractibus in tanta quidem antiquitate aptatam et fere necessariam, Occidentalibus importunissimam; pastoritiae genti non nimis molestam, exulibus varia exterorum commercia expertis parum convenientem, post reditum in patrias terras infeliciter auctam et immutatam, hodiernis Israelitis sine varia tempera-

tione, quam rerum publicarum, quibus adscripti vivunt, rationes postulant, vix tolerabilem, — Prophetae quidem, Mosis interpretes et amplificatores, Christi antecessores, ubi de doctrina puriore ad omnes gentes propaganda lyrico impetu fundunt oracula, hunc constantissime honorem tribuunt Iudaismo, ut ab eo, tamquam a principio et quasi fundamento exorsi, adiungant orbis incolas Iudaeorum Numen agnoscentes, Hierosolyma colentes, Iudaeos factos. Inde vel ex hoc Universalismo, quem dicit schola, vestigia particularisticae originis luculenter emergunt. Iesus Christus, ulterius progressus Patremque coelestem veneratus, omnibus eadem cura, parique amore mortalibus prospicientem, humanitatem in homine visus est unice amplexatus, sine discrimine sexus, locorum, aetatum, gentium *). Cui tali doctori Mosaismus integritati suae restitutus et ad extrema terrarum angula contra nativam indolem finemque primarium proferendus utrum et arridere, et satisfacere potuerit, gnarorum antiquitatis et sapientum in contemplando excelso animo lectorum iudicio relinquimus.

Nec alieni ab hac causa argumenti censebis narrationem, in primordio Evangelii Matthaeani memoriae proditam, de magis exterorum nomine recens natum Iudaeorum Messiam, regem orbis, divino cultu prosequentibus. Eam plerique nostrarum aetatum Critici vel *historico-mythicam* vel *mythicam* arbitrantes, si rei summam consi-

---

*) Paulo latius persequutus est vim voc. πατρὸς, a Iesu Deo dati, collatis antiquitatis testimoniis, Reinhard. l. c. 81 sq. Baumgarten-Crusius *Grundzüge der bibl. Theol.* (Jen. 828. 8.) p. 181 sq.

iderant, de *poëtica* vel *symbolica* indole concinere videntur. Undecunque tandem profecta sit, prodit Iudaeo-Christianorum animum ab intelligentia amplissimi Messiae officii minime alienum *).

*) Schleiermacher, *Schrift. d. Luk.* I. 47. Heydenreich, in Winer, *krit. Journ.* II. S. 145.

PARS VIII.

DE TEMPORE, QUO CONDETUR REGNUM DIVINUM, SIVE DE LOCIS, IN QUIBUS DE REDITU CHRISTI AGITUR, ET QUID CUM EO CONIUNCTUM FUTURUM SIT, EXPONITUR *).

Adesse dici hoc illud in textis vitae Iesu commentariis regnum coeleste, auctore Christo, per eius *praesentiam* efficaciamque in his terris, praedicationem μετανοίας, collectionem discipulorum,

*) Ad hanc sectionem primum loco appello Ven. Schottii commentarium *exegetico-dogmaticum in eos J. C. sermones, qui de reditu eius ad iudicium futuro et iudicandi provincia ipsi demandata agunt.* Ien. 820. 8. qui liber eximiae eruditionis plurimas interpretum sententias recenset, et quantumvis ab auctoris mente recedas, a nemine, qui in h. genere aliquid ipse videre cupiat, negligendus est. Cum eo conferas Censorem progr. Schottiani: *Quo sensu Iesus apud Matthaeum* (c. 24.), *Marcum* (c. 13.), *Lucam* (c. 21.) *adventum suum in nubibus coeli futurum pronunciaverit, inquiritur.* Ien. 815. 4. (cuius tamen libelli haud levem partem, sententia mutata, posteriore opere retractavit Scriptor.) Eius inquam Censoris (Celeberr. D. Schulzii in Wachleri *Nov. Annall. theoll.* 1816. p. 531 sq.) tam ingenuo veritatis amore et nativo sensu splendet disputatio, ut nefas sit eam plurimarum eius generis scriptionum sortem nec immeritam nec deplorandam experiri et oblivioni dari. Add. Hartmann: *üb. d. Wiederkunft Christi z. Weltgericht und die aus dies. Lehre entstandenen Erscheinungen und Träumereien* in *Blicke in den Geist des Urchristenthums.* p. 66 sq.

mutationem regnorum cet. supra diximus (p. 98.) *). Ea πρώτη παρουσία Patribus Ecclesiae aptissime vocatur. Multo enim *plura* loca his opposita sunt, quibus nec obscure nec ambigue inest, idem regnum, cuius statorem, divinis auspiciis, Christus se et ingenue coram proceribus reipublicae et vulgo, et tectius inter familiares est professus, esse in exspectatione, nec praesenti rerum humanarum statui consentaneum. Ergo videndum est, et quando futurum perhibeatur, et quibusnam rerum fatis, fortunae vicissitudinibus, publicis privatisque actionibus arctissime nexum dicatur. Ea enim plena et perquam necessaria pars est ad Domini de regno Messiano sententiam perfecte percipiendam. Triumvirorum igitur Evangelistarum fere concinentem traditionem ita proponemus, ut quid in textu invenisse nobis praesidio interpretationis historicae et grammaticae visi sumus, candide ingenueque aperientes, nihil extimescamus eorum, quibus summa doctrinae partium arriserit et Christo digna fuerit visa, stomachum et criminationem **). Christo

*) Id iam suspicatus est Grotius, his verbis usus ad Matth. 22, 1: „Regnum coelorum, ut saepe iam vidimus, modo *statum regni in hoc seculo* significat, modo statum *futuri seculi*. Ille huius quodammodo est πρόγευμα."

**) In lubrico argumento versans inique vituperabitur, qui *evangelica* in interpretanda sacra pagina *libertate* usus, quae per Lutherum sociorumque opus aeternum rediit, eadem incedit via Christi mentis cognoscendae, quae in ceteris antiquae doctrinae monumentis illustrandis constantissime teritur. Sed non ignoramus, quam facilis sit in hac causa, quae clarorum hominum ingenia exercuit, error, pertaesusque per omnem iuvenilis vitae cursum inconsulti iudicii temeritatem, dolentissime feram, ut talibus adversariis victas dedisse manus dicar, qui nimis a linguae historiarumque penitiore scientia arreptis insurgentes validioribus argumentis aliam meliorem-

enim quid dignum sit, non universe dici debet, quae mirabilis foret principii petitio, sed iisdem diurna nocturnaque manu exemplaria evangelica versantibus, et imaginem vitae ingeniique

quo causam egisse videantur. Ex alio genere impetus non curabo. Conscius enim sum mihi, non me hoc quovis modo exoptare, ut meae sententiae sensus retineatur, sed ut veritas, cui unice optime cupio et inservio, magis magisque emergat, et agnoscatur. Pietati christianae, quae ex religionis nostrae sanctissimae indole ethica eaque divina et recte aestimanda et in vitae usum salutariter transferenda pendet pendebitque, minime censendum est, disquisitionibus, quae scholam, non vitam attingunt, et a doctis hominibus inter doctos peraguntur, adspergi labem. Quod non eorum causa monendum duxi, qui verum, ubicunque invenerint, rite amanterque aestimare didicerunt (sunt enim et pauciores, et optimi), sed aliorum, qui sibi praeconceptorum judiciorum erroribus opinionumque commentis regantur, honestis eorum conatibus, qui severa et liberalia theologiae studia iuvant, malevole detrahunt, invidiaeque suae religionis et dogmatum sanctitatem continue praetendunt. A quibus si ex sobria et accurata explanatione, Grammaticam colente, historias non violante, erroris fuero convictus, gratus agnoscam. Nolo ultra evangelia sapere. Ceterum plane mea facio verba Ven. SCHULZII (l. c. p. 544.): Zuerst müssen wir doch mit Gewissheit erkennen, was in den Büchern des N. T. *wirklich geschrieben steht (und darüber kann es und muss es einmal zu einer Einstimmigkeit der Meinungen unter Allen kommen, welche die Sprache dieser Bücher verstehen)*; so lange dies nicht klar ist, muss jeder folgende Schritt auf dem Gebiete der christlichen Theologie schwanken und jeder Augenblick der Gefahr des Irrthums aussetzen. *Was* wir nun immer durch treue, ganz unpartheiische Auslegung gewinnen, und was sich einst aus dem Gewonnenen gestalten mag (vorläufig entgegengestellte Consequenzen, und bedenkliches Fragen, wo das hinführen solle, darf kein Interpret als solcher, beachten,) stellen wir ruhig der waltenden Vorsehung anheim. Indem sie offene Augen dem Menschen verlieh, wollte sie auch, dass er sie offen haben und sehen, nicht aber mit ihnen blind seyn sollte. Nur fehle

Christi assidua lectione excipientibus, imo intus suscipientibus, in succum quasi sanguinemque convertentibus saepe non tam apertis verbis declarari aliisque non simili experientia praeditis persuaderi, quam intimo animi ingeniique motu divinari et sanctitate sensorum praesagiri potest. Ita minime eadem omnium erunt iudicia. Ceterum qualiscunque tandem appariturus sit apud Synopticos de παρουσίᾳ futurisque rebus Iesu oratio; nemo existimet ante Ioannis collationem rem confectam; crederet enim antequam et causa cognita et altera pars audita esset, litem compositam. Et si pugnare utrumque doctrinae typum non specie, sed re intellexerimus; iuvabit et nostrum erit, reconciliationem tentare, firmamentum ostendere labefactatae, quae visa esset, auctoritatis apostolicae, verbo: quaenam in re gravissima et ambigua priore loco ponenda videatur traditio apostolica, argumentis probabilibus discere. Huic igitur opportunitati servatum optamus legentium de sententia nostra iudicium!

De iudicandi provincia et demandata sibi et aliquando exercenda prima Christi oratio est ap. Mtth. 7, 21 — 23, in sermonis montani parte. Agit de arcendis tempore iudicii (ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ v. 22. *)) a divini regni et beatitatis ex

---

es nie an demjenigen gewissenhaften Ernst, an der Besonnenheit und Ruhe, deren die Untersuchung der Wahrheit in Dingen, die das Höchste und Heiligste der Menschheit angehen, würdig ist, und welche hier allein, nicht aber leichtsinnige Faselei und frivoler Witz, sich geziemen. —

*) Ad similitudinem Hebraeorum ביום ההוא, seriorumque Iudaeorum אותו היום de die extremi iudicii, a Messia instituendi, dictum. Illa die, quae Hebraeis היום (Joel. 1, 15. Ez. 13, 5. Ies. 2, 12.) eximio sensu dicitur, auspice Deo, iudice Messia,

eo aptae consortio, doctoribus vanis caeterisque, qui, etsi debitos Christo honores exhibentes nomenque ore profitentes, tamen vita exprimere voluntatem divinam negligant improbitatique se dedant. Reditus ad iudicium non describitur; siletur de tempore et loco agendi fori Messiani, certa secretio futurorum civium, de bonis improbisque pronuntianda sententia est.

Adiungimus sermonem, coram apostolis in provincias urbesque Palaestinae praedicandi evangelii causa primum dimittendis habitum. Ille nostro argumento affinis, quod quali conformatione ap. Mtth. 10, 1 — 42. legitur (cl. ll. parall. Luc. 9, 1 — 6. Mc. 6, 7 — 11.), et quaedam interposita habet, huic loco hisque temporibus parum consentanea, indeque seriori aetati tribuenda, et diserta reditus Christi brevi appariturі mentione insignis est. Id quod in v. ἔρχεσθαι v. 23. simpliciter adhibito haud dubie inest.*). Ergo

---

patebit, quinam regnum coeleste intrant mortales. Idem Messiae officium, ut diximus, attigerat Joannes Baptista Mtth. 3, 12. — Quae h. l. et Luc. 10, 12. simpliciter ἡμέρα, ἡμέρα ἐκείνη vocatur, ab eodem Matthaeo 10, 15. 11, 24. 12, 36. ἡμέρα κρίσεως nuncupata est. (Luc. 10, 14. ἡ κρίσις.)

*) In vv. ἕως ἂν ἔλθῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου explanandis, cum vehementer dissentiant interpretes, quid mihi videatur, paucis aperiam. Ἔρχεσθαι aut a. de vita Christi *terrestri* aut b. de reditu ad regnum coeleste *futurum* inaugurandum iubent accipi. I. *Prius* qui statuunt (Chrysost. *Hom.* XXV. ad Mtth., Boltenius, Beza, Kuinoelius al.), volunt, Christum affirmasse, se rursus suis adfuturum, prius quam omnia Palaestinae oppida docendo permeaverint, praecones subsequuturum, easdem urbes aditurum. Temere provocant (v. Kuinoel.) ad Luc. 10, 17. qui locus plane ex alio est genere et a nostra causa alienissimus. Nam ibi de *reditu* LXX discipulorum ad Christum sermo est, quorum et legationem et reditum tacet Matthaeus, qui ne duodecim quidem apostolorum reditum verbo commemorat. (Maiori

pollicetur Dominus suis, se, antequam Palaestinae urbes peragraverint docentes, praestanti auxi-

specie poterat Luc. 10, 1. adferri, ubi Christus LXX legatos emisisse dicitur εἰς πᾶσαν πόλιν καὶ τόπον, οὗ ἔμελλεν αὐτὸς ἔρχεσθαι.) At magno opere dubitandum, in simplici v. ἔρχεσθαι, nisi πρὸς ὑμᾶς aut simile quid adscriptum sit, h. potestatem inesse. Nec unquam narratur, Christum se apostolis, iter Palaestinense nondum emensis, comitem iterum adiunxisse. Adiice apposite contra disputantem Schott. l. c. p. 218. — II. Posteriorem explanationem qui praeferunt, Christum loquutum arbitrantur de reditu suo *invisibili* ad Hierosolymorum eversionem reique Iudaeorum publicae interitum per Romanos (quibus tanquam instrumento utatur Christus ad puniendam Iudaeorum incredulitatem), deque Evangelii ad exteros propagatione, huic eventui adiuncta, quam postremam παρουσίας partem *inprimis* (?) respici contendit Schott. 223. Nititur h. explanatio vano duplicem inter Christi adventum discrimine, de quo posthac fusius disceptabimus. Nec perspicio, quid Ven. Schottum moverit, ut v. ἔρχεσθαι, ceteroquin de tota *priore* (quae multis interpretibus dicitur) Christi παρουσία usitatum (quem usum ipse V. Doctiss. exemplis confirmat), h. l. *arctiore* sensu de evangelio ad exteros transferendo (id quod non nisi *pars* est h. adventus) dici censeat. *Nisi certa indicia subessent, ex eventu h. sensum loco nostro illatum esse.* Negavit Vir praestantissimus, potuisse Christum ad erigendos solatio apostolorum animos provocare ad excidium urbis atque reipublicae Iudaeorum, prope exspectandum, si quidem historiis edocti simus, calamitate illa Iudaeis inflicta, non cessavisse vexationes Christianorum. At nonne idem dicendum de tempore, quo longe lateque ad exteros meavit doctrina de regno divino? Num apostolis, relicta Iudaeorum civitate, munus docendi exteros adgredientibus leviores fuerunt calamitates exhauriendae? ut hoc tempus, ne despondeant animum, solatii instar eis proponi potuerit? Exinde colligas, quam sit lubrica et arbitraria omnis ex rebus posthac gestis eius generis locorum interpretatio. — Equidem cum Grotio in *Comm*, ad h. l. qui de mea sententia unice verum vidit (cf. tamen *Anonymus* in Henkii *Mag. üb. d. Auslegn. d. Messias* u. s. w. II.

rio eis adfuturum, regnumque solemniter institutum esse. Quae vox solatii plena parum confirmatos animos ad calamitates vexationesque fortiter sustinendas plurimum poterat corroborare. Tamen, cum Lucas atque Marcus eandem orationem tradentes gravissimum dictum silentio prae-

p. 386. 390.), arbitror, Christum h. l. de *vero* ac *visibili* reditu sermonem fecisse, eoque propediem exspectando consolatum esse imbecilles apostolorum animos et ad imminentes calamitates fortiter sustinendas corroborasse. Cum h. reditu coniuncta aiebat solemnem regni futuri inaugurationem, excidium urbis civitatisque Iudaicae, rerum Messianarum ad exteros propagationem, iudicium denique de omnibus orbis incolis exercendum. In qua re solemne est v. ἔρχεσθαι de Messia, descendente de coeli nubibus, similiterque in V. T. dicitur *Deus venturus* s. *descensurus*, coeli quippe partes inhabitans. Cf. Mtth. 24, 44. al. — Sed quam hoc nexui huius orationis fuerit consentaneum, iure quaeris. Responsum est supra et statim uberius respondebitur. — Ceterum male Grotius divini spiritus auxilium a Christo apostolis promitti contendit; ea enim v. ἔρχεσθαι potestas Ioanni est propria. Cf. Io. 14, 18. cll. v. 16. 17. et rursus huic tempori et huic valedictioni minime convenit. Multo minus placet Lightfootus in *Hor. Hebr.* ad h. l., resurrectionem Christi indicari persuasus. Ingeniosa est, indeque digna, quae audiatur, sed non vera de Wettii (*Comm. de morte J. C. expiaton.* 88.) super h. l. sententia, quae a *tropica* explanatione haud multum recedit. Is Christum censet discipulos iussisse bono esse animo, in calamitatibus vexationibusque, quas haud defuturas praevidebat, perferendis. Certo enim speravisse, fore, ut antequam se Palaestinae oppidis reduces essent facti, Messiana sua dignitas ab omnibus agnosceretur. Nam quae est praeclarorum hominum indoles: nimis bonam de popularibus opinionem fovisse Dominum. Sunto haec universim vere disputata. Refragatur tamen in u. ἔρχεσθαι potestas, quod ipse de Wettius ubivis de *Messiae adventu ad regnum inaugurandum* legi existimavit, usus Mtth. 24, 44 al. Non poterit igitur, nisi contorte, de Iesu in his terris praesente deque inimicis suis triumphante adhiberi

terminant, nec reditus futuri commemoratio huic tempori, quo vix prima disciplinae fundamenta iacta fuerant, convenire videatur, eventus nullo modo responderit promisso, Christum apostolis iter per Palaestinenses vicos nondum emensis solemni pompa appariturum reversurumque esse ad regnum inaugurandum (id quod vacillantem apostolorum fidem mirifice labefactavisset, cuius tamen rei nullum in Evangeliis est vestigium), omnis denique orationis habitus loquendique formae singulae a v. 16. cum aliis Christi sermonibus alia opportunitate serius habitis, diversum tempus describentibus, miro modo conspirent; credibile est: Matthaeum more a multis pridem notato ea, quae argumenti similitudine quadam coniunguntur, diversis temporum locorumque rationibus quamvis abunde distincta, iuxta posuisse et inter se miscuisse *).

*) Inter Nostrates interpretes constat nupere D. SCHULZIUM in l.: *d. christl. Lehre v. heil. Abendm.* Leipz. 824. 8. p. 182. 302 sq. eodemque fere tempore alios nonnullos, ut ORELLIUM in *Selectt. capp. ad εἰςηγητικὴν sacram pertinentibus.* p. 2. Turici. 821. p. 10. not. et SCHULTHESSIUM in Cens. l. *Schulziani* in *Ann. theoll.* Dec. 823. p. 1117 sq. et in ROSENMUELLERI *Rep.* II. 172. varias de authentia et apostolica Matthaeani libri origine dubitationes movisse, et argumentis maxime *internis* (nam de *externis* ob causas satis manifestas non placuit subtiliter agere) ductos negavisse, profectum esse hoc Evangelium a teste oculato et Domini apostolo. Quorum sententiae, ad plurima lli. adplicatae, etiamsi dicendum sit, iustam probandi vim deesse (lege, quae, Matthaei vindicias agentes, monuerunt THEILIUS in WINER. *krit. Journ.* II. 2. 181 sq. 3. 346 sq. et HEIDENREICHIUS ibid. III. 2. 129 sq. 4. 385 sq.), tamen non est dubitandum, orationi nostrae, ad apostolos habitae 10, 1 — 42. multa perperam immixta esse, *alio tempore, alia occasione* pronuntiata, sed ob *argumenti similitudinem*, aliasve *causas fortuitas*, nunc vix detegendas, a Matthaeo, in temporum locorumque diversitate

Iesus discipulis sciscitantibus de agri zizaniis similitudinem explicans, incidit in mentionem

recte aestimanda non nimis accurato, memoriâque huc illuc lapso, in unum locum congesta esse. Viderunt enim plurimi, (ex recentissimis interpretibus eodem tendit FRITZSCHIUS in *Comm.* p. 374.) esse in more Evangelistae, ut non solum bis narret nonnulla, quae Lucas Marcusque *semel* tradant accidisse (id quod tamen eius fidei non detrahit, quod et penes quem potior sit auctoritas, ambiguum est, et item Lucas atque Marcus alias ampliatam duplicatamque orationem remve gestam exhibent, ubi simplicior Matthaei est narratio), sed item subinde confundat alienoque loco inserat, quae in causa diversa alio tempore locoque a Servatore allata sunt, motus aut fortuita recordatione, aut negligentiae cuidam et imperitiae narrandi indulgens, aut ductus studio, orationes resque gestas forma et argumento similes iuxta ponendi et *in maiores partes*, consilio scribendi idoneas, *sub uno obtutu* collocandi. SCHOTT. 222. KUINOEL. *ad Mtth.* l. c. Nec qui contra SCHULZIUM (l. c. 308. 309. 312. strictim hanc M. consuetudinem carpentem) patrocinium authenthiae et ἀξιοπιστίας libri susceperunt (quibus in rei summa ego plane assentior) ab hac leviore nota vindicare Apostolum aut potuerunt, aut voluerunt. THEILE. 189. 193. HEYDENREICH. 163. 395. 416. — Merito ac jure hoc praedicatur de ea nostrae pericopae parte, quae a v. 16. ad fin. cap. legitur. Quam enim multa continet, ab hoc tempore, loco, Christi consilio aliena, repugnantibus Luca et Marco, qui in simpliciore narratione acquiescunt! Quo tandem pacto apostoli, in *Palaestinenses* provincias missi (10, 5.), dicuntur coram *praetorum* ac *regum* iudiciis proditturi, et doctrinae testimonia *ad testimonium exterarum gentium* exhibituri (v. 18.)? Tale genus malorum intra *patriae* fines versantibus apostolis *nunc* non esse extimescendum, nec ignoravit Christus et docuit res ipsa. Apostoli enim (id quod praetermittit Matthaeus), *tanquam re bene gesta*, incolumes ex itinere redibant. Luc. 9, 10 sq. Ac ne quis dicat, haec exemplo calamitatum gravissimarum, vexationumque imminentium apostolorum capitibus inservire, nec a rationibus Palaestinae, exteris refertae, regibus subditae penitus abhorrere; attendite, quaeso, animum ad malorum descriptionem, ad calamitatum maximarum genera, qualia a-

rerum a se per Messianum munus perficiendarum iudicialisque diei. Mtth. 13, 36 sq. *). Semen bonum spargens Messias inducitur. Eius fundus; ὁ κόσμος, latissimi ambitus. Bono semine repraesentantur, qui indole ingenua (latiore sensu; aliter: 8, 12.) sunt οἱ υἱοὶ τῆς βασιλείας, civitati Messianae optimo iure nexi. Zizaniorum, infelicis lolii imagine designantur οἱ υἱοὶ τοῦ πονηροῦ, haud dubie non mali, sed Diaboli filii: nam Diaboli regnum ex adverso ponitur regni divini, et subsequitur v. 39. ὁ δὲ ἐχθρὸς ὁ σπείρας αὐτὰ, ἔστιν ὁ διάβολος. Messis vero denotat συντελείαν τοῦ αἰῶνος (sc. τούτου v. 40.) finem huius epochae, Messianae initium. Messores angeli, rei Messianae adiutores perpetui et amici. Uti enim zizania colliguntur et igne comburuntur, similis erit ratio τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος τούτου. Emissi a Messia angeli *ex eius regno* (id quod, uti alibi dictum, vel ante eius

---

v. 16. per totum caput recensentur. Ea primae apostolorum legationi nullo modo apta sunt. Habent miram cum eo genere dicendi similitudinem, quo Christus ingentes vicissitudines fortunaeque iniurias, quibus apostoli post discessum suum ex his terris obnoxii aint futuri, maximis orationis luminibus descripturus utitur in sermonibus sub extremis muneris diebus habitis. c. 24. 25. Paucis defungar exemplis, ut similitudo dicendi formarum appareat, cf. v. 22. ὁ δὲ ὑπομείνας εἰς τέλος, οὗτος σωθήσεται c. 24, 13. Mc. 13, 13. — v. 22. καὶ ἔσεσθε μισούμενοι ὑπὸ πάντων· διὰ τὸ ὄνομά μου c. 24. 9. καὶ ἔσεσθε μισούμενοι ὑπὸ πάντων τῶν ἐθνῶν διὰ τὸ ὄνομά μου, cf. et 10, 19. c. 24, 9. al. — *Iam vero aliud dicentis consilium, alia temporum indoles aliud genus sermonis postulat.* Et dubitari potest (cf. v. 19. 20.), ad causam christianam fortiter agendam spiritum divinum discipulis promissum fuisse, quo adiutore uterentur, *superstite Christo.* Cf. Jo. 14, 16. 17. et Luc. 12, 11. 12. Mc. 13, 11.

*) Schott. p. 223 — 238.

adventum alterum adfuit, praeparatum, etsi non perfectum, non excultum) colligent πάντα τὰ σκάνδαλα καὶ τοὺς ποιοῦντας τὴν ἀνομίαν. Tum selectio severissima instituenda, quae ante h. tempus non necessaria, imo perniciosa (cf. v. 28. 29. h. rem in redditione paroemiae praetermittit) futura sit, quod bonis mali intermixti vivunt (τὰ ζιζάνια τῷ σίτῳ), et tener humanoque iudicio vix adspectabilis transitus indolem inter pravam bonamque, denique spes morum emendationis non temere relinquenda est, ut verendum sit, ne qui ante tempus negotio discernendi utrumque genus hominum vacet, rebus Messianis officiat, non prosit. Hoc demum tempore opportuno βαλοῦσιν αὐτοὺς εἰς τὴν κάμινον τοῦ πυρός· ἐκεῖ ἔσται ὁ κλαυθμὸς καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων. Virtus ornabitur praemiis. V. 43. τότε οἱ δίκαιοι ἐκλάμψουσιν, ὡς ὁ ἥλιος (cl. Dan. 12, 3. Mal. 3, 20.) ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ πατρὸς αὐτῶν. Et haec non esse *vulgaris* existimationis et obsoletae opinionis evincit, quod additum est: ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω. — Similisque argumenti et finis est similitudo, piscatoribus pergrata de verriculo, in maris undas coniecto, omnis generis pisces coacervante, quod, quando repletum sit, in litus attrahant, factoque consessu quae frugi sint, in vasa colligant, quae putrida, vilia, foras proiiciant. Addit redditionem Servator v. 49. 50: οὕτως ἔσται ἐν τῇ συντελείᾳ τοῦ αἰῶνος· ἐξελεύσονται οἱ ἄγγελοι, καὶ ἀφοριοῦσι τοὺς πονηροὺς ἐκ μέσου τῶν δικαίων, καὶ βαλοῦσιν αὐτοὺς εἰς τὴν κάμινον τοῦ πυρός· ἐκεῖ ἔσται ὁ κλαυθμὸς καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων. De *tempore* reditus et iudicii reditum excepturi nunc certe nobis silendum est, cum adhuc taceat apud Matthaeum Christus.

Prima luculentiora vestigia reditus Messiae

deprehendere est apud Mtth. 16, 27. 28. cf. Mc. 9, 1. Luc. 9, 27. *). In his, quae proxime antecedunt, strenue cohortatus suos, ut gravissimas aerumnas non detrectent, et vita terrestri honeste et laudabiliter pro Messiana causa consumta, vitam vere vitalem parent, adnectit v. 27. sententiam cognatam: *μέλλει γὰρ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἔρχεσθαι ἐν τῇ δόξῃ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, μετὰ τῶν ἀγγέλων αὐτοῦ· καὶ τότε ἀποδώσει ἑκάστῳ, κατὰ τὴν πρᾶξιν αὐτοῦ.* Δόξα, majestas patris, vel est similis ei, quam pater Deus prae se fert, vel quod verius, quia simplicius, quam Deus pater ei tribuit, vices suas gerenti legato. Et 25, 31. dicitur aperte δόξα Χριστοῦ. Ea qualibus signis in oculos incurrat, infra dicendum est. Cf. 24, 30. (Alia sublimior, πνευματική videtur δόξα Christi Ioannei. cf. Io. 17, 5. 24.) Luc. v. 26. *ὅταν ἔλθῃ ἐν τῇ δόξῃ αὐτοῦ, καὶ τοῦ πατρὸς, καὶ τῶν ἁγίων ἀγγέλων.* Tum igitur unicuique rependet pro rerum gestarum indole, in utramque partem. Quo tempore hoc iudicium institutum iri adseveret Christus, quaeris. Respondemus Domini apud Synopticos verbis Mtth. v. 28. *ἀμὴν λέγω ὑμῖν, εἰσί τινες τῶν ὧδε ἑστηκότων, οἵτινες οὐ μὴ γεύσωνται θανάτου, ἕως ἂν ἴδωσι τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐρχόμενον ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ.* Mc. v. 1. *ἀμὴν λέγω ὑμῖν ὅτι εἰσί τινες τῶν ὧδε ἑστηκότων, οἵτινες οὐ μὴ γεύσωνται θανάτου, ἕως ἂν ἴδωσι τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ ἐληλυθυῖαν ἐν δυνάμει.* Luc. v. 27. *λέγω δὲ ὑμῖν ἀληθῶς, εἰσί τινες τῶν ὧδε ἑστώτων, οἵ οὐ μὴ γεύσωνται θανάτου, ἕως ἂν ἴδωσι τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ.* De formula γεύεσθαι θανάτου, טְעַם מוֹת (Buxtorf. *Lex. chald. talm.* p. 895.) de morte (minime *ac-*

---

*) Schott. p. 238 — 251.

terna, id quod nonnulli commendarunt, dogmaticis opinionibus praeoccupati, interpretes) et moribundis, Graecis ignota, serioribus Iudaeis frequentissima, nota sunt omnia. Creditum est, subesse imaginem, Orientalibus hominibus adamatam, de angelo, homini exspiranti letale poculum propinante *). Multi antiquiores ἐρχόμενον ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ, vi praeverbiorum permutata, valere volunt: ἐρχόμενον εἰς τὴν βασιλείαν αὐτοῦ, id quod ferri nequit. Imo recte vertit Fritzschius in *Comm.* ad h. l. venientem in regno suo i. e. in medio quasi regni splendore **). Nec ii probandi, qui *praepositionem* ἐν c. Dat. pro σὺν positam esse praecipiunt. Nostrae explicationi favet vel Marcus: τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ ἐληλυθυῖαν ἐν δυνάμει (בְּחָזְקָה, cum robore, vi divina, exercitune coelesti angelorum?) et Lucas simplicius: τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ ponentes.

At omnium gravissimum, quod Iesus cuivis lectorum, cui non est praeconceptum Dogmaticorum opinionibus ingenium, videbitur reditus splendidi et majestatis divinae pleni tempus non subobscure innuisse, sed perspicue indicasse, confessus: eorum, qui hic adstent praesentes, disci-

*) Quanto vel h. imago (orientalis, *biblica*) praestabilior ea, quae Christianis mala consuetudine recepta est, hominis, carne exuti, falce armati, humanae faciei lineamenta per ossium compositionem suspicari iubentis! De Graecorum mytho multo amabiliore iuvenem pulcerrimum vitalem facem evertentem repraesentante nihil dico, quoniam in eo videtur spei rerum post mortem futurarum vestigium desiderari. — Sed iustae sunt Herderi, Lessingii, Schilleri querelae, aberravisse nos per h. εἰκονολατρείαν et a religionis nostrae native ingenio, et a pulchri legibus.

**) Praeeunte Schotto l. c. 244. aliisque. Cf. Winer. *Gr.* 158 — 160.

pulorum (ad *multos* autem videtur fecisse sermonem, variant tamen Synoptici. Mtth. v. 24. εἶπε τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ. Mc. 8, 34. καὶ προσκαλεσάμενος τὸν ὄχλον σὺν τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, εἶπεν αὐτοῖς. Luc. v. 23. ἔλεγε δὲ πρὸς πάντας.) nonnullos in vita fore superstites, in reditu Messiae glorioso. Ergo, etsi apte monitum sit, nec *diem*, nec *horam* reditus Christi in evangelicis monumentis declarari, tamen, ne annorum quidem aliquod indicium inesse, aut *temporis omnino* desiderari notationem: et h. l. et alia eiusdem generis *Synopticorum* serio et ingenue contemplatus, non dixerit, nisi qui, evangelicae temere timens veritati et Iesu auctoritati, *divinam et optimam causam, quae in humano pectore firmissimum fundamentum invenit, et nostrae indoli una omnium est consentanea*, in detrimentum aliquod adduci posse celeriore, quam acutiore iudicio sibi persuaserit.

Ab his exorso principiis, facilius erit et tutius iudicium de multis multorum conatibus, expediendi Christi dictum et artificiosis et infelicibus, quibus quidem omnibus hoc erat commune et propositum (etiamsi dissimularent auctores), ut quavis via et contentionis artis audacia vox et promissio a Christo averteretur, cuius veritati eventus visus fuisset derogare, nec reliquae indoles doctrinae consentanea esset. Recensebimus, addito iudicio, breviter potiores, ut vel inde antegressae interpretationis necessitas intelligatur.

1. Nostratium plures *) de Hierosolymitano excidio, civitatis ruina, rei Messianae laetissima et latissima propagatione per orbem terrarum explicanda vv. censuerunt, hoc eventu designante

*) Rosenmuellerus, Kuinoelius, Heidenreich, Boltenius aliique.

Christi *invisibilis* iudicium de contumacibus Iudaeis, doctrinae salutaris et primum popularis contemtoribus et de probis fidisque cultoribus. *Latiore* sensu vocatum esse iudicium, per quod et appariturum fuisset, durissimas aerumnas (v. 21 sq.) non violasse, vel minuisse divinam Iesu dignitatem. Similiter alii *) de documentis Christi efficaciae, abitum eius de terra sequuturis, omnibus *universe* sermonem institutum arbitrantur.

At a. hoc ipsum discrimen duplex inter iudicium invisibilis atque visibilis Christi, *si textum, fontem genuinum, sequimur*, totum est sumtum, non inventum aut demonstratum. b. invisibilis adventus adeo nulla sunt vestigia, ut vv. δόξα, ἄγγελοι cet. contraria omnia divinare nos iubeant, talia, quae de solo iudicio extremo et reditu Servatoris altero vulgo volunt valere. Color idem, eadem nativa indoles sermonis; sed quae Mtth. 24. 25. et ll. parall. ampliata oratio, in brevius contracta legitur. *Argumentum non diversum.* c. hac admissa explanatione (quae non vere est nominis sui, quod plura, quam fas est, cogitando debent adiici v. inferri), ne sic quidem *eventui* satis est factum. Qualis, quaeso, fuit *statim post eversas Hierosolymas* tam insignis, tam repentinus, tam laetus evangelicae causae progressus, ut exempli instar et amicis et inimicis Christi esse potuerit? Christiani, urbe profugi, sub Pellae moenibus delituerunt, alii in alias orbis partes dispersi. Vicit causa Christi, sed vicit post secula; *sensim* divina fortitudine coelestique animo apostolorum ad gentes translata. Fallit igitur interpretatio forte fortuna in testimoniorum defectu ex historiis depromta. — Et omnino, hoc sensu loquutus, quam et obscure et ambigue lo-

*) Paulus, Thiessius al.

quantus fuisset Christus! — Eadem fere dicenda sunt his, qui documenta efficaciae Christi post abitum e terra in coelos se exserentia intui sibi persuaserant; nam pro sententia *universa* nimis *singularis*, ad *allegoriam* accedens, indeque *parum apta* et *perspicua* oratio. —

2. Contra concedentes alii *), in his veri amantiores, ob similitudinem orationis cum longioribus pericopis (cf. μέλλει ἔρχεσθαι ἐν τῇ δόξῃ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, μετὰ τῶν ἀγγέλων. Mtth. 24, 30. 31. 25, 31. cl. 13, 41. 49.), de *extremo iudicio* verba fecisse Dominum, quo inprimis et iure optimo referunt v. 27. καὶ τότε ἀποδώσει ἑκάστῳ κατὰ τὴν πρᾶξιν αὐτοῦ. *Ea distributio praemiorum poenarumque plena et perfecta*, qualis futura dicitur, et qualem ut animo informemus, cogit quae antecedit adhortatio de bonis vitae, vita ipsa pro re Messiana impendendis, nec tempore eversionis Hierosolymarum, nec seculis h. eversionem insequutis in h. terra obtinuit. (Cf. Rom. 2, 6.) Nec potest, nisi perquam contorte (vel ex adversariorum sententia) cogitari de primo eoque invisibili Christi adventu, in cuius opportunitate simul decernatur sors vel funestissima vel beatissima, *singulis olim* (post seculorum millia) in civitate Dei exspectanda. Extremum remedium, quale in tam apertis verbis facillimoque nexu sermonis ne levissimis quidem argumentis firmatur! Videre autem est, omnia, vel quae fieri nequeunt, tentata esse, ne de extremo iudicio *in praesentia* v. 28. sermonem instituisse Christus videretur.

3. Alii ita succurrerunt dogmaticae, quae visa esset, difficultati, ut contenderent, nulla necessitate hermeneutica effici, *unam eandemque* rem

---

*) Schott. 239.

utroque commate describi *). Ergo dissecuerunt nodum, quem solvere non ausi sunt, dicendo, v. 27. mentionem adventus Christi, in rerum humanarum fine ad iudicium extremum exercendum redituri, inesse; v. 28. quasi praeludi huic eventui, invisibili Iesu efficacia declaranda, quae mox per Hierosolymas diremtas latissimeque propagatam causam evangelicam in oculos omnium incurret. Quod discrimen, in quod nemo incidisset, nisi visum fuisset adesse dictum Iesu dignitati et eventui parum congruum, uti totum est fictum; ita *nexum* mirifice violat et tam multa mente tacita iubet suppleri, quot in alio nullo scriptore antiquo ferret vel auderet interpres. Nam cum v. 27. continuisset mentionem generalem iudicii Messiani, gloriose, solenniter, divina maiestate et iustitia habendi, v. 28. additur *in progressu sermonis* notitia temporis, cui haec sit adiudicanda actio, personarum, quae superstites sint futurae. Cohaeret perpetuitate argumenti brevis oratio. Quodsi de duplici re, et temporibus et aliis rationibus tantopere diversa his paucis verbis loquutum fuisse statuas, non satis miraberis in tanta argumenti gravitate obscuritatem sermonis, et ambiguitatem, quae et apostolos ad alia ducere debuisset, hodieque candidis interpretibus maximae offensioni est **).

*) Ita ipse Ven. Schottus, quem in *media via* ad rectam interpretationem ducente *substitisse* dicas. p. 241. Adegit ingenuus veri amor fateri, v. 27. extremum significari iudicium, quocum v. 28. suo modo conciliavit.

**) Praetermitto interpretationes absonas et tortuosas, in quas necessitate quadam dogmatica compulsi, alius rationis, difficultatem removendi, non memores, inciderunt maxime antiquiores. Plurimae a petitione principii proficiscuntur. V. Schott. l. c. 245.

exhibuerit. (Et ne ego quidem arbitror, et iure tuo distinguas inter ea, quae Matthaeus retulerit, et ea, quae Iesus dixerit. Sed ex lege hermeneutica vetamur sensum violare *scriptoris*, ut aequabilitatem sermonis. Huic difficultati non occurrendum est artificiosa et violenta interpretatione, sed, meo quidem iudicio, praestantiore et veriore doctrinae Christi typo, quem *Ioannes* nobis praeivit.) Facile enim fieri potuit, ut Matthaeus verba Christi singula h. l. minus accurate referret, atque pro iis, quae Iesus h. l. Marco et Luca testibus dixisset, phrasin substitueret similem, praesertim, quum Christus alio tempore (cf. Mtth. 10, 23.) de eadem re eandem phrasin: filius hominis venturus est, adhibuisset. (At non diversa protulerunt Duumviri, Marcus et Lucas etsi breviora.) Quodsi concedimus, Marcum et Lucam h. l. voces singulas a Servatore usurpatas accuratius retulisse, quam Matthaeum, discrimen argumenti utriusque commatis (v. 27, 28.) omnibus facile praecipua perspicuitate elucescit. (Non video, quid h. ratione res mutetur. Nam discrimen vanum, quod urgetur, si adesse conceditur, et in Lucae praecedente v. 9, 26. ὅταν ἔλθῃ ἐν τῇ δόξῃ αὐτοῦ καὶ τοῦ πατρὸς καὶ τῶν ἁγίων ἀγγέλων et ap. Mc. 8, 38. ὅταν ἔλθῃ ἐν τῇ δόξῃ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ μετὰ τῶν ἀγγέλων τῶν ἁγίων adest. Rem non expedit parallelorum collatio.) cet. — Haec idcirco latius dicenda duximus, ne quis nos temere Viri praeclari disputationem neglexisse criminetur: ceterum eorum conatus interpretum, maxime antiquiorum, qui vel transfigurationem Christi in monte, vel abitum in coelos, vel missionem spiritus sancti die Pentecostes, malis artibus usi, in textu invenisse sibi sunt visi, non egebant inter peritos copiosa refutatione. —

Christus, Matthaeo teste, in templo invectus in insolentiam, malam fiduciam et falsam pietatem legis doctorum, claudit sermonem sinistro vaticinio interiturae cito urbis Iudaeorum, quae blandum alloquium benignumque auxilium maximi prophetae temere repulisset. Addit v. 38, ἰδοὺ, ἀφίεται ὑμῖν ὁ οἶκος ὑμῶν ἔρημος. Diversa est de οἴκῳ interpretum sententia. Nam a, multi interpretes *), memores, et Christum in templo verba facere, et οἶκον h. sensu alibi obvium esse, aedem Hierosolymitanam innui arbitrati, excidium rei sanctae brevi futurum a Domino significatum videre sibi sunt visi. Verum *prius* argumentum nullius ponderis est, tum quod nulla *necessitas* est, intra templi parietes stantem doctorem de templi ruina dicere, tum quod Lucas eadem verba (13, 35. cl. v. 22.) alio nexu in itinere Hierosolymas suscepto prolata esse refert. Itaque bis dicta videntur. Nec quae sequuntur initio c. XXIV. verba apostolorum de templi magnifica structura, ita comparata sunt, ut de antecedentium explanatione decernant. Id enim colloquium instituit Dominus, aedificium egressus, in conspectu molium ingentium et templi augendi exornandique apparatus. Alius oculorum adspectus alium sermonem excitavit. Et quod v. οἶκον saepius hoc sensu recurrere contendunt, id eatenus tantum verum est, si antecedentis et consequentis orationis connexio, adiunctaeque voces h. interpretationem non suadent, sed requirunt. Id quod de omnibus ll. valet, quae ad hunc usum revocata sunt LXX. 2 Sam. 7, 5. 6, 13. 1 Regg. 5, 17. 19. 8, 16 sq. 29. 43. 2 Regg. 21, 7. Ies. 66, 1. Ier. 7, 11. Hagg. 2, 4. Mtth. 21, 13. Act. 7,

---

*) Olearius, Wolfius, Hoffmannus, Borschdorffius, Kuinoelius al. v. Schott. l. c. p. 252.

47. 49. Luc. 11, 51. Dicenda fuisset domus Dei, non *domus vestra*. In antecedd. nihil inest, quod h. interpretationem prae alia commendet. — Imo, si e nexus legibus res penitius consideratur, facilius eo deducimur, ut h. de domicilio Hierosolymitanorum vastatione perdendo*) prophetico spiritu actum edidisse vocem dicamus. Nam v. 37. ad incolas urbis directa fuerat oratio. Quid vero magis probabile, quam a mentione studii frustra in emendandis civium mentibus a Christo consumti et auxilii paratissimi, sed repudiati sermonem traduci ad poenam divinam, certo exspectandam contemtoribus, per fortunarum sedis interitum declarandam? Ego tamen urbem, caput terrae Iudaicae unice significatam arbitror, nec hanc inclusam existimo. Οἶκον vero *habitationis* notionem involvere, rei natura in omnibus linguis suadente, qua tandem egebat probatione? Cf. Deut. 26, 15. Ies. 43, 15. LXX. Luc. 1, 23. Mtth. 12, 44. Accedit, quod ita fortiorem videre est orationem, huic affectui, quo commotum cernimus Iesum, perquam consentaneam. His, qui civitatem remve publicam Iudaicam, et similitudine hebr. בית, et ll. Mtth. 10, 6. 15, 24. al. non accurate usi, nunc Christo obversatam esse sibi aliisque persuadere annisi sunt, propterea nequeo adstipulari, quod nec hebraicum verbum sine adiecta descriptione uberiore, aut extra nexum *necessarium*, ita adhibitum scio, nec Matthaeianorum locorum ob disertum additamentum Ἰσραὴλ ulla est vis probandi. Ἔρημον vel *substantivum* habent (ἡ ἔρημος Mtth. 3, 1. Act. 7, 30. al. regio solitaria, nunc ob vastationem antegressam), vel *adiectivum*, supplentes: τόπος.

*) V. Loesner. *diss. de domo orba*, ins. *Comm. theoll.* ed. *Velthusen* etc. V. II. p. 49 sq.

Quoniam hoc, quod minime necessarium, falsum est. Nec audiendi sunt, qui v. οἶκος repetentes post ἔρημος, exsanguem reddunt sententiam. Sensus primarius non mutatur, cuicunque te addixeris explanationi, sed sensus fortitudo et imaginis gravitas. Verterim: euer Haus wird zur Einöde. Ἀφίεται, quod vulgo pro ἀφεθήσεται dictum censetur, rectius vim retinet nativam remque *cito futuram* in prophetae ore *praesentissimam* adumbrat. Nunquam instaurabuntur Hierosolymae splendidae. V. 30. *Λέγω γάρ ὑμῖν· οὐ μή με ἴδητε ἀπάρτι, ἕως ἂν εἴπητε, εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι κυρίου.* Adfirmo enim vobis, vos me ab hoc inde tempore *) non esse vi-

*) Formula ἀπάρτι s. ἀπ' ἄρτι in N. T. libris non nisi apud Matthaeum Ioannemque et rarius legitur: cf. Mtth. 26, 29. 64. Io. 1, 52. 13, 19. (cl. 14, 29. νῦν.) 14, 7. Apc. 14, 13. (errant enim, qui, non uno modo adnectentes vel antecedenti vel consequenti orationi, ἀπαρτί ibi scribendum arbitrantur). Sensu non discrepans reperitur ab enuntiationibus: νῦν, ἀπὸ τοῦ νῦν, ἐκ τοῦ νῦν: Luc. 1, 48. 2 Cor. 5, 16. Luc. 12, 52. Io. 12, 31. al. hebr. מֵעַתָּה, aram. מִכְּעַן, *nunc, iam nunc, inde ab hoc, ex hoc tempore,* et adiuncta posteri temporis significatione, *nunc atque in posterum, mox, paulo post, posthaec, deinceps, brevi, intra breve tempus,* de subsequente tempore. Designat loquentis tempus, non alienum. Hac potestate apud antiquiores Graecos vel plane desideratur, vel rarissime adest. Aristoph. Plut. Act. II. sc. 3. v. 388. ubi recc. tres Edd. ἀπάρτι c. gloss. νῦν, ἀπὸ τοῦ νῦν, νεωστί.— (Frustra quaeritur in Apocryphis V. T. et in Alexandrina versione, ubi hebr. מֵעַתָּה perpetuo respondet: ἀπὸ τοῦ νῦν.) Ab his solet distingui, imo divelli per Grammaticos ἀπαρτί, antiquis Graecis frequens, quod explicant: ἀπηρτισμένως, παρὰ τὸ ἀπηρτισμένον καὶ πλῆρες, quibus nec deest nec superest aliquid, liberius: τελείως, ἀκριβῶς, ὄντως, τῷ ὄντι, pleno, perfecte, exactly, iustement, abgegränzt, vollkommen, eben, gerade,

suros, donec dicatis: benedictus sit, qui venit nomine Domini. Verba ex Messiano hymno ψ. 118, 26. sumta. Et aliis diebus festivis, et inprimis paschalibus, et a mactantibus agnum et a comedentibus, id genus carmina edita sunt, in honorem Dei et Messiae, divini legati, omnium votis exspectati *). Id igitur dubitari nequit, formulam: εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι κυρίου ad hos referendam, qui dignitatem Messianam agnoscunt, apertisve verbis in alio profitentur. At ne videretur dixisse Christus quidquam, cui non fuerit consentaneus eventus, reditum mox exspectandum, artificiosas non dedignati sunt interpretationes. Huc refer eorum **) commentum, qui invita Minerva ἴδητε de rei Iesu efficacia, quae *animo* percipitur cognosciturque, interpretati, languentem et abundantem (idem per idem enuntiantem) reddunt orationem, vertentes: non prius me ab h. tempore Messiam cognoscetis, donec Messianam dignitatem meam agnoveritis, quasi tempore paulo post futuro Iudaei multi ad Iesum Messiam conversi fuerint. —

---

quasi alius stirpis et notionis diversissimae. Est haud dubie eadem utriusque significatio, Grammaticorumque, ut saepe alias, discretio tota commentitia. Nemo enim, penitius rem contemplatus, perquam cognatas diffitebitur esse notiones *temporis* circumscripti et *actionis* circumscriptae. V. fusam disputationem Gatakeri *adversar. miscell. posth.* XVII. in ejd. *Opp. critt.* (Traj. ad Rhen. 698. f.) p. 585—592. Lobeck. *ad Phrynich.* p. 20. 21. Viger. ed. *Herm.* 386. 387. Knapp. ad Io. 14, 7. in *Script. var. arg.* p. 296. Luecke ad Io. 14, 7. *Comm.* II. 383. Wetsten. N. T. I. 493.

*) Cf. Mtth. 21, 8 sq. ubi Hierosolymitanorum pars excipit Christum Messiam, urbem intrantem. Ea in verba eadem laete erumpit. (V. *supra.*) V. Lightfoot. *Opp.* I. 734. Schott. l. c. 255.

**) Schoettgenii in *Hor. hebr.* ad h. l. et al.

Alii *) referunt ad excidium templi urbisque proximum, quibus utrisque invisibilis Christi efficacia et iudicium cum magno evangelicae causae triumpho se exsereret, transferentes: „me nunquam posthac videbitis in templo, ut doctorem, sed ut iudicem, ubi rediero ad excidium templi et civitatis vestrae, tunc intelligetis, me Messiam esse.“ **) Quibus respondendum est, quod supra explanatum est, de *invisibili* adventu ne vestigium quidem in oratione adesse, eum aut perversis artibus e textu extorqueri, aut e principii petitione sumi. Neque vere dicitur, *omnes* Iudaeos Hierosolymitanos aut Palaestinenses post triste fatum urbis et reipublicae in Christiana castra migravisse, honorata Iesu dignitate Messiana ***). *Universe* tamen loquitur Christus de Iudaeis. Et qui vindicem Iesum experti fuerant atroci poena Iudaei, commode vix poterant cum laetante voce et quasi ovatione pro Sospitatore agnoscere. V. ἰδεῖν in tanta simplicitate sermonis et in praesentia v. ἀπάρτι non potest nisi contorte in *tropicum* sensum accipi. A praesente temporis momento, quo Christi personam adspectabant, exorditur sermonem. — Verbo castigandus nonnullorum Ascetarum error, qui conversionem Iudaeorum omnium ad fidem christianam paucos ante iudicii extremi dies futuram significatam sibi persuaserunt †). — Nonnulli, in his Gurlittus ††), sensum faciunt: ad paschales

---

*) Euthymius, Theophylactus, Heddaeus, Kuinoelius al.

**) Verba Schotti, h. explanationem excitantis, sed repudiantis, p. 256.

***) Scite monente Schotto l. c.

†) Cansteinius in *Op. harm. ev.* VI. 1. J. Langius *Comm.* ad h. l.

††) Quamquam is idem praeclarus, subtilis, verique impense amans interpres, cuius, candidae animae,

dies, in quibus de more recitantur hymni Messiani (bis zur Zeit, wo man singt: gelobt sey, der kommt im Namen des Herrn, = Osterzeit), non rediturus sum doctor in h. templum. Nam quae sequuntur, c. 24.—26. duobus ante Pascha diebus sunt acta. Cf. Mtth. 26, 2. Post Pascha vero resurrectus non omnibus quidem, sed disciplinae tamen alumnis se praebuit conspiciendum. At regero, nunc non alloqui Iesum disciplinae alumnos, sed perversos Iudaeos, aut Hierosolymitanos, procerum nomine civitatem complectentem. Resurrectum viderunt pauciores apostoli et discipuli, nec doctorem in templo post Pascha. Nimis multa per ambages contra textum et historias evangelicas tacite addenda. Nexus cum antecedd. vv. ob voculam γάρ hoc modo impeditior. — Recentiores alii *), sua opinione de παρουσίας Christi duplici ratione abrepti, illi accommodatiorem proposuerunt ἐξήγησιν. Quam nos etiam ex parte probamus et a nexus legibus pariter ac facilitate commendari censemus, negato tamen principio, et eo, quod supplendum censetur. Transferunt: vos omnes posthac non amplius me hic conspicietis (Noverat Iesus, Iudaeos illos nunquam ipsius auctoritatem probaturos.) in templo (vel omnino inter vos?) doctorem, (saluti vestrae consulentem), atque ita huius desolationis proximae (cf. v. 38.) a me ipso fiet initium, usque dum, nisi dixeritis (iam additur cogitando, quod ne ulla quidem literula aut nexus necessitate suadetur: *id quod vos nunquam facturos esse*

---

obitum lugent omnes boni, paulo post retractet sententiam, propius sentiens grammatico-historicam verborum veritatem, de qua statim dicetur. Similis fuit sententia Gaundleri, refutata a Schotto l. c. 259.

*) Rosenmuellerus, Schottus al.

certo scio et praesagio): benedictus sit, qui venit Domini nomine = dignitatem meam Messianam agnoveritis. Contortam, minime facilem et machinis extusam explanationem! Nexu iuvari eam contenditur. V. 37. tenera et dulci imagine curam significaverat ad propellendam calamitatem in emendandis popularium animis et invitis impensam. Inde v. 38. minae gravissimae proximi Hierosolymarum interitus. Iam v. 39. per v. γάρ volunt indicari, quod vaticinio explicando amplificandoque inserviat. Quod ita putant optime fieri, ut Christus asseverasse credatur, suam se plenam benevolentiae et salutarem subtracturum praesentiam, non omnino quidem negaturus, sed, persentiscens, conditioni, quam posuisset, τῆς πίστεως satis iri factum, nullam spem adesse. Quam connexionem et explanationem negari nequit, et tortuosam, et longius petitam esse et, ut fit, nimis multa supplere legentem iubere. — Et accedit hoc genus dicendi ad εἰρωνείαν, ab h. nexu et orationis ingenio, si quid video, alienissimam. —

Simplicissimum et unice verum *e mente scriptoris* est, ut Christum dicas epiphonemati de Hierosolymarum excidio proxime instante adiunxisse mentionem adventus sui ad iudicium Messianum haud dubie proximi; fassum nunc se oculis popularium ob instantia fata brevi iri subtractum. Belle nunc cohaerent omnia; non tempus accurate constituit, sed hanc γενεὰν sibi acclamaturam esse praesagiens vocem recipiendo Messiae idoneam; *aequales* eadem perspicuitate denotat, qua in eadem causa alibi usum esse scimus. Ita et h. l. interitus rei Hierosolymitanae cum adventu Sospitatoris coniungitur, quod ut per *breviores has voces* haud obscure indicatur, ita ex

longioribus orationibus Messianis, deinceps persequendis, luculentissime perspicitur *).

Caiphae pontifici Christum per Deum obtestato, ut apertis verbis de Messiana dignitate sua ferret iudicium, Iesus Mtth. 26, 64. (cl. Luc. 22, 69. Mc. 14, 62.) σὺ εἶπας, dixit, πλὴν λέγω ὑμῖν, ἀπ' ἄρτι ὄψεσθε τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου καθήμενον ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως, καὶ ἐρχόμενον ἐπὶ τῶν νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ. Et affirmat, quod quaesitum fuerat, et dilucidius fortiusque declarat, diducens orationem **). De ἀπ' ἄρτι v. ἀπάρτι dictum. Sedentem videbitis ab h. tempore filium hominis ad dextram potentiae, venientemque super coelestibus nubibus. Δύναμιν ex usu seriorum Iudaeorum in v. גְּבוּרָה ***) (cl. obsoleto plur. in שַׁדַּי) constanter explanant de potestate maiestateque divina, cui interpretationi calculum adiicit Luc. 22, 60.: ἀπὸ τοῦ νῦν ἔσται ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου καθήμενος ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως τοῦ θεοῦ. Dici Christum ad dextram divinam sublatum in consortium divini venisse imperii, nota res est; imagine ab orientali aula et pompa sumta †). Quod sequitur: ἔρ-

*) Similiter Gurlitt. *spec. sec. lectt. in N. T.* Magdeb. 800. 4. p. 22 sq. aliique recentiores.

**) Πλὴν h. l. ut saepe *sub initio* orationum ponitur, ubi praecedens sermo augetur, eius obscuritas s. ambiguitas propius definiendo vel negando certius vel affirmando depellitur, res contraria ei, quod fuerat propositum, adseritur. Pro nexus varia ratione verte: *at, verumtamen, imo,* quod postremum h. l. aptissimum. Nam, quod professus fuerat, se esse Messiam, corroborat et auget reditus Messiani mentione. Ita numquam perit nativa verbi vis, e πλέον suspensa.

***) Buxtorf. *Lex. chald. et talm.* 385. *Remotius* huc valent Act. 8, 10. Rom. 1, 20.

†) V. Knappii Comm. in *Scr. var. arg.* I. 39 sq. (ed. 2.) Ψ. 110, 1. Col. 3, 1. al.

χεσθαι ἐπὶ τῶν νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ viderunt trahendum esse ad iudicii Messiani, quod vulgo extremum vocatur, descriptionem; sed quod voci ἀπάρτι s. ἀπ' ἄρτι vim tribuerunt: *posthac, in posterum*, ita ut vel *praesentis* vel *proximi* notio *temporis* absit *), id ex his, quae supra de originatione et vera potestate voculae dicta sunt, patet esse totum arbitrarium falsumque. Quem errorem pervidentes alii, a lectionis mutatione vel nova coniunctione non minus arbitraria dogmaticis opinionibus, a quibus discedere nollent, praesidium petierunt. Ita unus interpres **) ἀπαρτὶ praecipiens scribi et verbis λέγω ὑμῖν proxime adnecti, h. procedere vult sententiam: *diserte, certo* vobis dico. At neque ἀπαρτὶ unquam in N. T. idiomate legitur, et ipsa h. potestas inter Graecos (v. supra) dubia est. Praeterea (quamvis minime ignorem, arctissimis finibus cautissimoque iudicio regundam esse ll. parall. collationem), idem cum manifesto adsit doctrinae typus, valet aliquid Lucas, ponens 22, 69. ἀπὸ τοῦ νῦν etc. Simili argumento refutanda eorum existimatio est, qui interpungunt: πλὴν λέγω ὑμῖν ἀπ' ἄρτι, ὄψεσθε ab h. tempore vobis declaro etc. coll. Io. 13, 19. ἀπ' ἄρτι λέγω ὑμῖν etc. Adstipularer, si aut *necessaria* videri posset mutatio, aut non requireret hic sensus ex nostrorum usu scriptorum ἀπ' ἄρτι *ante* λέγω, aut denique alia non adessent loca, eandem Christi sententiam *iisdem propemodum verbis* declarantia, in quibus ad h. remedia *non* licet confugere. Cf. Mtth. 24, 34. de quo fusius dicetur. — Alii resurrectionem Iesu Christi et abitum in coelos futurum, *res, proxime instantes*, designatas arbitrati, meminisse debebant, nec nu-

*) Ita Grotius, Heumannus al.

**) Dan. Heinsius *Exercitt. ad N. T.* p. 81.

θῆσθαι ἐκ δεξιῶν τοῦ θεοῦ de actione evadendi migrandique in coelestia loca, nec ἔρχεσθαι ἐπὶ νεφελῶν de *abitu* in has partes per linguae leges dici. Ne hoc addam, quo nunc non opus est, per Evangelicas historias populi quidem proceres Senioresque (ad quos h. diriguntur verba) nec resurrectum nec in coelos digredientem vidisse Iesum. — Alii, ad decantatum discrimen confugientes, tropicam adesse dictionem imaginem excidii Hierosolymitani, propagationis evangelii mox futurae, documentorum efficaciae summae omnium, quae Iesus *invisibilis* editurus, atque dignitatis summae et felicitatis, quia Christus mox apud deum patrem gavisurus esset *).

Alii, misere divellentes sensus perpetuitate cohaerentia verba, in parte eorum: ὄψεσθε καθήμενον ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως documenta summae Christi dignitatis, resurrectionem de mortuis insequutura, significata crediderunt, in altera parte: καὶ ἐρχόμενον ἐπὶ τῶν νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ reditus post multa seculorum millia futuri mentionem factam. Id auxilium nullum est, quod non esset inventum, nisi dogmatizantibus interpretibus visa fuisset necessaria h. ratio. Ea enim neque ab orationis connexae facilitate et perspicuitate (si quidem per unum ἀπ' ἄρτι res tempore mirifice distantes coniunguntur), nec a linguae usu in priore maxime enuntiato, commendatur. Cf. ad Mtth. 24, 30. — Marcus *simpliciter* scribit, 14, 62.: ἐγώ εἰμι· καὶ ὄψεσθε τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐκ δεξιῶν καθήμενον τῆς δυνάμεως, καὶ ἐρχόμενον μετὰ τῶν νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ. — Nec perspicio, difficultatem tolli ea ratione, quam iniit Ven. SCHOT-

*) V. interprett. antiquiores et recentiores excitatos ap. SCHOTT. l. c. 264.

τος *), conferri iubens Lucae (22, 69.) parallelum: ἀπὸ τοῦ νῦν, quo soleant Alexandrini hebr. מֵעַתָּה reddere, admonensque: et in hebraico Matthaei exemplo (de quo sub iudice lis est!) lectum idem vocabulum, liberius per ἀπ' ἄρτι translatum. Huius esse h. potestatem, ut non tantum ad ea referatur, quae mox apparitura sint; sed item ad seculorum seriem futuram, non recte collatis Ies. 9, (6.) 7. 59, 21. Mich. 4, 7. ubi minime inest, quod vult, in מֵעַתָּה, sed in eo, quod additur: עַד־עוֹלָם, usque in aeternum; nam vertendum *ab hoc tempore in posterum.* Nulla igitur probabili causa de duplici eventu temporis diversissimi cogitandum censet. —

In his, ne nauseam creemus lectoribus, opinionum farragine recensenda, subsisto, et ad maiores amplioresque orationes Messianas progredior, quarum interpretatione philologica atque historica administrata si perfecero, ut nativus scriptoris sensus nexusque cum systemate Messiano penitius perspiciatur, laetabor.

Celebratissima est pericopa Matthaei c. XXIV. XXV., cuius illustrationem ita tentabimus, ut parall. ll. Mc. c. XIII. et Luc. XXI. et necessariam et accuratam rationem habeamus.

Ea Christi oratio continetur responsione ad quaestionem discipulorum de urbe temploque Hierosolymitanis diruendis deque adventu et iudicio Messiano, utrumque eventum excipiente. Potest haec vox, uti ad v. 3. c. XXIV. Matthaei docebitur, in tres resolvi quaestiones: quarum prima est: quando evertendae sint Hierosolymae, altera, quale sit reditus Christi, tertia, quale finis rerum humanarum signum. In qua re ve-

*) l. c. 266. 267.

rissime GRATZIUS (*Comm. in Matth.* II. p. 445.): „Diese drei Fragen waren bei ihnen eigentlich nur *Eine Frage*, weil *sie nach jüdischen Begriffen* mit Jerusalems Zerstörung auch das Weltende, und mit diesem die Wiederkunft des Messias erwarteten" *). Exspectares iure tuo *unum* Christi ad *unam* apostolorum quaestionem responsum. Et ita quemvis sensurum fuisse, certo existimari potest, si eadem ratione, qua nunc solent antiquorum scriptorum monumenta tractari, sine ira et studio, quod dogmatica peperit fovitque decreta, ad harum orationum lectionem accedere, cuivis et per temporum rationem, et per sui ingenii animique indolem licitum fuisset. Nunc non tam contra diversas interpretum argumentis nixas sententias, quam contra Theologorum commenta pugnandum est. Quorum fontem primarium in eo quaerimus, quod oraculi Messiani, cui subessent notiones theocraticae, hac aetate inter Iudaeos late sparsae, immemores, prophetici sermonis iniqui aestimatores, eventum rerum dictarum perversa maleque sedula subtilitate quaesiverint in bellorum Iudaicorum historiis, in excisione Hierosolymarum, Tito duce perfecta cet. Analogiam linguae, historiarum, nexus nostrae favere explanationi, speramus non negaturos veri amantes.

Iesu templum egresso, dicuntur sec. Matthaeum 24, 2. discipuli (οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ) propius accedentes, ostendisse aedificia templi. Marcus

*) Is idem interpres paulo post, parum constans sibi, cum aliis multis sermonem Christi in duas partes, argumento discrepantes, distinguit. Et v. 15—28. vult responsionem ad *primam*, v. 29—31. ad *secundam tertiam*que quaestionem continere. Quam discretionem ferendam nullo pacto esse, singula lustrando persuadere persuaderi volentibus conabimur.

13, 1. unum de numero discipulorum versus ad Christum haec fecisse scribit: διδάσκαλε, ἴδε, ποταποὶ λίθοι, καὶ ποταπαὶ οἰκοδομαί. Luc. 21, 5. et dilatat orationem, et pluribus tribuit, hunc in modum: καί τινων λεγόντων περὶ τοῦ ἱεροῦ, ὅτι λίθοις καλοῖς καὶ ἀναθήμασι κεκόσμηται, εἶπε. Ea, etsi levior, vera diversitas est, e traditione fluens*); quam autem, quod multi tentarunt, ita tollenda, ut aut plures idem sensisse dicas, pronuntiasse unum**); aut, reliquos eadem repetiisse discipulos (quod praetermiserit adnotare scriptor***), aut uni ex reliquis, qui singuli accesserint, demandatum fuisse, ut omnium sententiam declararet †). Alii aliter. *Non est, quod unam trium scriptorum vocem esse cogas.* Post ea, quae ad Mtth. 23, 38. de verosimillima potestate v. *οἴκου* adiacentisque orationis di-

*) Id quod Ven. Schulzium (*d. chr. Lehre v. h. Abdm.* p. 320.) sequutus recte adnotavit Fritschius, repetens, ap. Mc. v. 3. vel nomina discipulorum, subtilius in Iesum inquirentium, legi. Additum ab aliis, factum hoc de more Evangelistae, qui in rerum narratarum minutiis saepe ceteris sit accuratior. De fonte nihil certo dicere ausim, quamvis v. 3. Petrus in his familiaribus fuisse dicatur.

**) Schott. l. c. p. 9.

***) Glass. *philol. s.* (ed. Dathe.) I. 66. 67. „Primum quidem unus ex discipulis ad Christum videtur accessisse, atque dixisse: Praeceptor, vide quales lapides etc. ut est ap. Marcum: postmodum vero reliqui etiam accesserunt, et cum admiratione magnificentiam structurae Christo ostenderunt.“ Mira ratio Gratzii (*Comm.* II. 450.), qui postquam ad συνεκδοχὴν provocarat, addit: „Indess hatte wohl J. Aeusserung, dass dieser Tempel werde zerstört werden, auf alle Jünger gleichen Eindruck gemacht, *und was Einer für sich aussprach, darein stimmten gewiss alle Uebrige mit gebrochenen Worten.*“

†) Wolf. *Cur. philol.* I. 336.

ita sint, non opus est, ut eorum sententiam *) refutemus, qui apostolos, oraculi modo percepto de proxima templi clade gravitate et novitate perculsos, firmitatis magnificentiaeque aedificiorum adspectu commotos, dubitante animo Iesu hanc tantam molem ostendisse volunt. Si igitur non cohaerent haec nexu necessario cum antecedentibus (id quod confirmatur Marci et Lucae in his, quae ante nostras pericopas traduntur, a Matthaeo discrepantia), simplicissimum est, ut credamus apostolos adspectu ingentium et magnificarum molium in admirationem raptos in societatem sensuum vocavisse Dominum, illum temperatum esse laetitiam oraculo de proxima templi ruina et longiore Messiana oratione subsequente. De templi secundi splendore et Herodis in h. re meritis, post ea, quae WETSTENIUS (I. 493 sq.) attulit, quem omnes sequuti sunt, non dicam. — Mtth. v. 2. Ὁ δὲ Ἰησοῦς **) εἶπεν αὐτοῖς· βλέπετε πάντα ταῦτα; Ita plures hodie exhibent textum, nec dubium est, recte exhibere. Nam quod in multis libris et editis et scriptis reperitur, οὐ ante βλέπετε, ferri et ob grammaticas leges et nexus causa nequit. Explanant ***) nonnulli ita, ut Christum dicant interdixisse moderata voce disci-

*) Ita CHRYSOSTOMUS, EUTHYMIUS: ἀκούσαντες, ὅτι ἰδοὺ ἀφίεται ὑμῖν ὁ οἶκος ὑμῶν ἔρημος, ἐθαύμασαν, εἰ τοιοῦτος ναὸς ἐρημωθήσεται· διὸ καὶ προσῆλθον ἐπιδεῖξαι αὐτῷ τὰς οἰκοδομὰς τοῦ ἱεροῦ, ὡς θαυμαστάς. Similiter WOLFIUS, SCHOTTUS. (l. c. 9. qui in ea re non satis sibi constitit, οἶκον non de templo explanans) alii.

**) Al. ἀποκριθεὶς, quod non ferunt, quod non praecesserit quaestio. At est exquisitior scriptura. Nam ἀποκριθῆναι in seriore Hebraismo frequens de his, qui exordiuntur sermonem, praegressa causa, quae impellit ad loquendum.

***) OLEARIUS, PAULUS, KUINOELIUS al.

pulis, cum illas magnificas substructiones, utpote quippe inaccessas, admirentur. At potestas *prohibitiva*, ut iam ab aliis intellectum est, in οὐ non inest, requireret haec ratio μή. Ergo, si in hac acquieveris lectione, sensus non nisi hic funditur: num tandem vos h. omnia non videtis, quo contineretur castigatio discipulorum, non percipientium magnificentiam structurae templi, ante oculos collocati. Quae quam sit aliena ab hoc quidem nexu, quo discipuli potius Jesu animum ad considerandum splendorem aedificii advertere conati fuerint, quis tandem non concedat? *). Quare cum subsidia bene multa adstipulentur, omisso οὐ, haec apta prodit sententia: satisne h. omnia contemplamini, sehet ihr wohl das Alles **) (aptissime contulerunt Christi dictum Luc. 7, 44. βλέπεις ταύτην τὴν γυναῖκα). Ita Christus, sancto animi moerore plenus, tamquam ad rem interitui cito obnoxiam, et caram, ad templum oculos discipulorum advertit, addita gravi voce: ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐ μὴ ἀφεθῇ ὧδε λίθος ἐπὶ λίθον, ὃς οὐ ***) καταλυθήσεται: ne lapis quidem lapidi iunctus manebit, (rem ex

---

*) Ven. Schottus (p. 10.), in hoc iure offensus, tamen h. interpretationi ita medendum esse iudicat, ut *adfirmativa negatio* teneatur vertaturque: nonne h. omnia admiramini? Id tamen vix concesserim, in vv. inesse, castigationem non inesse. Certe ex l. quem attulit, Mc. 11, 17. nihil (ita ne h. quidem οὐ pro μή electum esse) efficitur. Nam ibi vv. οὐ γέγραπται haud dubie acerbe et severe adhibita sunt. Et transitum ad seqq. pariter ut nexum cum antecedd. hoc pacto videre est difficiliores.

**) Excitatio ad animi attentionem in spectandis his aedificiis, quae quo augustiora appareant et magnificentiora, eo funestius expertura sint et gravius excidium. Ita Gratzius, Schottus, Fritzschius al.

***) Μή post οὐ, ex antecedd., uti credi fas est, irreptum ferri nequit. V. Fritzschium ad h. l.

contrario recte illustrat Grotius, adducto Hagg. 2, 16. ubi in structura templi lapis super lapidem positus dicitur) ita vero, ut Chrysostomi verbis utar; dixit: τὴν ἐρημίαν ἐνδεικνύμενος τὴν παντελῆ. Iam non opus est, ut cum his, qui haec ex eventu interpretantur (cl. Ioseph. *B. J.* VII. 1. 1 sq.) vel moneamus, h. orationem non ad literulam usque premendam esse, vel, ut plenissimus sit oraculo eventus, ad iteratos, sed frustra, Iuliano Caesare, in exstruendo templo conatus provocemus *). Porro ipsi perspicient lectores, quantum discedat Marcus 13, 2.: καὶ ὁ Ἰησοῦς ἀποκριθεὶς, εἶπεν αὐτῷ· βλέπεις ταύτας τὰς μεγάλας οἰκοδομάς; οὐ μὴ ἀφεθῇ ὧδε λίθος ἐπὶ λίθῳ, ὃς οὐ μὴ καταλυθῇ. Et magis etiam Lucas 21, 6.: ταῦτα ἃ θεωρεῖτε, ἐλεύσονται ἡμέραι, ἐν αἷς οὐκ ἀφεθήσεται λίθος ἐπὶ λίθῳ, ὃς οὐ καταλυθήσεται **).

Mtth. v. 3. Καθημένου δὲ αὐτοῦ ἐπὶ τοῦ ὄρους τῶν ἐλαιῶν, προσῆλθον αὐτῷ οἱ μαθηταὶ κατ' ἰδίαν (seorsim, quod vulgo arbitrantur respectu dictum ad Iudaeos, qui c. 23. dicuntur Iesu latera cinxisse, equidem angustiore oppositione, de *intimis familiaribus* explicuerim, qui subtiliora et certiora doceri vellent) λέγοντες· εἰπὲ ἡμῖν, πότε ταῦτα ἔσται, καὶ τί τὸ σημεῖον τῆς σῆς παρουσίας καὶ τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος; Mc. v. 3. ob nominum recensum accuratior: καὶ καθημένου αὐτοῦ εἰς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν ***) κατέναντι τοῦ ἱεροῦ, ἐπηρώτων

*) Praeivit Scholion in Cd. A. Euthymii Zigabeni ad h. l. (ed. Matthaei. T. I. p. 898.)

**) De loquutione proverbiali v. 2 Sam. 17, 13.

***) „Εἰς τὸ ὄρος = ἐν τῷ ὄρει cl. 1. 9. 2, 1. Schott. l. c. 12.“ At Mc. 1, 9. alius est generis, et talia ex confusione duarum enuntiationum explananda esse, vix nunc quisquam ambigit. V. int. al. Winer. *Gr.* 161. 162.

αὐτὸν κατ' ἰδίαν Πέτρος, καὶ Ἰάκωβος, καὶ Ἰωάννης, καὶ Ἀνδρέας· εἰπὲ ἡμῖν, πότε ταῦτα ἔσται, καὶ τί τὸ σημεῖον, ὅταν μέλλῃ πάντα ταῦτα συντελεῖσθαι; Rursus et brevius et magis generatim Luc. v. 7. ἐπηρώτησαν δὲ αὐτὸν, λέγοντες· διδάσκαλε, πότε οὖν ταῦτα ἔσται, καὶ τί τὸ σημεῖον ὅταν μέλλῃ ταῦτα γίνεσθαι; Rem non inauditam quidem perceperant, sed ἐπίλυσιν desiderabant. Tria vero mente et cogitatione ita coniunxerant, ut ad unam ἐποχὴν diserte referrent: excidium templi cultusque praesentis, adventum Messiae, τὴν συντέλειαν τοῦ αἰῶνος. Ergo haec, etiamsi ex aliis antiquitatis monumentis non constarent, ex huius indole quaestionis intelligerentur fuisse in opinione et exspectatione popularium; sed fluctuabat fama et existimatio, quam quidem Christi Messiae *) iudicio confirmatam s. ad certam sententiam redactam discipuli cupiebant. Inprimis intererat eorum, signa (σημεῖα, אותות) novisse rerum futurarum Messianarum ingruentium. De voc. παρουσίας non tam ex etymologicis, quam ex historicis rationibus disputandum. Nam cum, illas si spectaveris, *praesentiam* hominis denotet (cf. Phil. 1, 26. 1 Cor. 16, 17. al.), has si tenueris, in lingua et sentiendi ratione Messiana N. T. Christophaniam alteram, sive reditum Iesu in has terras, (priorem eius praesentiam et efficaciam PP. graeci **) πρώτην παρουσίαν vocant) aetate apostolica exspectatum ad inauguranda imperia hoc nomine insignitum deprehendes ***). (2 Thess. 2,

*) Vel ex hac quaestione novum accedit firmamentum sententiae, supra stabilitae: et Christum se dixisse et ab apostolis habitum Messiam.

**) Praeeunte 2 Petr. 1, 16.

***) Tychsen. *de παρουσίᾳ Christi et notionibus de adventu Christi in N. T. obviis.* Gott. 785. 4. Fratt.

11. 8. 1. Cor. 15, 23. et alibi.) In signis proximae Christi ἐπιφανείας habebantur tempora calamitate publica adflicta, insignia bellis omnium contra omnes, seditionibus, peste, annonae caritate, terrae motibus, et coelestium corporum ingentibus conversionibus; rerum physicarum eversioni adiungetur ordinis humani et civilis vitae insignis perturbatio, vix pauci Sospitatoris adiutores, Elias, Ieremias, Iesaias, de nobilissimis vetustissimisque vatibus in vitam revocati, praecones μετανοίας, huic morum perversitati obnitendo vires tentabunt. Huic persuasioni et luculentae Iudaeorum descriptioni vera videtur subesse sententia: omnia prius ad incitas redactum iri ex ordine rerum priore, quam novus rerum ordo, orbis redintegrata facie, prodire iuberi possit *). Haec et similia (varia enim in plebe Iudaica videtur disseminata de re Messiana fama) mente volutantes Apostoli, magistri suae auxiliantem ambiguitati aut etiam emendatricem vocem exspectabant. Excidio patrii templi, adventui Messiae Iesu Christi,

---

Symbb. ad ill. nonnulla ex iis N. T. locis, quae de παρουσίᾳ Christi agunt, IV. partt. Tubing. 800—812. 4. Suesskind. *e. de παρουσίᾳ Christi quid statuerit Paulus.* Tubing. 795. 4.

*) Inde saepius de plebe christiana homines, publicorum temporum aerumnis et privatae vitae miseriis immersi et quasi sepulti, diem instare novissimum dictitare soliti sunt. — V. universe Bertholdt. *Christol.* 43—74. qui tamen in monumentis chaldaicis, rabbinicis, et N. T. sacris distinguendis non caute satis subtiliterque versatus est. Aegerrime profecto caremus hac nostra tempestate Christologia, ad rationes *historico-criticas* non sine multifaria iudaicorum et christianorum librorum lectione *constantissime* descripta. Huic labori si adiunxeris orientalium populorum, in similibus placitis versantium, collationem, apertum vides latissimum de optimis literis optime merendi campum.

adnectunt tempore aequalem τὴν συντέλειαν τοῦ αἰῶνος. Eius locutionis potestas rursum ex aetatis serioris momentis diiudicanda, quandoquidem a V. T. usu relinquimur. Αἰὼν עוֹלָם et indefinitum temporis spatium, aeternitatis partem, et aetatem geniumque aetatis aut seculi, et genus hominum aetate constitutum complectitur*) (ad similitudinem v. דּוֹר, γενεᾶς, et nostri Zeit v. c. in: Zeitgeist). In hac quidem compositione epocha est antemessiana, quae terminatur regis exoptatissimi adventu, alibi αἰὼν οὗτος, עוֹלָם הַזֶּה, excepta a temporibus laetioribus, τῷ αἰῶνι μέλλοντι, עוֹלָם הַבָּא; quo plerique, uti supra admonuimus, imperium Messianum vel millenarium, vel quadringenarium una comprehensum esse docuerunt, alii, Messianam dominationem in fine rerum huius orbis collocatam existimantes, vita beata, aeterna, coelesti repleri totum futurum aevum maluerunt. Id ita factum iri augurantur, ut interregnum Messiae, quod praecedebatur a nova orbis facie et maxima rerum conversione, et ipsum brevi interiturum sit cedens regno Dei, ἵνα ᾖ ὁ Θεὸς τὰ πάντα ἐν πᾶσιν. (1 Cor. 15, 28.) Συντελεία τοῦ αἰῶνος intelligendum esse finem dierum praesentium v. consummationem, interitum seculi antemessiani, καιρὸν ἔσχατον, ὑστέρους καιροὺς, ἔσχατα τῶν χρόνων, ἐσχάτας ἡμέρας, אחרית ימים, סוף יומיא, קיץ הימים, constat non minus ex originatione vocis, quam ex seriorum Iudaeorum monumentis similes formu-

---

**) Inde longior nobis visa Ven. Schotti (p. 14 sq.) de h. formula disputatio, et notionum numerum *in re ex populari sermone aestimanda* sine necessitate augens.

[illegible] adsidentibus, et ex scriptis Paulinis *). (Marci vero illud: ὅταν μέλλῃ πάντα ταῦτα συντελεῖσθαι, haud dubie *synonymum* voc. potestate adhibitum, nec, quod alii maluerunt, de eo, quod *ratum fit per eventum*, positum.) Ita vero cogitatum est de templi cultusque Hierosolymitani, imo Iudaismi interitu, ut utrumque una cum novis Hierosolymis divino digito formatis magnificentius et augustius iri restitutum sub diebus Messianis, proxima esset persuasio **). — Haec apostoli, ex opinione populari. Quaeritur, quonam Iesus animo eam susceperit. — Ita illi: Mtth. v. 4. καὶ ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς εἶπεν αὐτοῖς· βλέπετε μή τις ὑμᾶς πλανήσῃ. Mc. v. 5. ὁ δὲ Ἰησοῦς ἀποκριθεὶς αὐτοῖς, ἤρξατο λέγειν· βλέπετε, μή τις ὑμᾶς πλανήσῃ. Luc. v. 8. βλέπετε, μὴ πλανηθῆτε. Severe inculcat, ne remotiora signa adventus Messiani cum proprioribus temere confundant. Hac tempestate obnoxii erroribus aequales. Fraudatoribus multa patet via. Nam omina quaevis rerum novarum

---

*) Recurrit voc. Mtth. 13, 39. 40. 49. 28, 20. sensu paulum diverso ad Hebr. 9, 26. — Ceterum eorum, qui uberius, allatis exemplis, hanc Iudaeorum sententiam, at non ubique cum idonea κρίσει, pertractarunt, nomina librosque v. ap. SCHOTT. l. c. p. 16. 17. —

**) Ceterum prophetae antiquiores de Theophania magis, quam de Christophania loquuti, quod recte animadversum a BERTHOLDO *Christol.* p. 45. De historico notionis progressu v. HAENLEIN. *üb. Theophanieen und Christophanieen*, in *N. th. Journ.* II. 1. 1—18. 2. 93—112. 4. 277—304. Eam καταστροφὴν miserrimam, παλιγγενεσίαν s. ἀποκατάστασιν πάντων praecedentem, quum Messiam in lucem sit editura, constat apta imagine חֶבְלֵי הַמָּשִׁיחַ (Messiaswehen) esse nuncupatam. (BERTHOLD. 48.) Rabbinorum sententias v. ap. WETSTENIUM. Ceterum male GROTIUS παρουσίαν explicat per regnum Messiae, cuius non nisi aliqua pars est, aut, ut subtilius dicam, exordium.

cupidissimis accepta. Et ex sententiis Iudaeorum pervulgatis et ex indole reliquorum antiquitatis vaticiniorum aestimandus, nec sermo propheticus, Messianus, inepto loco historiae luminibus illustrandus. Mth. v. 5. πολλοὶ γὰρ ἐλεύσονται ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου, λέγοντες· ἐγώ εἰμι ὁ Χριστός· καὶ πολλοὺς πλανήσουσι. Mc. v. 6. πολλοὶ γὰρ ἐλεύσονται ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου, λέγοντες· ὅτι ἐγώ εἰμι· καὶ πολλοὺς πλανήσουσιν. Luc. v. 8. πολλοὶ γὰρ ἐλεύσονται ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου, λέγοντες· ὅτι ἐγώ εἰμι, καὶ ὁ καιρὸς ἤγγικε. Μὴ οὖν πορευθῆτε ὀπίσω αὐτῶν. Errant, qui in defectu historiarum (quae de his impostoribus, Messianum nomen brevi ante excidium urbis professis, tacent) male sedula doctrina undique conquirunt, quibus hoc vaticinium penitius adplicari possit. Male attulerunt Simonem Magum (Act. 8, 9 sq.), Theudam (Act. 5, 36 sq. cl. Ioseph. Antt. XX. 5. 1.), Dositheum (Orig. adv. Cels. II. in Matth. tr. 27.), Aegyptium hominem (v. Act. 21, 38. Ioseph. B. J. II. 13. 5.) Non fuerunt Pseudo-Messiae, sed Pseudo-prophetae. Et hos ipse Christus v. 24. distinguit. Et hic intempestivus respectus historiarum bellorumque civilium Iudaeorum ne sufficit quidem expediendis difficultatibus, quoniam, cum pareiora sint monumenta, suppressisse ob exiguam famam, paucos sectatores, malosque exitus plurium conamina Iosephum, ceterosque scriptores, aetate suppares, malo arbitrio sumendum est. Matth. v. 6. Μελλήσετε δὲ ἀκούειν πολέμους, καὶ ἀκοὰς πολέμων· ὁρᾶτε, μὴ θροεῖσθε· δεῖ γὰρ πάντα γενέσθαι· ἀλλ' οὔπω ἐστὶ τὸ τέλος. Mc. v. 7. ὅταν δὲ ἀκούσητε πολέμους καὶ ἀκοὰς πολέμων, μὴ θροεῖσθε· δεῖ γὰρ γενέσθαι· ἀλλ' οὔπω τὸ τέλος. Luc. v. 9. ὅταν δὲ ἀκούσητε πολέμους καὶ ἀκαταστασίας, μὴ πτοηθῆτε·

δεῖ γὰρ ταῦτα γενέσθαι πρῶτον, ἀλλ' οὐκ εὐθέως τὸ τέλος. Singulorum conatibus, Messianam arripiendi dignitatem, accedent publicae calamitates, bella, bellorumque rumores, Crescet temporum miseria. Sed ea, ne quis discipulus Messianus perterrefiat! Nam infatis hoc est! (So steht's im Buch des Schicksals, es gehört zur Messianischen Erfüllung!) Bella non designat ἀκριβείᾳ historici, sed propheta altiore actus spiritu indicit. — Vana est provocatio ad domesticas turbas et seditiones in Palaestina adversus Romanos Syrosque motas ante obsessam captamque urbem; et ad bella externa sub iisdem tempestatibus gesta. Sententia universalis: bellum alterum ex altero volvetur, (ein Krieg wird durch ein neues Kriegsgerücht verdrängt), inter quae ne summa trepidatione exanimentur, discipuli Messiani, cavendum *). Instant pejora! Non confestim adest συντελεία τοῦ αἰῶνος, Sospitatoris adventus, malorum finis. (Vividiores et atrociores colores, utpote in sermone prophetico et orientali, quam quales subministrabat eventus posteriorum temporum.) Mtth. v. 7. 8. ἐγερθήσεται γὰρ ἔθνος ἐπὶ ἔθνος καὶ βασιλεία ἐπὶ βασιλείαν καὶ ἔσονται λιμοὶ καὶ λοιμοὶ **), καὶ σεισμοὶ κατὰ τόπους. Πάντα δὲ ταῦτα ἀρχὴ ὠδίνων. Mc. v. 8. 9. ἐγερθήσεται γὰρ ἔθνος ἐπὶ ἔθνος, καὶ βασιλεία ἐπὶ βασιλείαν· καὶ ἔσονται σεισμοὶ

*) Formulam, δεῖ γὰρ πάντα γενέσθαι similesque biblicas, non ad metaphysicam scholarum subtilitatem exigendas, sed popularis sermonis numina et antiquitatis ingenio metiendas, originem dedisse Praedestinationis decreto, in Calvinismi gremio acumine infelicissimo exornato et culto, quis tandem, vero Christianismo bene cupiens, non fatebitur et indignabitur?

**) Paronomasia, in aramaico Matthaei exemplo (?) citra usum.

κατὰ τόπους, καὶ ἔσονται λιμοὶ καὶ ταραχαί. Ἀρχαὶ ὠδίνων ταῦτα. Luc. v. 10. 11. τότε ἔλεγεν αὐτοῖς· ἐγερθήσεται ἔθνος ἐπὶ ἔθνος, καὶ βασιλεία ἐπὶ βασιλείαν· σεισμοί τε μεγάλοι κατὰ τόπους, καὶ λιμοί, καὶ λοιμοὶ ἔσονται· φόβητρά τε καὶ σημεῖα ἀπ' οὐρανοῦ μεγάλα ἔσται. Perditum ante Messianam epocham genus hominum nefaria quaevis tentabit. Bellum omnium contra omnes. Orbis terrae suscitatus. Annonae caritas, pestis, terrae motus ubivis locorum, alii terrores. Haec omnia praenuntia adventus Messiae. Magna et terribilia in coelestibus partibus signa comparent. — Exsanguis profecto in tali imagine, luculentissimis distincta coloribus, collatio historiarum, ut famis, Claudio Caesare, saevientis, ut pestis Babyloniam Italiamque devastantis, ut terrae motuum Asiam minorem et Campaniam excutientium *). — Mtth. v. 9. τότε παραδώσουσιν ὑμᾶς εἰς θλίψιν, καὶ ἀποκτενοῦσιν ὑμᾶς· καὶ ἔσεσθε μισούμενοι ὑπὸ πάντων τῶν ἐθνῶν διὰ τὸ ὄνομά μου. Mc. v. 9. βλέπετε δὲ ὑμεῖς ἑαυτούς· παραδώσουσι γὰρ ὑμᾶς εἰς συνέδρια, καὶ εἰς συναγωγὰς δαρήσεσθε, καὶ ἐπὶ ἡγεμόνων καὶ βασιλέων σταθήσεσθε, ἕνεκεν ἐμοῦ, εἰς μαρτύριον αὐτοῖς. Luc. v. 12. 13. πρὸ δὲ τούτων πάντων ἐπιβαλοῦσιν ἐφ' ὑμᾶς τὰς χεῖρας αὐτῶν, καὶ διώξουσι, παραδιδόντες εἰς συναγωγὰς καὶ φυλακάς, ἀγομένους ἐπὶ βασιλεῖς καὶ ἡγεμόνας, ἕνεκεν τοῦ ὀνόματός μου. Ἀποβήσεται δὲ ὑμῖν εἰς μαρτύριον. Inter haec rerum discrimina (Mtth. Mc. τότε, Luc. πρὸ δὲ τούτων πάντων) discipuli Messiani acerbissimum *gentium* odium experientur. Dabuntur calamitatibus castigandi, ex eorum societate trucidabuntur, non omnes (cl. Mtth. v. 14.), tradentur

*) V. loca vett. scriptt. ap. Schott. l. c. 27.

synedriis, flagellis in synagoga caedentur, coram regibus principibusve sistentur, ut faciendo testimonium (Messianae doctrinae suaeque constantiae) exhibeant. — Rursum non satisfacit subtiliori interpreti adnotatio apostolorum captivitatis et ignominiae ob Christiani nominis honorem susceptae (Act. 5. 6. 7. 8. 12. 21.); rursum nihil constat de odio omnium nationum, in Christianos sectatores confecto, nam Neronei quidem impetus, ad quem uno omnes ore provocant, et multo arctior ambitus et fama fuit*); ut non urgeam, agere Iesum de solis discipulis, si quidem aliquo latiore usu omnes, Christianum professos nomen, ita vocari, fas erat. — Matth. v. 10—12. καὶ τότε σκανδαλισθήσονται πολλοὶ καὶ ἀλλήλους παραδώσουσι καὶ μισήσουσιν ἀλλήλους· καὶ πολλοὶ ψευδοπροφῆται ἐγερθήσονται καὶ πλανήσουσι πολλούς· καὶ διὰ τὸ πληθυνθῆναι τὴν ἀνομίαν (verte: ut summa [quae in fatis est] fiat nequitia; damit das Maass der Sünde voll werde), ψυγήσεται ἡ ἀγάπη τῶν πολλῶν· ὁ δὲ ὑπομείνας εἰς τέλος, οὗτος σωθήσεται. — Mc. v. 12. 13. παραδώσει δὲ ἀδελφὸς ἀδελφὸν εἰς θάνατον, καὶ πατὴρ τέκνον· καὶ ἐπαναστήσονται τέκνα ἐπὶ γονεῖς, καὶ θανατώσουσιν αὐτούς· καὶ ἔσεσθε μισούμενοι ὑπὸ πάντων, διὰ τὸ ὄνομά μου· ὁ δὲ ὑπομείνας εἰς τέλος, οὗτος σωθήσεται. Luc. v. 16 — 20 παραδοθήσεσθε δὲ καὶ ὑπὸ γονέων καὶ ἀδελφῶν καὶ συγγενῶν καὶ φίλων, καὶ θανατώσουσιν ἐξ ὑμῶν· καὶ ἔσεσθε μισούμενοι ὑπὸ

*) Tacit. *Annal.* XV. 44. Igitur primo correpti, qui fatebantur, deinde, indicio eorum, multitudo ingens, haud perinde in crimine incendii, quam odio humani generis, convicti sunt. (Contraria tamen non odio habiti Christiani Romani ob Christum, sed, ex criminatione quidem, osores, et proinde odio habiti.)

πάντων διὰ τὸ ὄνομά μου. Καὶ θρὶξ ἐκ τῆς κεφαλῆς ὑμῶν οὐ μὴ ἀπόληται. Ἐν τῇ ὑπομονῇ ὑμῶν κτήσασθε τὰς ψυχὰς ὑμῶν. — Σκανδαλίζεσθαι, in offendiculum impingi pede, labi, nunc quidem adhibetur de his, qui ob invisum late longeque Christianum nomen et desciscent a fide, et sectatores Messianos vexationibus oppriment. Magna erit perfidia *), ingens discordia, odium intra domesticos saeviens parietes carissima et sanctissima necessitudinis vincula dilacerabit et proximum contra proximum armabit. Accedent falsi doctores **), in errorem adducentes imbecilles. Multorum refrigescet amor (mortalium erga mortales, vel rei Messianae? prius praefero, et quoniam huic imagini universali communis atrocitatis et miseriae magis aptum, et quod posterius iam in antecedd. καὶ τότε σκανδαλισθήσονται πολλοί videtur inesse). Inter h. tanta mala intrepidum servent animum cultores theocratici, nam ὁ ὑπομείνας (in fide et dilectione. Ita optime Grotius.) εἰς τέλος (nec ad finem vitae, nec *Hierosolymorum*, sed *malorum*, qui sibi ipsi non exciderit inter multorum imbecillitatem, constansque exitus exspectarit) οὗτος σωθήσεται ***) (is in beatitatem Messianam e tanta afflictione traducetur). Et hac patientia, auxilii

---

*) Provocant ad imbecillitatem perfidiamque eorum, quos carpat scriptor ep. ad Hebr. 6, 4 — 10. 10, 25 — 30. At haec quis negabit cordatus interpres nostram minime exhaurire perversitatis vitiositatisque humanae descriptionem?

**) Nihil proficitur sedulitate eximii Grotii in enumerandis doctoribus, Paganismum Iudaismumve cum elementis christianis confundentibus, et bona doctrina inepto loco profusa.

***) Christianorum, urbe capta et diruta, Pellam (Eus. *H. E.* III. 5.) profugientium non idonea h. l. memoria est. Nam et pauci fuere, et subsequenti

quo divinae inconcussa fiducia opus eius, ut serventur animae. — Mtth. v. 14. καὶ κηρυχθήσεται τοῦτο τὸ εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ, εἰς μαρτύριον πᾶσι τοῖς ἔθνεσι· καὶ τότε ἥξει τὸ τέλος. Mc. v. 10. καὶ εἰς πάντα τὰ ἔθνη δεῖ πρῶτον κηρυχθῆναι τὸ εὐαγγέλιον. Ante finem huius rerum ordinis sub adventu Messiae evangelium regni per totum orbem (terrae, nec Iudaicum, nec Romanum) praedicabitur. Nam semina coelestis doctrinae ubivis spargenda, ut praeparatum ubique et paullo subactum agrum reperiat Messias, nec quisquam vel exterorum rei ignorantia possit excusari. Εἰς μαρτύριον, in testimonium, testes ut citari possint gentes cunctae. Nam post haec veniet finis, rei Iudaicae et orbis destructio atque interitus *). Iam propius evolvitur tabula eversionis Messianae. Mtth. v. 15. ὅταν οὖν ἴδητε τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως, τὸ ῥηθὲν διὰ Δανιὴλ τοῦ προφήτου, ἑστὼς ἐν τόπῳ ἁγίῳ (ὁ ἀναγινώσκων νοείτω!), τότε οἱ ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ, φευγέτωσαν ἐπὶ τὰ ὄρη· ὁ ἐπὶ τοῦ δώματος, μὴ καταβαινέτω ἆραι τὰ ἐκ τῆς οἰκίας αὐτοῦ· καὶ ὁ ἐν τῷ ἀγρῷ, μὴ ἐπιστρεψάτω ὀπίσω, ἆραι τὰ ἱμάτια αὐτοῦ. Οὐαὶ δὲ ταῖς ἐν γαστρὶ ἐχούσαις καὶ ταῖς θηλαζούσαις ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις! Προσεύχεσθε δέ, ἵνα μὴ γένηται ἡ φυγὴ ὑμῶν χειμῶνος, μηδὲ σαββάτῳ. De βδελύγματι τῆς ἐρημώσεως ut varia, ita maxime ambigua est disputatio. Danielitichim

aetate a calamitatibus immunes degisse, non constat, et nititur sententia explanatione εἰς τέλος de urbis interitu, per h. connexam orationem minime omnium probabili.

*) Ieiuna est provocatio ad ea ll. in quibus propagati ante dirutas Hierosolymas sermonis Messiani ratio habetur. Rom. 10, 18. (Psalmographi excitatio.) 15, 24. (Mentio itineris in Hispaniam suscipiendi.) Col. 1, 6. (ἐν παντὶ τῷ κόσμῳ.)

(cf. 9, 27. cl. 11, 31. 12, 11. et 2 Mcc. 6, 2.) esse, ad quod allusit Iesus, שקוצים משמם, (res abominandae vastatoris) etiamsi ex formulae indole non constaret, sequens auctoris compellatio extra dubium poneret. Proinde distingue inter eum sensum, quem scriptor libri Danielitici enuntiationis voluit esse, et usum, quem eius fecerit Christus. Illi dicunt plurimi mente obversatam fuisse profanationem sacrorum, per Iovis Olympii statuam ab Antiocho Epiphane (quod Iudaeorum odium pervertit in Ἐπιμανῆ) templo illatam. Graeca Abstr. pro concreto praebent *). Verum in potestate, quam subiecerit formulae Christus προφητεύων exquirenda, vastus fuit coniecturarum campus, ipsa varietate sententiarum ambiguitatem in accommodando rebus gestis vaticinio reique obscuritatem arguente. — Permulti **) cogitant de statua Caesarum, aut Titi, aut Hadriani, eversis Hierosolymis, (Aelia Capitolina in urbis locum suffecta) in templi diruti solo consecrato collocata. Verum nec haec narratio satis fide digna est, et vix videtur tempus, quo in

---

*) Ex Theodotionis quidem translatione, quam, uti satis constat, Ecclesia in h. libro probavit et recepit. (Hieron. *Praef.* in Dan.: Danielem prophetam iuxta LXX interpretes ecclesiae non legunt, utentes Theodotionis editione: et hoc cur acciderit nescio.) Dan. 9, 27. τὸ ἱερὸν βδέλυγμα τῶν ἐρημώσεων. 11, 31. βδέλυγμα ἠφανισμένων. 12, 11. τὸ βδέλυγμα ἐρημώσεως. — Recte Fritzschius (in *Comm. ad Mtth.*) ad *grammaticum* quidem *sensum* in τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως (re exsecranda vastationis) posterius adiectum censet „vel quod vastat, vel quod vastationem secum fert prius.“

**) Ita PP. graeci Chrysostomus, Theophylactus, Theodoretus, Euthymius al. Ambigit Hieronymus. Confidentius repetiit Schulthessius *d. evg. Lehre v. heil. Abdm.* (L. 824. 8.) p. 23. Hadriani equestrem statuam intelligi persuasus.

medio sacrario constiterat, externi cultus symbolum, fugae aptum, et varietas signi temporumque, ab interpretibus allata, ut alia taceam, non commendabilem reddit interpretationem. Alii non felicius imaginem Caesaris, a Pilato in urbem (non in templum), tumultuantibus Iudaeis, illatam significatam putant *). Alii **) Zelotarum furores, sub aetate urbis interitus late saevientes templumque humano sanguine inquinantes adumbratos credunt. Plurimis ***) vero arrisit, in conspectu habuisse Dominum militaria Romanorum signa, aquilas et vexilla, Caesarum in Divos relatorum imaginibus ornata indeque in religionum symbolis habita, e contrario urbis, in fundo sacrato, templum contra templum posita. Id maxime propter Lucam, vicinum scriptorem, de βδ. τ. ἐ. tacentem, eiusque loco exhibentem v. 20.: ὅταν δὲ ἴδητε κυκλουμένην ὑπὸ στρατοπέδων τὴν Ἱερουσαλὴμ, τότε γνῶτε, ὅτι ἤγγικεν ἡ ἐρήμωσις αὐτῆς credunt aptum fereque necessarium: et antecedente et consequente oratione argumenti ταυτότητα confirmante †). —

*) Huc trahe Hieronymi ad h. l. vv.: „potest autem simpliciter aut de Antichristo accipi, aut *de imagine Caesaris, quam Pilatus posuit in templo*, aut de Hadriani equestri statua, quae in ipso Sancto Sanctorum usque in praesentem diem stetit" Congessit alias PP. sententias Suicer. *Thes.* I. 677.

**) V. Elsner. *Obss.* Wolf. in *Cur.* Koecher. in *Anal.* ad h. l. Provocatur prae ceteris ad Ioseph. *de B. J.* IV. 3. 10, 12. IV. 5, 1. Intrabant Sanctum Sanctorum.

***) Antesignanus Grotius, quem sequitur praeter alios recentiores Schott. l. c. 47. 48. Contra iam disputat Calmet. ad h. l. Hanc explanationem cum antecedente mire coniungit Gratz. *Comm.* ad h. l.

†) Ex falso hermeneutices principio (quod dudum invasit invaditque ll. ss. interpretationem, recte castigatum a Fritzschio ad h. l.) Lucas, qui ne memoravit quidem Danielitica verba, sumitur interpres

Equidem firmissime persuasum teneo, *Critico* nihil nisi hoc certum esse, *oraculum Daniéliticum h. tempestate Messianum esse habitum indeque in h. oratione Messiana appositum.* At reliquit in obscuro Christus, maneat ergo obscurum! Eoque magis, quod non constat de more enodandi et applicandi h. vaticinium, hoc tempore in scholis doctoribusque recepto *).

Τὸ ῥηθὲν διὰ Δανιὴλ τοῦ προφήτου omissum a Marco eiusque textui male illatum a nonnullis subsidiis, et apud Matthaeum glossema habetur vel Evangelistae vel interpretis graeci (?) **) et in praestantibus desiderari monumentis certum est. At esto excitatio spuria, Danieliticam repeti imaginem, Antiochinae calamitati adaptatam, nullo pacto dubitandum. Dan. 9, 26. 27. Ἑστὼς (recte Fritzschius correxit ex auctoritate Cdd. ἑστὸς, quandoquidem ad aliud ***), quam ad τὸ βδ. τ. ἐ. referri per nexus necessarias leges nequit) ἐν τόπῳ ἁγίῳ Mtth. ὅπου οὐ δεῖ Mc. Uti de βδ. τ. ἐ. *ore Christi* prolato deserunt nos certa interpretationis indicia; ita nihil mirandum, de ipso illo τοῦ loci sancti titubare sententiam: aliis templum, aliis urbem, aliis agrum solumve Hierosolymi-

Marci atque Matthaei. Is *seorsum* literis mandavit orationem Messianam, *seorsum* legendus et interpretandus, ubi a Duumviris non verborum tantum conformatione et ordine, sed rei ipsius descriptione discedit.

*) Ad analogiam sensus *localis* Danielitici vaticinii possis informare animo signum Messianum (Messiaspannier, Messiassignal), excidium urbis reique sacrae praesagiens. *At h. e coniectura dico.*

**) A Schotto p. 49.

***) Absurde ad Danielem quis retulit, non alio haud dubie consilio, quam ut lectionem ἑστὼς tueretur, unde ab aliis non maiore fortuna cum ὁ ἀναγινώσκων iunctum est voc. Verum iam videre antiquiores. V. Wolf. *Cur.* ad h. l.

tantum, aliis denique Iudaeam, (per progressum ab arctiore ambitu ad ampliorem) indicata credentibus. At cum de priore non constet, ob rei naturam desperandum de posterioris evidentia, nihilque certum, quam subesse Dan. 9, 27. *). VV. Ὁ ἀναγινώσκων νοείτω, quamvis recte uncis includantur, nulloque pacto in apodosi posita possint indicari, non est quod statuamus, continere non Iesu ad auditores ad attentiorem Danielitici loci lectionem provocandos **), sed Matthaei Marcique ad lectores suos ad perpendendam Christi vocem excitandos monitum. Provocat orator ad lectionem et, quod credi fas est, interpretationem oraculi Danielitici aequalibus familiarem. Non accurate confertur ex Dan. 9, 25. καὶ γνώσῃ καὶ διανοηθήσῃ ***). — Iam in apodosi consentiunt Triumviri, ut h. antegressa portenta vastationis praenuntia in celerrimae fugae signis ponantur: Mtth. v. 16—19. τότε οἱ ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ φευγέτωσαν ἐπὶ τὰ ὄρη· (cogita cavernas montanas, quibus referta Palaestina, forsitan [quod Grotio debeo] non sine apto respectu ad Lothi fata) ὁ ἐπὶ τοῦ δώματος (scilicet, ut fugam ex altero orientali tecto in alterum transiliens ad moenia summa celeritate perficiat), μὴ καταβαινέτω (per

*) Ex Luc. 21, 20. rursum colligi cum Schotto p. 48. nequit, de βδ. τ. ἐ. in templo locato sermonem esse non posse, quod ibi ad eversionem urbis paratus describatur accessisse exercitus. Nam is Evangelista suo modo rem informavit et nomen ipsum, de quo quaeritur, suppressit.

**) Apte post Wolfium Gratzius (*Comm.* ad h. l.) contulit acclamationem Iesu: ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω! Adde, *eius generis notas non rebus gestis, sed orationibus Christi insertas in Synopticis fere non recurrere.*

***) Theodot. καὶ γνώσῃ καὶ συνήσεις. Fit hoc, Grotio duce, sed ex alio h. sunt genere.

aralem interiorem) ἆραι τὰ (expellat τι) ἐκ τῆς οἰκίας αὐτοῦ· καὶ ὁ ἐν τῷ ἀγρῷ (tunica indutus leviore), μὴ ἐπιστρεψάτω ὀπίσω (non domum, sed ad agri locum, quo pallium deposuit) ἆραι τὰ ἱμάτια αὐτοῦ. Οὐαὶ δὲ ταῖς ἐν γαστρὶ ἐχούσαις καὶ ταῖς θηλαζούσαις ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις *)! Mc. v. 14—17. τότε οἱ ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ φευγέτωσαν εἰς τὰ ὄρη· ὁ δὲ ἐπὶ τοῦ δώματος μὴ καταβάτω εἰς τὴν οἰκίαν· μηδὲ εἰςελθέτω ἆραί τι ἐκ τῆς οἰκίας αὐτοῦ· καὶ ὁ εἰς τὸν ἀγρὸν ὢν, μὴ ἐπιστρεψάτω εἰς τὰ ὀπίσω, ἆραι τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ. Οὐαὶ δὲ ταῖς ἐν γαστρὶ ἐχούσαις καὶ ταῖς θηλαζούσαις ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις. Luc. v. 21—23. τότε οἱ ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ φευγέτωσαν εἰς τὰ ὄρη· καὶ οἱ ἐν μέσῳ αὐτῆς (urbis), ἐκχωρείτωσαν· καὶ οἱ ἐν ταῖς χώραις, μὴ εἰςερχέσθωσαν εἰς αὐτήν. Ὅτι ἡμέραι ἐκδικήσεως αὗταί εἰσι, τοῦ πλησθῆναι πάντα τὰ γεγραμμένα. Οὐαὶ δὲ ταῖς ἐν γαστρὶ ἐχούσαις καὶ ταῖς θηλαζούσαις ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις· ἔσται γὰρ ἀνάγκη μεγάλη ἐπὶ τῆς γῆς καὶ ὀργὴ τῷ λαῷ τούτῳ (Iudaeis primum instat iudicium!). In hac vivida imagine communis trepidationis, fugae, fugae impedimentorum prophetica et fere poetica ubertas eo redit, ut in summo instante urbis periculo commendetur properatio tanta, ut viae insistatur, incolumitati consulatur, non rei familiari, non extremae necessitati subveniatur. In singulis ob h. ipsam orationis indolem non haerebis. Deserendae ab omnibus Hierosolymae, suis linquendae fatis. Interpretationes ex historiis, de exercitu Romano, moenia cingente, fugam iubente, cet. et ieiunae, et parum habiles.

Mtth. v. 20—22. Προςεύχεσθε δὲ (in votis

*) Euthymius: τῶν μὲν, διὰ τὸν ἐντὸς φόρτον, τῶν δὲ, διὰ τὸν ἐκτὸς οὐ δυναμένων εὐκόλως φυγεῖν.

habeto; vestrae salutis causa), ἵνα μὴ γένηται ἡ φυγὴ ὑμῶν (adeo properanda fuga vestra) χειμῶνος (quod foret *naturale* impedimentum, inter salebrosas pluviarum copiis effusis Palaestinae semitas), μηδὲ σαββάτῳ. (Reiice cum optimis Criticis et σαββάτου, quae est conformatio ad χειμῶνος, et ἐν σαββάτῳ, quod sapit glossema: et in mentem revoca Rabbinorum praeceptum, bis mille cubitorum spatium [σαββάτου ὁδός. Act. 1, 12.], salva religione, per civitatis suburbana, festo sacratoque die ambulando emetiri aequa, quae visa esset, definitione concedentium. Plura lege ap. Wetsten. ad h. l. quem plurimi sunt secuti. Addebant Iudaeorum magistri multi, at non omnes, regulam „vitae periculum tollere sabbatum" fasque esse pronuntiabant, hostilem vim inter sacrum otium ab urbis moenibus profligandi. Fundus rei inest in Ex. 16, 29. ubi Israelitae die sabbati extra castra vetantur Manna colligere, quocum coniunxerunt Num. 35, 5. Ios. 3, 4. [Pessime ceterum de die Dominico more Sabbatico cogitatum est. Wolf. *Cur.* ad h. l.] At hoc *civile* impedimentum, ne iudaicis quidem doctoribus satis grave visum, Christi persona, si quid video, non dignum. Hunc enim novimus sabbatum propter hominem institutum, non hominem sabbati causa creatum dixisse, et maiorem sabbato Messiam. *Et in hac ipsa oratione rei se Iudaeorum sacrae destructorem Messiana auctoritate professus est.* In his igitur talibus videmur habere Matthaeum, non Iesum, et exseruit se, si alibi unquam, nunc profecto iudaizans scriptoris ingenium, quod hodie a nonnullis inculcatum est, saepiusque alieno loco obtrusum. *Praesertim Marco in tanta orationis similitudine h. v. sicco pede transeunte.*) Ἔσται γὰρ τότε θλίψις μεγάλη, (Nexum ita constitue: Et intere-

rit expeditissima via hostique fugiant, nulla enim unquam exitiosior calamitas.) οἵα οὐ γέγονεν ἀπ' ἀρχῆς κόσμου ἕως τοῦ νῦν, (Temere suadet Fritzschius supplere κόσμου, quod et minime necessarium est, cum facilius expediatur per: tempus praesens, *das Jetzige*, der Kreis der Gegenwart, et refutatur Marci l. paral., quem non respexerat interpres, ἀπ' ἀρχῆς κτίσεως, ἧς ἔκτισεν ὁ Θεὸς, ἕως τοῦ νῦν, ubi ex antecedd. κόσμου repeti nequit.) οὐδ' οὐ μὴ γένηται. (Proverbialis loquutio, quam cave ne cum antiquioribus nonnullisque recentioribus interpretibus ad belli Iudaici historias anxie referas, Zelotas, sicarios, Zelotarum duces, in urbem compulsos mutuaque caede trucidatos cet. Multo enim diriora et sanguinolentiora vidit posterior aetas, videre nostra tempora! Ceterum subest *forsitan* et hoc: non fuit unquam nec *redibit* tanta clades publica, nam *aeterna* ab horum fine malorum *beatitas Messiana*.) Καὶ εἰ μὴ ἐκολοβώθησαν αἱ ἡμέραι ἐκεῖναι, οὐκ ἂν ἐσώθη πᾶσα σάρξ (Disertissima negatio ex notissimo Hebraismo in לא כל, nemo unus servabitur.), διὰ δὲ τοὺς ἐκλεκτοὺς (Deo cari, eximie probi, indeque et a Messia in deliciis honoreque habiti et in publicam praemiorum lucem producendi, similiter v. 24. 31.; nondum *Christiani:* is enim quasi technicus voc. usus in epistolis primum Apostolorum [ut Rom. 8, 33. Tit. 1, 1. al.] emersit indeque ad PP. libros manavit. Ad *rem* vero aptissime monuit Paulus, quem assensu suo probant Gratzius Fritzschiusque, belle conferri V. T. historias (Gen. 18, 23 sq.), per quas piorum hominum causa narrentur ab improbis aversae calamitates publicae. Ceterum et haec, quod exspectabatur, interpretes ad Vespasiani Titique in obsidendis Hierosolymis posita studia et ad expugnationem urbis citius ex-

spectatione perfectum nimis sedulitate [illegible].) κολοβωθήσονται αἱ ἡμέραι ἐκεῖναι. Mc. v. 18 sq. in summa rei consentiens cum antecessore: προσεύχεσθε δὲ, ἵνα μὴ γένηται ἡ φυγὴ ὑμῶν χειμῶνος. Ἔσονται γάρ αἱ ἡμέραι ἐκεῖναι θλῖψις μεγάλη, οἵα οὐ γέγονεν ἀπ' ἀρχῆς κτίσεως, ἧς ἔκτισεν ὁ Θεὸς, ἕως τοῦ νῦν, καὶ οὐ μὴ γένηται. Καὶ εἰ μὴ κύριος ἐκολόβωσε τὰς ἡμέρας, οὐκ ἂν ἐσώθη πᾶσα σάρξ· ἀλλὰ διὰ τοὺς ἐκλεκτοὺς, οὓς ἐξελέξατο, ἐκολόβωσε τὰς ἡμέρας. Luc. v, 24. magis generatim: καὶ πεσοῦνται στόματι μαχαίρας καὶ αἰχμαλωτισθήσονται εἰς πάντα τὰ ἔθνη· καὶ Ἱερουσαλὴμ ἔσται πατουμένη ὑπὸ ἐθνῶν, ἄχρι πληρωθῶσι καιροὶ ἐθνῶν. (Ibi describuntur exterae gentes irae divinae instrumentum in Iudaeos donec his malis finis adfuerit iudicio ab exteris subeundo. *Duplex* igitur discretum puta tribunal Messianum!)

Mtth. v. 23. Τότε (inter h. summa discrimina) ἐάν τις ὑμῖν εἴπῃ· (quod saepe fiet) ἰδοὺ, ὧδε ὁ Χριστὸς, ἢ ὧδε· (in diversas partes studiaque scindendo vulgum) μὴ πιστεύσητε. Ἐγερθήσονται γάρ (ad vim accedent fraudes praestigiaeque) ψευδόχριστοι καὶ ψευδοπροφῆται (horum arrogantiam ore diserto adiuvantes) καὶ δώσουσι (*edent*, non *promittent*; id quod posterius inepte ab his, qui ad *eventum* respiciendum censebant, suadetur. Perverseque provocatum est ad 1 Tim. 1, 9. in quo l. nihil nos cogit a nativa potestate verbi recedere.) σημεῖα μεγάλα καὶ τέρατα (*ea igitur vix in* κριτηρίοις *veri prophetae!*), ὥστε πλανῆσαι, εἰ δυνατὸν (nam h. difficillimum!) καὶ τοὺς ἐκλεκτούς. Ἰδοὺ, προείρηκα ὑμῖν. (Ne vos rerum futurarum ignoratione excusetis, εἰς τὸ εἶναι ὑμᾶς ἀναπολογήτους. Rom. 1, 20.) Ἐὰν οὖν εἴπωσιν ὑμῖν· ἰδοὺ ἐν τῇ ἐρήμῳ ἐστί· (in deserto loco, ut colligat se-

ctatores) μὴ ἐξέλθητε· ἰδοὺ, ἐν τοῖς ταμείοις· (Al. ταμιείοις; in penetralibus, conclavi, coenaculo.) μὴ πιστεύσητε. Ὥσπερ γὰρ ἡ ἀστραπὴ ἐξέρχεται ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ φαίνεται ἕως δυσμῶν, οὕτως ἔσται καὶ ἡ παρουσία τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου. (In imagine fulminis, ad Messianum adventum translata, tria tenenda: notio celeritatis, repentinae apparitionis, latissimi et apertissimi conspectus. Sensus primarius: Messias lucem non fugiet, nec in angulis clandestinisve locis, conquirens undequaque sectatores, delitescet. In oculos occurret omnium Χριστοφανεία. Tene acrem ἀντίθεσιν cum eorum rationibus, qui Messianam dignitatem falso iactant. Vix credas in tanta collationis perspicuitate, fuisse interpretes, qui haec ad *invisibilem* Christi adventum referrent, nisi saepissime in sacrorum interpretatione voluminum discendum esset, in gratiam opinionum non exegeticarum, sed dogmaticarum ex omnibus omnia esse facta.) Ὅπου γὰρ ἐὰν ᾖ τὸ πτῶμα, ἐκεῖ συναχθήσονται οἱ ἀετοί. (Ubi enim iacet cadaver, ibi congregabuntur vultures, non aquilae, quae ab h. esu abstinent, uti pluribus docent naturae scrutatores; at a veteribus scriptoribus nonnullis parum accurate aquilarum genere comprehensi vultures *). In promtu est, proverbialem enuntiationem adesse. In qua nunquam omniumque minime in Orientalibus libris ad singulorum verborum vel castam vel indecoram potestatem iudicium regendum est, sed de universae similitudinis vi quaerendum. Huius regulae memor generalem sensum h. esse concedet: *ubi occasio est, aliqua re utendi, ad aliquod commodum accedendi, ibi non desunt, qui iis utuntur.* Iam duplex ostenditur h. sententiam ad nostrum nexum

*) Winer. *RW.* I. 17.

referendi ratio. Vel enim, quod nemo adhuc vidit, trahendum ad falsos prophetas et hos, qui temere Messianam dignitatem iactant, quorum v. 26. desierat demum mentio h. s.: *ubi adsunt, qui se decipi patiuntur, non fere desunt deceptores*; vel, quod cum Fritzschio praefero, ob maiorem connexae orationis facilitatem, et adiectum γάρ, causam novam indicans, quare non fidendum sit praestigiis fraudatorum, clandestinum Messiae adventum praedicantium, h. m.: *ubi aderit Messias, non deerunt, qui ad eius se partes conferent*; nimini occultus erit adventus, vel ob sectatorum coronam, latera cingentem. Non laedetur h. m., qui et orientalium adagiorum liberius rerumque naturae propius ingenium penitius intuitus fuerit, et nostri sensum aevi non alieno loco immiscuerit. Supersedemus igitur multis multorum conatibus, vel ad allegorias (Grotius) vel ad historias proximo eventu ratas factus provocantium, quorum illud vulgatissimum est, ut πτῶμα Hierosolymas remque publicam Iudaeorum, exitio consecratas, ἀετοὺς signa Romanorum militaria credas, aliis sub cadavere homines poena dignos, sub vulturibus poenam, tempore Messiae subeundam, intelligentibus, aut per cadaver pios, per aquilas Christum significata arbitrantibus cet. *)) Respondet Mc. v. 21 — 23. contrahens sermonem: καὶ τότε ἐάν τις ὑμῖν εἴπῃ· ἰδοὺ, ὧδε ὁ

*) V. longam disputationem Schotti p. 62—71. et obsoleta antiquiorum commenta ap. Wolf. in *Cur.* Koecher. in *Anal.* ad h. l. — Ad v. ψευδοχρίστους non miraberis Ionathanem Cyrenaicum, Barchochebam Galilaeum, Aquilam, (aetatis Hadrianae utrosque) Aegyptium hominem, Cyprium, Cretensem aliosque impostores studiose quasi de inferis excitatos, *quorum minime omnes ante eversam urbem prodiere.*

Χριστός, ἢ ὧδε· ἰδοὺ ἐκεῖ· μὴ πιστεύετε. Ἐγερθήσονται γὰρ ψευδόχριστοι καὶ ψευδοπροφῆται, καὶ δώσουσι σημεῖα καὶ τέρατα, πρὸς τὸ ἀποπλανᾷν, εἰ δυνατὸν, καὶ τοὺς ἐκλεκτούς. Ὑμεῖς δὲ βλέπετε· ἰδοὺ, προείρηκα ὑμῖν πάντα. Mtth. v. κθ. Εὐθέως δὲ μετὰ τὴν θλίψιν τῶν ἡμερῶν ἐκείνων ὁ ἥλιος σκοτισθήσεται καὶ ἡ σελήνη οὐ δώσει τὸ φέγγος αὐτῆς καὶ οἱ ἀστέρες πεσοῦνται ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ, καὶ αἱ δυνάμεις τῶν οὐρανῶν σαλευθήσονται. Mc. v. κδ. κε. Ἀλλ' ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις μετὰ τὴν θλίψιν ἐκείνην, ὁ ἥλιος σκοτισθήσεται, καὶ ἡ σελήνη οὐ δώσει τὸ φέγγος αὐτῆς, καὶ οἱ ἀστέρες τοῦ οὐρανοῦ ἔσονται ἐκπίπτοντες, καὶ αἱ δυνάμεις αἱ ἐν τοῖς οὐρανοῖς σαλευθήσονται. Quo propior instabit Messiae adventus, eo erunt diriora, funestiora, et maiora signa in rerum naturae praenuntia. Obvelabitur sol, splendorem suum amittet luna (utramque de solis lunaeque defectu vulgo explicant, in miraculis antiquitus, imo per mediam, quae vocatur, aetatem nostros inter maiores habita, alii de terrae motu cogitant, solis lunaeque obscuritatis causa, parum perpendentes, eius ne levissimum quidem vestigium in oratione adesse. cl. Apc. 6, 12. *) Magis eo inclinarim, ut putem, ex popularitate sermonis h. ita aestimanda esse, ut non de aliquo φαινομένῳ, subinde conspecto, et redituro, *sed in re extraordinaria de extraordinario signo cogites*: quod quo pacto fieri possit, non dixit naturae rerum scrutator, sed propheta.) et praecipites de coelo decident stellae (conferunt nostrum: Sternschnuppen, et concedendum est, eius generis species huic dicendi generi ansam dedisse. At et nunc grandius quiddam mihi subesse videtur,

*) Uti recte monuit Fritzschius ad h. l.

ut in summa orbis confusione sidera de coelis decidere dicantur. Male contulerunt, ut v. πίπτειν significatum evanescendi, de amisso splendore, vindicarent, Rom. 9, 6. 1 Cor. 13, 8. ubi et ἐκπίπτειν legitur et ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ non legitur.) et potestates coelorum (corpora coelestia, quasi στρατιὰ ἐπουράνιος, צבא השמים Deut. 17, 3. Zeph. 1, 5. et Ies. 34, 4. ψ. 33, 6. 2 Chron. 33, 5. ap. LXX. non genii coelestes, non angeli) concutientur, de sede sua movebuntur. (non: perturbabuntur, perterrefient, de angelis, quod et in nexui parum foret aptum et requireret ad perspicuitatem dicendi generis ad v. σαλεύεσθαι ἀπὸ τοῦ νοὸς (cl. 2 Thess. 2, 2.) vel simile quid. Et si offenderis generali mentione coelestis exercitus post solis lunae siderumque singularem memoriam, nec credis ex ubertate propheticae orationis excusationem habere, transfer, nativam voc. potestatem penitius urgens: Himmelsmächte, ita ut omnem vim rerum coelestium invisibilem fortissima voce comprehensam existimes. (non = coelos potentes, robustos.) Sensus, ut brevi dicam: die himmlischen Kräfte werden aus ihrer Ordnung gerissen, erschüttert, werden verrückt werden. — In rei summa non dissentit Lucas, qui maris undas in societatem communis perturbationis vocat, v. 25. 26. καὶ ἔσται σημεῖα ἐν ἡλίῳ καὶ σελήνῃ καὶ ἄστροις, καὶ ἐπὶ τῆς γῆς συνοχὴ ἐθνῶν ἐν ἀπορίᾳ, ἠχούσης θαλάσσης καὶ σάλου, ἀποψυχόντων ἀνθρώπων ἀπὸ φόβου καὶ προσδοκίας τῶν ἐπερχομένων τῇ οἰκουμένῃ· αἱ γὰρ δυνάμεις τῶν οὐρανῶν σαλευθήσονται. — Quaesitum est et antiquitus et hodie, an haec malorum portentorumque in reditu Messiae expectandorum descriptio *proprie* an *tropice* sit percipienda? Qui hoc statuunt, his incumbit onus probandi. Nam ubi nulla vestigia ad-

sunt, vel e nexus legibus, vel e grammaticis caussis, vel ex historiis, quibus *proprie* orationem explanare vetamur; ad tropum et allegorias confugere nunquam licitum censebit idoneus sobriusque interpres. Et si quis diligentius investigare volet, deprehendet, dogmaticas causas esse, quae ad hoc refugium saepe inscios compellant. Id si ad has nostras rationes retuleris, non est, quod te cogat, a *propria* interpretatione recedere. Nam tum de iudiciis Iovae, in hunc illumve populum aut terrae tractum exercendis, simillima sit paene ad verba singula in V. T. adumbratio, quam non possis nisi arbitrio tuo et contra prisci aevi simplicitatem detorquere ad allegoriam, quid in iudicio Messiano, quod ipsum Dei est, et omnium extremo et maximo alium, nisi fortiorem et augustiorem putabis sermonem decere? Cf. Ies. 13, 9. 10. 13. Ez. 32, 7. 8. Ier. 4, 23. Ioel. 3, 3 sq. Amos 8, 9. Mich. 3, 6 sq. Praesertim quum h. de adventu Sospitatoris persuasio receptis h. aetate inter Iudaeos sententiis adnumerari probabiliter possit. Bertholdt. *Christol.* 45 sq.

Sed maiores turbas excitavit voc. εὐθέως, soli Matthaeo usurpatum, s. quaestio de *tempore*, quo h. naturae φαινόμενα, Messiani adventus praenuntia, in oculos omnium incurrant. Nihil facilius esset ad respondendum, nisi dogmatizantes theologi ad huius sacrae paginae interpretationem accessissent. Post eversionem templi urbisque, post devastationem terrae Iudaicae et multorum fraudes, verbo, μετὰ τὴν θλίψιν τῶν ἡμερῶν ἐκείνων, maiora etiam instabunt; nam Messiae proximi adventus a rerum natura, solitam faciem exuente, celebrabitur. Nihil adest, quod orationis aequabilitatem interpellet, quod de argumenti unitate dubitare legentes cogat, quod sermonem Christi ab Hierosolymorum excidio proxime ex-

spectato, et indicato ad multorum millium annorum intervallum traductum ullo probabili indicio ostendat. Imo si in voculae *εὐθέως statim, brevi,* et solita et idcirco unice firmata potestate acquiescendum putatis (id quod ab omnibus theologis, quamvis saepe in Grammaticis negligentioribus, lubentissime factum esset, nisi rei vis iusset obstare difficultas), supersedebis in re expeditissima inani disceptatione. At intempestivus ad *eventum* respectus! rursum decepit animos *).

*) In qua re lectu dignissima sunt verba Schulzii l. c. p. 338. 339.: „Zweierlei verschiedne Meinungen über die in obgedachten Abschnitten der Evangelien befindliche Weissagung Christi sind bekanntlich am meisten herrschend geworden: die *eine,* dass von seiner Ankunft zum *einstigen allgemeinen Weltgericht,* die *andere,* dass von der *Zerstörung Jerusalems* und somit von dem Untergange des Judenstaates, so wie der ganzen Mosaischen Oekonomie die Rede sey, also die dem jüdischen Volke bevorstehenden Strafen geschildert seyen. *Offenbar ist weder mit der einen noch mit der andern Annahme allein auszukommen.* Daher haben viele Ausleger Zuflucht gesucht und zu finden vermeint in der Vermischung beider jener Annahmen, und behaupten, *Einiges* in diesen Weissagungen nehme Hinsicht auf die Zerstörung Jerusalems, *Anderes* auf das einstige Weltende. Was im Text für jenen Fall am besten zu passen scheint, wird dorthin, was sich mit diesem leichter reimen will, hierher gerechnet. Doch waltet auch hier wieder bei der Vertheilung der einzelnen Stellen nach dem angegebenen Gesichtspunkte bei den verschiednen Interpreten grosse Verschiedenheit ob. Der Eine lässt die *Zerstörung* bis zu diesem, der Andere bis zu einem andern Abschnitte walten. Bei diesem beginnt das *Weltgericht* (zugleich ein grausames *Textesgericht* hier!) früher, bei jenem später. Und weil der gemachten Eintheilung zum Trotz doch noch immer widerstrebende Stellen mitten im Zusammenhange der Abschnitte, die einerseits blos vom jüngsten Gericht, andrerseits blos von Jerusalems Zerstörung handeln sollen, hervortreten wollten, so sahe sich die einmal begonnene Willkühr genöthigt, noch weiter zu

Nam tum in sqq. Messiae, Sospitatoris, de coeli partibus in has terras reditus, coelestium apparitioni signorum adnectatur, quasi res portentis significata, cui dira et funesta omnia, quae praecesserint, quasi maximo eventui praelusissent; neque tamen, praeter Hierosolymorum ruinam agrique vicini depopulationem, ullo pacto h. vaticinium ex historiis sit comprobatum, Christi maxime visibilis reditus ad h. diem exspectetur: maluerunt contra Grammaticam ἀκρίβειαν nexusque disertiores leges peccare, quam quid vere insit textui, quem ad nostram aetatem Numen

---

gehen, und bei einzelnen Versen wieder Ausnahmen von der oben gesetzten Regel zu machen; wie denn in allen Dingen willkührliches, vom rechten Wege ablaufendes Verfahren, das man nur einmal sich erlaubt hat, unausbleiblich mehrere Fehltritte und Fehlgriffe nach sich zieht. Nichts darf uns hier bewegen, nichts kann uns berechtigen, *das in den Darstellungen der Evangelien in Eins Verbundene nach Gutdünken zu trennen;* so wenig als das Verschiedene und Dissonirende durch unberufene eigenmächtige Künsteleien zur Einheit und scheinbaren Harmonie zu bringen. Klar muss aber jedem unbefangenen und sprachkundigen Leser der Evangelienbücher werden, *dass ihre Verfasser das unglückliche Ende des strafbaren Judenthumes, insbesondere des prophetenmörderischen und antichristlichen Jerusalems, die παρουσία τοῦ κυρίου und die συντέλεια τοῦ αἰῶνος, mit einander verbunden gedacht und in ihren Darstellungen fast identificirt haben.* Dabei hat der Interpret zu bleiben; auf Einwendungen und Schwierigkeiten, die sich von heutigen Standpunkten und modernen Einsichten aus machen lassen, nicht zu achten." — Similiter is idem Vir egregius in l. *d. chr. Lehre v. h. Abendm.* p. 316. de Matthaeo scribens. „Ebenso die Schilderung der Parusie und der letzten Dinge Kap. XXIV. und XXV., wo nur die Willkühr oder Gewalt widernatürliche Einschnitte und Absonderungen *des vom Verfasser absichtlich zu einer Ganzheit Verbundenen* vorzunehmen im Stande seyn möchte."

voluit pervenire, simpliciter et videre et dicere. Duplex inprimis celebrata sententia est. Aut sequentem descriptionem de adventantis Messiae pompa *tropice* percipi iusserunt, de victrice causa christiana et evangelico praeconio latissime propagato, ut Iesus quasi praesens adesse suis dicatur; aut aliis artificiis, mira sed mala sollertia, usi, h. perpetuitate argumenti recte cohaerentem sermonem in duas partes ita dissecuerunt et fere dilacerarunt, ut rem futuram, sub finem humanarum rerum in praesentem vertendam, prophetico ore adumbratam et adhuc integram sibi persuaderent descriptam a v. 29. —

Omnino qui alterutrum statuendum esse praecipiunt *); *aut* formulas esse poeticas, rerum publicarum perturbationes eversionesque indicantes (quae ratio interpretationi *allegoricae* finitima est), *aut* eventa etiamnum exspectanda, ex πρώτῳ ψεύδει agunt. Nam *tertium* est, ut, quod diximus, perpetuitate argumenti connexam et ad unitatem temporum referendam credas orationem Messianam, *proprie* prolatam, *proprie* explanandam, cui notiones hac aetate de adventu Sospitatoris inter aequales receptae subsint, in qua secundum leges ab usu linguae et historiis petitas, item rectas, item honestas, item aeterna necessitate menti humanae insitas explicanda non decet interpretem *ad eventum* respicere, et *veritati exegeticae* ob posteriorum aetatum opiniones vim inferre **). At ne videamur obiter officio defuncti,

*) Schott. l. c. 84.

**) Ludunt re et verbis, veraque leges hermeneuticas ignorant, qui sensum inter *tropicum*, et *ex parte tropicum, ex parte literalem* distingui volunt. Rectissime Schulzius (l. c. 539.): „Ein Unterschied zwischen *ganz eigentlich* und *etwas uneigentlich* u. a. w. kann nicht zugestanden werden.“

in re tantis agitata litibus, potissimas afferemus explicationes, quibus dogmaticis sententiis prospectum est, breviter et recensebimus et diiudicabimus *).

I. Nonnulli (Hammondus, Olearius, Koethius al.) voculam εὐθέως non sqq. μετὰ τὴν θλίψιν τ. ἡ. ἐ. sed remotioribus ὁ ἥλιος σκοτισθήσεται cet. ad sensum proximo adnecti praecipiunt transferrique: post h. calamitatem (inserunt: *aliquando*, tacita mente supplendum, ut *certi temporis definitio* absit) *subito*, *improviso* sol obscurabitur cet. Afferunt Mc. 5, 29. 42. quibus in ll. voc. εὐθέως h. insit potestas, Luca in eadem causa (8, 44. 55.) παραχρῆμα ponente. Verum negligunt, h. vim non *solam* inesse, imo notioni *primariae* (in qua est constans respectus ad aliquid, quod antecessit tempore) adiunctam, non tantum in N. T. volumine, sed item apud probatos Graeciae scriptores. Praeterea vv. collatio insolita contra h. explanationem facit, ex qua exspectares iure tuo εὐθέως ante ὁ ἥλιος cet. **)

II. Alii (Scheibelius, Jachmannus v. Schott. p. 90.) voc. εὐθέως (mira libidine!) nolunt urgeri in sermone prophetico-poetico (ex hoc enim, quod in deliciis est, nomine turpes errores et maxima interpretationis artificia excusantur) et argumenta immenso temporis intervallo distincta h.

---

*) Nobiscum consentiunt Bauerus, Hartmannus, Keilius, Bretschneiderus (v. recensum ap. Schott. p. 94.), Schulzius, nupere Fritzschius et alii. Add. de Ammon. bibl. *Theol.* II. 372. III. 264 sq.

**) Non recte Schottius (p. 90.) ut h. insolentiam excuset, provocat ad Mc. 5, 36. ὁ δὲ Ἰησοῦς εὐθέως ἀκούσας τὸν λόγον λαλούμενον, λέγει cet. Nam ibi maxime dubitandum est, εὐθέως ad λέγει pertinere, imo cum ἀκούσας copulari probabiliter potest.

verbulo recte tanquam *mox futuri* coniungi asserunt. Notionem, *certo* eventurum esse, de quo sit sermo institutus, praevalere. — Haec talia vix egent seria refutatione *). Proximum est lepide in gravi re dictum Glassii **), εὐθέως ad Dei mentem revocantis, coram quo mille annorum instar diei sit. ψ. 90, 4. (cl. 2. Petr. 3, 8.)

III. Non melius cessit, quae tentata est ***), discretio v. 29. et 30. hunc in finem, ut quae v. 29. describuntur ostenta, declarandae eversioni urbis, cladi Iudaicae, et aliarum aequalium gentium fatis depingendis, poetice et allegorice inservire dicantur, v. autem 30. ad rem *tempore* et *argumento* diversam pertineat. Nam ea ipsa interpretatio allegorica commentitia est, et v. 29. 30. *nexu arctissimo* continentur, et quae v. 29. proferuntur signa, adventus Messiani v. 30. descripti certissime praenuntia sunt, denique haec vv. *gravius* eventum *post* urbis excidium et praeparant et ante mentis oculos ponunt.

IV. His, quos primo loco posuimus, interpretibus eatenus se adiunxit Schottus †), ut εὐθέως non quidem ex Graecorum usu: *subito*, *in*-

*) Uberius tamen contra disputavit Schott. p. 90. 91. qui recte ostendit: Ies. 46, 13. 51, 5. Dan. 9, 27. Mal. 3, 2. Ioel. 3, 6. pariter ut Ies. 60, 22. 5, 26. Deut. 32, 35. nostro l. conferri non posse; quod accuratius inspecta nihil probent. Item ἐν τάχει, ταχύ Apc. 1, 1. 22, 6. 7. 12. 20. ex alio genere est.

**) Ap. Koecher. *Anal.* ad h. l.

***) Thiess. *n. krit. Comm. üb. d. N. T.* I. 318.

†) l. c. p. 98 sq. ibidem iure reiecta coniectura Weberi; scribentis contra Cdd. suffragia: συναχθήσονται οἱ ἀστοὶ εὐθέως. Μετὰ δὲ cet. Nihil sustentari sententiam supra positam a Londinensium Iudaeorum, quam attulit, versione: ופתאם אחרי צרת האלה הימים concedetur.

opinato, ex improviso denotare velit, sed tamen in hebraico Matthaei volumine ita scriptum esse existimet (בְּפֶתַע פִּתְאֹם v. לְפֶתַע v. בְּפֶתַע v. פִּתְאֹם). Id perperam perceptum a translatore libri graeco, et pro eo, quod decuisset poni, ἐξάπινα, παραχρῆμα, ἄφνω, ἐξαίφνης, minus accurate electum: εὐθέως. Similiterque factum esse ab Alexandrinis in l. Iob. 5, 3. *). *Modum* igitur, non *tempus* adventus Christi dici. — Ea sententia, ut alia non addam, hoc praesertim nomine repudianda, quod, ut valeat, coniectura coniecturae superstruenda est. Nam a. de Matthaei hebraico exemplo contra antiquitatis testimonium, multis non fide dignum visum, acriter certant homines docti, et sub iudice lis est, sero aut nunquam dirimenda, b. errasse translatorem Graecum in convertenda Christi voce, sumitur, non probatur, nec potest probari. Vix enim in alia re N. T. critica magis indulsere genio et arbitrio nostrae aetatis nonnulli magni nominis Critici, Matthaei hebraici fautores, quam in indagandis aperiendisque ἑρμηνεύτου Graeci erroribus, in quo genere nec modus fuit inventioni, phantasiae, acumini liberius exspatianti; nec, in defectu hebraici exempli, κριτήριον adest, quo coniecturandi libido regatur. c. Ceterum ne solidum quidem quidquam in h. translatione lucrum. Nam etiamsi tenueris, non continuo argumentum, ab orationis perpetuitate et connexione repetitum vi sua privatum est. Res enim a v. 29. descriptas, tam plana, tam facili formula antecedd. annexas (μετὰ τὴν θλίψιν τῶν ἡμερῶν ἐκείνων) ingente temporis spatio ab excidii urbis aetate distinendas esse,

---

*) Postremum iam monuit Olearius. V. Wolf. Cur. I. 350.

perspicuo apud audientes, ut hodie apud legentes, indigebat *indicio*; quo cum destituamur, cautius agunt, qui a *saltu exegetico*, quem dogmaticae scilicet rationes suasissent, abstinent, et in simplici fructu lectionis evangelicae acquiescunt. — Alia vero vetustate obsoleta super h. l. ἀλληγορήματα et mystica commenta iure huius aetatis praetermitto *). —

Mtth. v. 30. καὶ τότε φανήσεται τὸ σημεῖον τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῷ οὐρανῷ· καὶ τότε κόψονται πᾶσαι αἱ φυλαὶ τῆς γῆς, καὶ ὄψονται τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐρχόμενον ἐπὶ τῶν νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ, μετὰ δυνάμεως καὶ δόξης πολλῆς. Mc. v. 26. καὶ τότε ὄψονται τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐρχόμενον ἐν νεφέλαις, μετὰ δυνάμεως πολλῆς καὶ δόξης. Lc. v. 27. καὶ τότε ὄψονται τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐρχόμενον ἐν νεφέλῃ, μετὰ δυνάμεως καὶ δόξης πολλῆς. Τότε, post h. eventa apparebit, in sensus cadens (nam de nihilo est collatio ll. Luc. 24, 11. Mtth. 5, 8. Rom. 15, 21. ut de eo, quod mente percipitur, sermonem esse probetur) τὸ σημεῖον τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῷ οὐρανῷ, de quibus vv. et ad structuram et ad sensum varie iudicant. In duas maxime partes disceditur. Alii Christum ipsum appropinquantem putarunt significatum, alii rem, propinquae Χριστοφανείας signum, et quidem alii aliam, indicatam viderunt. — I. Illis **) placuit ad Rom. 4, 11. σημεῖον περιτομῆς

---

*) Ut Grotii, qui luna significatum credit imperium Romanum, sole iustitiam, stellis christianos doctores, coelo ecclesiam s. Hierosolymas coelestes, Alberti, qui de politici et ecclesiastici status occasu et eversione sermonem institutum vult, sole rectores civiles, luna sacrorum praefectos depingente al. V. Koecher. *Anal.* ad h. l.

**) Oleario, Glassio, Wolfio, Vitringae, Heumanno, Storrio, Wolfio, Fritzschio al. V. Schott. p. 103.

Act. 4, 22. σημεῖον ἰάσεως Hebr. 11, 37. φόνον μαχαίρας provocare, ut intelligatur, substantiva alius substantivi genitivum ita iungi, ut v. posterius vim habeat prioris explicandi accuratiusque definiendi. Sed par ratio non est. Nec enim signum circumcisionis, quo quis distinctus appareat prae aliis, aequat περιτομήν, nec σημεῖον ἰάσεως (das Wunderzeichen der Heilung) non differt ad modum cogitandi a curatione (ἰάσει), denique ἐν φόνῳ μαχαίρας ἀποθανεῖν (durch den Schwertestod sterben) vi *sensus*, non *significationis* distat ab: ἐν μαχαίρᾳ ἀποθανεῖν (durch das Schwert sterben). Apage igitur meram περίφρασιν. Nec aptius in *alio nexu* confertur Luc. 2, 34. εἰς σημεῖον ἀντιλεγόμενον *). Magis obstat h. explanationi tautologia, ob sqq. καὶ ὄψονται τὸν υἱ. τ. ἀ. cet. emergens, h. m.: tum apparebit Messias —, et tum videbunt Messiam; exspectaresque, ex h. quidem explicatione, non repetitam υ. τ. ἀ., sed αὐτὸ (σημεῖον) vel αὐτόν. — Imo distinguitur signum a παρουσίᾳ, at *quale signum?* —

II. Varie respondent. Ita a. Grotius, rem *in terris* gerendam innui arbitratus, de praedicatione purioris evangelicae doctrinae cogitat, et contra potestatem v. φανήσεται et repugnante, quod adiectum est, ἐν τῷ οὐρανῷ, et illo, quod praecessit v. 14. καὶ κηρυχθήσεται τοῦτο τὸ εὐαγγ. cet. h. Non felicius ab aliis **) signi-

*) Ipse Schott. 104. retractat allusionem Christi, pridem sibi verosimilem visam, ad sermones Mtth. 16, 1 sq. Mc. 8, 12. Lc. 11, 29. relatos; post disputationem Schulzii l. c. 533 sq. Nec necesse est, ut ad quaestionem discipulorum v. 3. τί τὸ σημεῖον τῆς σῆς παρουσίας cet. respectum a Christo putemus. Concedatur, respectum esse: nihil hoc favet ei, quae supra allata est, explicationi.

**) V. c. Webero.

ftata creditur mortuorum resurrectio, male collato Mtth. 12, 39. 40. in quo l. non inest nec a dicentis Christi sententia prophetia, sed collatio universalis. Rursum obstat: ἐν τῷ οὐρανῷ et quae neminem non male habebit, mira sermonis obscuritas. c. Aliis *) visum est de rerum iudaicarum conversione, de templi urbisque excidio, de laeto fidei christianae progressu (sigillatim Wetstenius fumum Hierosolymae incensae censet indicatum) Christum dicere, non perpendentibus, de his esse actum, et, quod scriptum est: ἐν τῷ οὐρανῷ non posse cum Moro **) ad υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου trahi; desiderato aegerrime articulo. Imo iungendum σημεῖον ἐν τῷ οὐρανῷ: coeleste signum. d. Antiquitus ***) crucem ligneam, qua Dominus affixus sit, symbolum Servatoris coelitus redeuntis, s. fulgorem coelestem, crucis imaginem referentem ex serioribus de cruce christiana sententiis non apto loco in memoriam revocarunt. e. Optime ad sententias aetatis, quarum fundus in V. T. volumine inventus est, de astro Messiano, Christophaniae antecessore, sermonem iniectum sunt arbitrati †). Id quidem factum est praeeunte Num. 24, 17. quam Bileamitici vaticinii partem Targumistae, Christo fere aequales, ad Messiam retulerunt. At cum, ibi, ex locali sensu, princeps futurus significetur, ad arabicum imo universe orientalem usum; refer huc, ut recte rem informes, seriorum Iudaeorum con-

*) Wetstenio, Clerico, Rosenmuellero, Heddaeo, Stolzio, Thiessio, Flattio, Iahnio al.

**) *Diss. theol. et philol.* 145.

***) Chrysostomus, Euthymius, Theophylactus, Hieronymus, Clarius al.

†) V. Bertholdt. *Christol.* 55 sq. (qui tamen nostri l. memor non fuit.)

suetudinem et sinistra interpretationis artificia, qui prophetarum sermones vel poeticos vel poeticis nominibus distinctos *proprie* exponere, et inde dogmatum portenta et monstra procudere solent. Verum, quod nemo adhuc addidit, h. explanatio vel ex eo necessaria visa, quod eius certa vestigia et indicia in anteriore Evangelicorum monumentorum parte adsunt. *Finitimum Magorum sidus. In nativitate quippe Messiae oriens, in eius reditu rediens depingitur astrum.* Id compariturum est sidus, ut cum Flacco loquar, „velut inter ignes Luna minores.“ Latius h. manavit opinio. Nam et Barchochebas, Pseudomessias „filii sideris“ assumsit nomen et haec de Messiana stella persuasio retenta in iudaicis libris latiusque exornata est *). Valeat igitur Cometes **), super Hierosolymis conspectus gladii forma secundum Joseph. B. J. VI. 5. 3. si quidem is *ante* dirutam apparuit urbem. f. Proximum est, ut cum aliis de *nube fulgida* (goldner Wolkensaum) sentiendum censeas. At hoc et prorsus arbitrarium est, et vel inde refelli videtur, quod Sospitator *medias inter nubes* venturus in posteriore v. parte perhibetur. g. Sonitum ingentem tubae grandissimae ***) (σάλπιγξ ἐσχάτη 1. Cor. 15, 52.) non esse significatum, certum eo, quod φαίνεσθαι rem non auribus, sed oculis percipiendam designat. h. Nec gloriam et maiestatem venientis Christi, splendorem corporis, nu-

*) Quod omittant mentionem apostoli, de reversuro Domino verba facientes, neminem movebit, reputantem, illos nunquam opinionem aequalium de Messiano reditu *plene* describere. Et quod Lucas Marcusque de σημείῳ taceant, eo confidentius referes ad Iudaizans Evangelistae ingenium.

**) Hombergii, Elsneri al.

***) D. Heinsius al.

bem fulgidam, angelorum comitatum, sonitum ingentem cet. h. uno comprehensa voc. *), docent posteriora vv. alias superflua: καὶ τότε rel. — 2. Tropica ratio **) ex qua sensus est: „Christus tum adventum suum praeparabit, tum velut vexillum suum s. signum eriget, proxime venturus" et a linguae usu sine exemplis est, et sensum minime necessarium progignit; Quare enim adventus praeparati mentio? — 3. Cogitandum esse praecipiunt ***) de phaenomenis, quae v. 29. paucis descripsit, quae omnia ad coelum pertinentia nexuve interno iuncta communi σημείου nomine comprehenderit: factumque h. respectu ad v. 3. et quod ibi obveniat σημεῖον: „Eo tempore, quo, quae v. 29. descripta sunt conspicientur, adparebit in coelis signum, de quo antea quaesivistis, Messiae venientis i. e. illa ipsa prodigia signo inservient coelesti, quo constet, Christum in eo esse, ut veniat." [„At et h. lege tautologica est oratio, cum progressivam expectes: ut σημεῖον tum ab eo, quod antecessit, tum ab altero quod sequitur, diversum reperitur.

Καὶ τότε (τότε probabiliter tolle, ex initio v. illatum) κόψονται (pectus plangent, in maximo dolore, ob adventans iudicium) πᾶσαι αἱ φυλαὶ τῆς γῆς (non Palaestinenses tribus, sed orbis nationes, uti ex sq. imagine iudicii percipitur cf. Zach. 14, 11. et ap. Al. v. 18.) καὶ ὄψονται (non neglige paronomasiam cum κόψονται) τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐρχόμενον †) ἐπὶ τῶν νεφελῶν

*) Ita Beza, Rosenm. al.

**) Zwinglius, Michaelis al.

***) Schottus l. c. 109. Kuinoelius, Eichhornius al.

†) In coelos sublatus nubibus, de coelis redibit Christus. Act. 1, 9. βλεπόντων αὐτῶν ἐπήρθη καὶ νεφέλη ὑπέλαβεν αὐτὸν ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν. cf. v. 11.

τοῦ οὐρανοῦ (fundus adumbrationis haud dubie in Dan. 7, 13.) μετὰ δυνάμεως καὶ δόξης πολλῆς (cum potestate et multa gloria, stipantibus angelis, rei Messianae ministris). — V. 31. Καὶ ἀποστελεῖ τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ (minime apostolos, rei christianae doctores, male cl. in alio nexu Lc. 9, 52. sed genios coelestes, ad latera Iesu redeuntis) μετὰ σάλπιγγος φωνῆς μεγάλης (cum tuba, gravem edente sonum, v. cum voce ingenti tubae, quae tribuitur Deo 1 Thess. 4, 16. Christo Apoc. 1, 10. coelestibus geniis Apoc. 8, 2. 6. 13. at quando doctoribus christianis?) καὶ ἐπισυνάξουσι (in unum cogent locum cl. ψ. 147, 2. LXX. Mtth. 23, 37. Lc. 13, 34.) τοὺς ἐκλεκτοὺς αὐτοῦ (electos, quos beatitate Messiana dignos iudicavit) ἐκ τῶν τεσσάρων ἀνέμων (ex quatuor coeli plagis cl. Ez. 37, 9. 1 Chron. 9 (10), 24.) ἀπ' ἄκρων οὐρανῶν ἕως ἄκρων αὐτῶν (מִקְצֵה הַשָּׁמַיִם וְעַד־קְצֵה הַשָּׁמָיִם Deut. 4, 32. 13, 8. 28, 64. 30, 4. LXX. ab extremis coelis ad extremos, undequaque terrarum, überall unter dem Himmel) *). Mc. v. 27. brevius: καὶ τότε ἀποστελεῖ τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ, καὶ ἐπισυνάξει τοὺς ἐκλεκτοὺς αὐτοῦ ἐκ τῶν τεσσάρων ἀνέμων, ἀπ' ἄκρου γῆς ἕως ἄκρου οὐρανοῦ. — Mtth. v. 32. ἀπὸ δὲ τῆς συκῆς μάθετε τὴν παραβολὴν (cf. Mtth. 11, 29. μάθετε ἀπ' ἐμοῦ, a fico discite similitudinem, depromite exemplum, nam παραβολὴ nunc lationis est potestatis; male iungunt: ἀπὸ τῆς συκῆς παραβολὴν; Genitivum ita explana, ut Mtth. 13, 8. τοῦ σπείροντος ut

*) Praetermissam mirantur mentionem resurrectionis mortuorum v. 31. et una expediunt rem, de Wette. bibl. Dogm. 273. „Matthaeus sagt nichts von der Auferstehung ausdrücklich; doch lässt sie sich Cap. XXIV, 31. hinzudenken." Similiter Schott. 123. 124.

v. 36. τῶν ζιζανίων τοῦ ἀγροῦ) ὅταν ἤδη ὁ κλάδος αὐτῆς γένηται ἁπαλὸς (μαλακὸς, succo ex radicibus in tenerescentes ramos transfuso), καὶ τὰ φύλλα ἐκφυῇ (perperam scribitur ἐκφύῃ, sensu activo; nam et relatio posterioris verbi ad prius subiectum de more librariorum est, et facilius fluit oratio, si verteris neutrali vi: et folia progerminarint, et a multis praesidiis h. ratio commendatur), γινώσκετε, ὅτι ἐγγὺς τὸ θέρος (Tempus vernum in tractibus orientalibus proximum aetestati, קַיִץ, prognosticon in rerum natura.). Οὕτω καὶ *), ὑμεῖς ὅταν ἴδητε πάντα ταῦτα, γινώσκετε, ὅτι ἐγγύς ἐστιν ἐπὶ θύραις (quid? alii mire βασιλείαν τοῦ θεοῦ supplent **), alii contortius etiam τὸ θέρος tropica vi vel cladem Iudaicam v. messem animorum ***), alii, vere: Messiam, cuius adventus et *cito* futurus dicitur et *aequalibus* Iesu in vita superstitibus †). Nam:), V. 34. Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐ μὴ παρέλθῃ ἡ γενεὰ αὕτη (De παρέρχεσθαι dixi ad Mtth. 5, 18. Γενεὰ de hominibus, eadem aetate [Zeitalter, Generation] constitutis, *aequalibus* vel *ex ore Christi* notum: Mtth. 11, 16. 12, 41. 42. 45. 23, 36. Mc. 8, 12. 38. Lc. 7, 31. 11, 29 sq. 11, 50 sq. Temere i. e. contra nexum linguamque

*) Ita recte interpunxit Fritzschius, ii quidem in ὑμεῖς nulla nunc eo est vis, quod opponantur aliis hominibus, nam et in προτάσει v. 32. lectum est μάθετε.

**) E Lc. 21, 32. quod omitti nefas fuisset.

***) Schott. l. c. 134. praeeunte Iahnio. At h. notio messis illata est voc., et repeti oportebat τὸ θέρος, et ea potestas, ut vel stragem Iudaeorum, v. evangelii propagationem significet, in h. nexu commentitia est. Non provocari debebat ad errorem in translatione l. Prov. 26, 1. LXX.

†) Ita Grotius, Fritzschius al.

de *natione iudaica* *), de ἐκκλησίᾳ christiana **), quasi posteritate Christi cogitatum est. Nec nisi ob dogmaticas causas h. extricari poterat argumentum „de iudicio civitati Iudaicae imminente, efficaciam Christi *invisibilem* (?) declaraturo, de eversione Hierosolymarum et civitatis iudaicae prope instante ***)"). V. 35. Ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ παρελεύσεται (h. exquisitior scriptura; diserta enim elocutio, nec expellenda versione: fieri *possit* cet., nec alia arte: citius fiet [quod fieri nequit], ut intereat cet. ex proverbiali ῥήσει. Sine fructu provocatur ad Mtth. 5, 18. V. supra.) οἱ δὲ λόγοι μου (non hi tantum proximi sermones, quod esset non satis dictum, imo omnes doctrinae Messianae pleni) οὐ μὴ παρέλθωσι. Mc. 27—30. simillimus Matthaeo: καὶ τότε ἀποστελεῖ τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ, καὶ ἐπισυνάξει τοὺς ἐκλεκτοὺς αὐτοῦ ἐκ τῶν τεσσάρων ἀνέμων, ἀπ' ἄκρου γῆς ἕως ἄκρου οὐρανοῦ. Ἀπὸ δὲ τῆς συκῆς μάθετε τὴν παραβολήν· ὅταν αὐτῆς ἤδη ὁ κλάδος ἁπαλὸς γένηται, καὶ ἐκφυῇ τὰ φύλλα, γινώσκετε, ὅτι ἐγγὺς τὸ θέρος ἐστίν. Οὕτω καὶ ὑμεῖς ὅταν ταῦτα ἴδητε γενόμενα, γινώσκετε, ὅτι ἐγγύς ἐστιν ἐπὶ θύραις· Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι οὐ μὴ παρέλθῃ ἡ γενεὰ αὕτη, μέχρις οὗ πάντα ταῦτα γένηται. Ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ παρελεύσεται· οἱ δὲ λόγοι μου οὐ μὴ παρέλθωσι. In minutiis discedens breviorque Lucas v. 29 — 33. καὶ εἶπε παραβολὴν αὐτοῖς· ἴδετε τὴν συκῆν καὶ πάντα τὰ δένδρα· ὅταν προβάλωσιν ἤδη, βλέποντες ἀφ' ἑαυτῶν γινώσκετε, ὅτι ἤδη ἐγγὺς τὸ θέρος ἐστίν. Οὕτω καὶ ὑμεῖς, ὅταν ἴδητε ταῦτα γινόμενα, γινώσκετε, ὅτι ἐγγύς ἐστιν ἡ βασιλεία τοῦ

*) Cum WOLFIO, HEUMANNO, STORRIO, SCHEIBELIO al.
**) PAULUS.
***) SCHOTT. 131.

θεοῦ. Ἀμὴν λέγω ὑμῖν ὅτι οὐ μὴ παρέλθῃ ἡ γενεὰ αὕτη, ἕως ἂν πάντα γένηται. Ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ παρελεύσονται· οἱ δὲ λόγοι μου οὐ μὴ παρέλθωσι.

Mtth. v. 36. Περὶ δὲ τῆς ἡμέρας ἐκείνης *) καὶ ὥρας (eam temporum notationem quis non intelligit distare ab illa, cuius v. 34. mentio facta **), at ei non repugnare?) οὐδεὶς οἶδεν, οὐδὲ οἱ ἄγγελοι τῶν οὐρανῶν (divinorum mysteriorum alias prae mortalibus participes), εἰ μὴ ὁ πατὴρ μόνος. Mc. v. 32. Περὶ δὲ τῆς ἡμέρας ἐκείνης, ἢ τῆς ὥρας οὐδεὶς οἶδεν, οὐδὲ οἱ ἄγγελοι οἱ ἐν οὐρανῷ, οὐδὲ ὁ υἱὸς (haec perperam irrepsisse visa sunt in Matthaei textum; dogmaticam vero vim in eo repererunt iam Ariani, quod vel Dei filius [supplendum enim τοῦ θεοῦ, non τοῦ ἀνθρώπου] omniscius negetur,), εἰ μὴ ὁ πατήρ. Improvisus igitur et repentinus aequalibus (at certe aequalibus!) Messiae adventus, die horaque divino decreto constituendis. Conferunt ***) In-

*) Et alias iudicii dies Mtth. 7, 22. Lc. 10, 12. ἡμέρα κρίσεως Mtth. 10, 15. 11, 22. 24. 12, 36. cl. Io. 14, 20. 16, 23. 26.

**) Schulz. l. c. 542. „Kann von Tag und Stunde die Rede seyn, wenn *tropisch* der Sieg und die Verbreitung des Christenthums hier geschildert ist? War dies die Sache eines *Tages*, einer *Stunde*? Dass aber mit diesen Ausdrücken im Text eine genauere Zeitbestimmung, ein wirklicher Tag, eine wirkliche Stunde, beabsichtigt sey, wolle man doch ja nicht bestreiten. Die *allgemeinere* Zeitbestimmung wird V. 34. gegeben: οὐ μὴ παρέλθῃ ἡ γενεὰ αὕτη. Davon wird unterschieden die *speciellere*, genauere des *Tages* u. s. w., welche Niemand kenne, auch nicht die Engel, auch nicht der Sohn, sondern allein der Vater. Und deswegen eben sollten sie *(die Jünger)* wachsam und stets bereit seyn, da ihnen der Tag der Parusie des Herrn verborgen sey." —

***) Bertholdt. *Christol.* 35—38.

daeorum opinionem, per variorum temporum monumenta repetitam, tempus Messiae adventantis in secretissimis Dei consiliis esse, ad quae ne coelestibus quidem ministris aditus sit patefactus. Id quum de adventu Messiano universe valere visum esset, nunc quidem ad reditum Christi translatum videmus, quasi ad solemniorem adventum *). Mtth. v. 37. Ὥσπερ δὲ αἱ ἡμέραι τοῦ Νῶε, οὕτως ἔσται καὶ ἡ παρουσία (ad collationem accuratam requireres: αἱ ἡμέραι τῆς π. tempus adventus Messiae. Die der Erscheinung des Messias zunächst voraufgehende Zeit ein Gegenstück der Noachischen. Beide lassen bei tiefster Verderbniss der Menschheit eine neue Schöpfung erwarten.) τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου. Multi opprimentur socordiae libidinibusque dediti. Ὥσπερ γάρ ἦσαν ἐν ταῖς ἡμέραις (ταῖς πρὸ, quod in multis libris omittitur, glossae simillimum) τοῦ κατακλυσμοῦ (populari sermone de tempore terribilem eventum *proxime* antecedente) τρώγοντες καὶ πίνοντες (vitam σαρκικὴν agentes), γαμοῦντες καὶ ἐκγαμίζοντες (noli de Venere volgivaga et nefaria **) cogitare, sed partem crede imaginis depingendae mortalium securitati aptatae), ἄχρι ἧς ἡμέρας εἰςῆλθε Νῶε εἰς τὴν κιβωτὸν (vox de navigio Noachitico recepta, Gen. 6, 14 sq. LXX. 1 Petr. 3, 20. Hebr. 11, 7.), καὶ οὐκ ἔγνωσαν (non serio perpenderunt [a Noacho admoniti?] ***) sup-

*) Cf. 2 Petr. 3, 10. 1 Thess. 5, 2.

**) Cum Wolfio *Cur.* ad h. l.

***) Fritzschius retulit ad navigium a Noacho operosius compositum, conferri iubens 1 Petr. 3, 19. 20. Exinde vero nihil in coniecturae gratiam duces. At nec de praedicatione viri legitur in monumentis. Ergo simplicissimum est, ut transferas: nihil divinando adsequebantur de exitu funesto repente instante. Luc. 19, 42. 44. *accurate* conferri nequit, quoniam additur res, cui sit mens advertenda.

plicii divini imminentis dissoluto generi atrocitatem), ἕως ἦλθεν ὁ κατακλυσμὸς καὶ ἦρεν (de medio sustulit Luc. 23, 18.) ἅπαντας· οὕτως ἔσται (geminis auspiciis apparebit) καὶ ἡ παρουσία τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου. (Inde *per exempla eundo* adfirmatur, improvisum fore, tumultus plenum, multos opprimentem adventum.) V. 40. Τότε (cf. v. 39.) δύο ἔσονται ἐν τῷ ἀγρῷ· (in opere rustico occupati) εἷς παραλαμβάνεται καὶ εἷς ἀφίεται (Proverbialis usus. Alii: alter captivus abducitur, alter aufugit *)); alii: alter admittitur ad divini regni beatitatem, comes abducitur, alter sibi relinquitur, exclusus ab h. consortio **)); alii: alter in tutelam assumetur ***)), sospes evadet †), alter periculo succumbet. Media inter vitae negotia secure degentibus mortalibus alteri in felicitatem cedet Messiae adventus improvisus, alteri in exitium ††).) v. 41. δύο ἀλήθουσαι (sc. ἔσονται cf. v. 40.) ἐν τῷ μύλωνι· (in pistrinis mulierculae duae ancillae molentes) μία παραλαμβάνεται, καὶ μία ἀφίεται. V. 42. Γρηγορεῖτε οὖν (ob ignorantiam temporis *momenti*), ὅτι οὐκ οἴδατε, ποίᾳ ὥρᾳ (haec vera lectio expellet: ἡμέρᾳ, quod nonnulli libri habent, orationis nervos incidens) ὁ κύριος ὑμῶν ἔρχεται. V. 43. Ἐκεῖνο δὲ γινώσκετε (hoc vero sedulo perpendite v. hoc novistis, cum horam ignoretis et proinde vobis dictum existimate), ὅτι, εἰ ᾔδει

---

*) WETSTENIUS, KUINOELIUS, qui de excidio Hierosolymitano perperam cogitat.

**) PISCATOR, ERASMUS, TYCHSENIUS, PAULUS, SCHOTTUS al.

***) BENGELIUS in *Gnomone* ad h. l. al.

†) Allusio ad Lothi fata Gen. 19, 16. (quam invenerat GROTIUS) in his nulla est.

††) Haec FRITZSCHII sententia nihil differt ab ea, quae *primo* loco posita est.

ὁ οἰκοδεσπότης (transfer: si novisset paterfamilias', quod flagitant sqq.), ποίᾳ φυλακῇ (inepte in nonnulla subsidia ὥρᾳ irrepsit ex anteced. v. unice convenit vigilia, nocturni temporis tertia pars, imaginis et veritati et alacritati) ὁ κλέπτης ἔρχεται, ἐγρηγόρησεν ἂν (vigilasset) καὶ οὐκ ἂν εἴασε (nec passus esset) διορυγῆναι τὴν οἰκίαν αὐτοῦ. (Furum perfodentium muros aedium [Mtth. 6, 19. Job. 24, 16. LXX.] inopinatus impetus saepius confertur repentino Messiae adventui. 1 Thess. 5, 2. Apoc. 3, 3. Uti in illum instructum esse decet herum, ita bene praeparatum in hunc servare pectus convenit.) Διὰ τοῦτο καὶ ὑμεῖς γίνεσθε ἕτοιμοι· ὅτι, ᾗ ὥρᾳ οὐ δοκεῖτε, (non putatis, eodem cf. sensu δοκεῖν Mtth. 6, 7. Mc. 6, 49. et ll. vett. scriptt. ap. Fritzschium ad h. l. Glossema redolent lectt. γινώσκετε, οἴδατε,) ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἔρχεται. V. 45. Τίς ἄρα ἐστὶν ὁ πιστὸς δοῦλος καὶ φρόνιμος (Haec vv. magnam interpretationis diversitatem experta sunt. Alii *) τίς pro ποῖος positum arbitrati, h. sensum invenisse sibi visi sunt; qualis erit sorte sua, wie situirt wird er seyn, welche Behandlung wird er erfahren; at hoc fit contra linguae probabilem usum praesertim cum non scriptum sit ἔσται, sed ἐστίν. Gravius errat, qui ὑμῶν audaci manu supplendum ratus, transfert: quis vestrum similis esse volet? **) Nec prospere nodum solvunt, ***) qui collato hebr. מי in ll. Deut. 20, 5. Judd. 7, 3. Ψ. 107, 43. et N. T. Iac. 3, 13. Luc. 11,

*) Ex alio genere est Lc. 1, 66. τί ἄρα τὸ παιδίον τοῦτο ἔσται, et magis etiam 7, 49. τίς οὗτός ἐστιν, ὃς καὶ ἁμαρτίας ἀφίησιν.

**) Paulus in *Comm.* ad h. l. „Wer unter euch will nun seyn ein solcher.“

***) Castellio, Glassius, Kuinoelius, Schottus al.

6. 11. pron. interrogativum τίς pro εἴ et indefinito pron. τις locatum tradiderunt, et insolentiae sermonis et sq. art. non memores *). Tene interrogationem, commotioris orationis signum, vel h. s. hunc scire pervelim, optime cum eo agitur **), vel quod huic proximum, sed facilius est, ubi tandem agit, quis est cet. ***) wer ist wohl?), ὃν κατέστησεν ὁ κύριος αὐτοῦ ἐπὶ τῆς θεραπείας αὐτοῦ (famulitio praeesse voluit οἰκονόμου auctoritate; de verbo cf. Gen. 45, 16. LXX. De re v. exemplum Elieseris Gen. 15, 2.) τοῦ δοῦναι (Genit. *causam* indicans) αὐτοῖς τὴν τροφὴν ἐν καιρῷ; (κατὰ καιρὸν Rom. 5, 6.) V. 46. Μακάριος (in his male ἀπόδοσιν inesse dixerunt) ὁ δοῦλος ἐκεῖνος, ὃν ἐλθὼν (Id pro ἐπανελθὼν dictum non satis accurate tradiderunt. Herum peregre profectum esse, non ex h. voce colligi, sed ex indole narrationis probabili coniectura debet sumi, inprimis ex *oppositae* descriptionis vv.: χρονίζει cet. Ergo h. notio e *sensu* circumiacentis orationis adsciscitur, non e *significatione* verbi hauritur.) ὁ κύριος ἐκεῖνος εὑρήσει ποιοῦντα οὕτως. V. 47. Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι ἐπὶ πᾶσι τοῖς ὑπάρχουσιν αὐτοῦ καταστήσει αὐτόν. (Rei familiari praeficietur ἐπιτρόπου titulo.) V. 48. Ἐὰν δὲ εἴπῃ ὁ κακὸς δοῦλος [ἐκεῖνος] †) ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ· Χρονίζει ὁ κύριός μου ἐλθεῖν· (cuius morae causam iter longius susceptum rectius informaveris, quam negotiorum molem, in-

---

*) Apte refelluntur a Fritzschio ad h. l., ex *petitione principii* rem administrantes.

**) Cum Fritzschio.

***) Ita ut et desiderium tam integri hominis, et raritas, et, quod statim aperte dicitur, beatitas mira orationis suavitate adumbretur.

†) Fluxit e v. 46. cl. v. 50. V. Fritzschius.

tra aedium parietes sustinendam) V. 49. καὶ ἄρξηται (ἄρχεσθαι minime otiosum est, quod vix de verbo quoquam ullius mortalium sermonis, humanae legibus rationis parentis, recte contenderis, et h. sententia a maioribus tradita infantiam decet interpretationis sacrorum librorum. Verte: et *coeperit* cet. ut hoc sibi indulsisse fingatur homo nequam, incommode oppressus heri adventu.) τύπτειν τοὺς συνδούλους αὐτοῦ, ἐσθίῃ δὲ καὶ πίνῃ (ita verissime scribitur ab optimis Criticis: suspendentibus vv. ab ἐὰν v. 48. Ἐσθίει δὲ καὶ πίνει correctio scribarum est, ἐσθίειν δὲ καὶ πίνειν male conformatum ad praeced. τύπτειν.) μετὰ τῶν μεθυόντων· V. 50. ἥξει ὁ κύριος τοῦ δούλου ἐκείνου ἐν ἡμέρᾳ, ᾗ οὐ προσδοκᾷ, καὶ ἐν ὥρᾳ, ᾗ οὐ γινώσκει· V. 51. καὶ διχοτομήσει αὐτὸν, (διχοτομεῖν cum sit in partes duas secare Ex. 29, 17. LXX. *certo* a. denotat atrox genus supplicii et occidentale [v. Livii de Mettio Suffetio narrationem et alia ap. Wolf. *Cur.*] et magis orientale, in captivos iure belli exercitum, nec in reis rarum. Iudd. 19, 29. 1 Sam. 15, 33. 1 Regg. 3, 25. Hebr. 11, 37. *) Nota traditio est, Iesaiam Manassis regis iussu serra dissecatum. Hanc poenam qui non convenientem existimant perfidiae diroque animo servi, non reputarunt, aliud esse nostrorum temporum, aliud Orientis antiquioris recentiorisque fundamentum iuris puniendi et exercitium. Praeterea, quod sequitur, καὶ τὸ μέρος αὐτοῦ cet. penitius inspectum, *propriae* explicationi, quae praeferenda est, ubicunque idoneis argumentis *tropicae* fundandae privamur, non repugnat. **) b. Qui vero servum e

---

*) V. Winer. *RW.* 405. At Joseph. *Antiqq.* II. a. a. ab Ungero 125. per errorem huc trahitur.

**) Ad h. simplicitate commendabilem explanationem,

conservorum consortio remotum aedibusve eiectum hic significatum credunt, *) alieno loco utuntur vv. פלח, חצה, et גזר collatione Gen. 33, 1. 2 Chron. 26, 21. al., si quidem notiones *dissecandi* et *removendi* ex rei natura finitimae et in alio nexu obviae potestati v. διχοτομεῖν et διχοτομίας non respondent. **) c. Poena denique verberationis servilis, quae aliis ***) visa est aptior, comparantibus utriusque linguae διατέμνειν, τέμνειν, discindere, secare ictibus tergum [addas nostrum: zerhauen] Lc. 12, 47. et vix dilucide exprimitur v. διχοτομίας, et lenior poena tanto crimini.) καὶ τὸ μέρος αὐτοῦ (sortem, חֵלֶק) μετὰ τῶν ὑποκριτῶν (Simulatoribus accensetur servus, quoniam pessimam indolem sedulo celaverat in heri praesentia. Horum vero ex seriorum Iudaeorum et Muhammedanorum sententia deploranda sors fuit in Gehennae faucibus †)) θήσει· (de formula v. ψ. 50, 18. Ios. 22, 25. 27. 2 Sam. 20, 1. Prov. 29, 24. Apc. 21, 8. τὸ μέρος αὐτῶν ἐν τῇ λίμνῃ τῇ καιομένῃ.) ἐκεῖ ἔσται ὁ κλαυθμὸς καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων. (De carcere tenebricoso, frigidoque nemini ignota imago est e Mtth. 22, 13. 25, 30. cl. 8, 12. 13, 42. Disceptatur, utrum de ergastulo terreno recte cogitaveris, itâque διχοτομίαν non totam, sed singulae corporis partis informes, an melius infernum Orci carcerem poe-

---

quam A. Morus, Olearius, Maius al. amplexi erant, rediere inter nostros homines Fritzschius et Ungerus l. c. 125.

*) Beza, Pfochenius, Grotius, R. Simonius, Boltenius al. V. Koecher. in *Anal.* ad h. l.

**) Nec frugi est paraphrasis: „διχοτομῶν τὴν οἰκίαν ἀφορίσει αὐτόν. Grotius."

***) Heumanno, Frischio, Kuinoelio, Schotto al.

†) Schoettgen. *H. H.* p. 215.

narum infernalium spectaculum significatum dicas. Quod posterius et ex frequentiore usu loquendi scriptoris in formula ὁ κλ. etc. praeferendum, et inde magis placet, quod de διχοτομίᾳ *partiali* satis esset obscure scriptum: διχοτομήσει αὐτὸν, supplicium denique ob deterrimam hominis indolem *iure* sumtum ex mente dicentis tale esse, quod in sortem post res mortales futuram vim exerceat, nihil impedit statuere. *)

His adiungenda est brevior collatio Marci v. 33 — 37. Βλέπετε, ἀγρυπνεῖτε, καὶ προσεύχεσθε· οὐκ οἴδατε γάρ, πότε ὁ καιρός ἐστιν. Ὡς ἄνθρωπος ἀπόδημος (peregre abiturus) ἀφεὶς τὴν οἰκίαν αὐτοῦ, καὶ δοὺς τοῖς δούλοις αὐτοῦ τὴν ἐξουσίαν (rei familiaris administrationem), καὶ ἑκάστῳ τὸ ἔργον αὐτοῦ, καὶ τῷ θυρωρῷ ἐνετείλατο ἵνα γρηγορῇ. Γρηγορεῖτε οὖν· οὐκ οἴδατε γάρ πότε ὁ κύριος τῆς οἰκίας ἔρχεται, ὀψὲ (vespera secunda, prima noctis vigilia), ἢ μεσονυκτίου (secunda), ἢ ἀλεκτοροφωνίας (tertia), ἢ πρωῒ (quarta)· μὴ ἐλθὼν ἐξαίφνης, εὕρῃ ὑμᾶς καθεύδοντας. Ἃ δὲ ὑμῖν λέγω, πᾶσι (aequalibus) λέγω· Γρηγορεῖτε. — At alia est ratio Lucae, qui alias longior, hic contractior Matthaeo est, summam brevem reddens: v. 34 — 36. προσέχετε δὲ ἑαυτοῖς, μήποτε βαρηθῶσιν ὑμῶν αἱ καρδίαι ἐν κραιπάλῃ, καὶ μέθῃ, καὶ μερίμναις βιωτικαῖς, καὶ αἰφνίδιος ἐφ' ὑμᾶς ἐπιστῇ ἡ ἡμέρα ἐκείνη. Ὡς παγὶς γάρ (inopinate ad tendiculae modum, inopinate illaqueantis securum pedem) ἐπελεύσεται ἐπὶ πάντας τοὺς καθημένους ἐπὶ πρόσωπον πάσης τῆς γῆς. Ἀγρυπνεῖτε οὖν ἐν παντὶ καιρῷ, δεόμενοι, ἵνα καταξιωθῆτε ἐκφυγεῖν ταῦτα πάντα τὰ μέλλοντα γίνεσθαι, καὶ σταθῆναι ἔμπροσθεν τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου.

---

*) PP. de h. l. sententias v. ap. Suicer. *thes.* I. 926.

At collationem heri et famulitii cum Messia, principe novae Dei familiae, una cum descriptione calamitatum, Christophaniae coniunctissimarum, latius persequitur in alia opportunitate Evangelista 12, 35 — 53. *) cuius a Matthaeiana relatione diversitatem nunc sigillatim enotare et subtilius persequi veremur, ne lectorum otio abusi videamur, praesertim cum *argumentum didacticum* idem sit, de quo nobis primaria quaestio est. Item censemus de pericopa Lucae 17, 26 — 37. **) quae similitudinem Noachitici aevi et Sodomitici cum Messiana periodo enarrat, comite descriptione instantium proxime malorum. Et si quis de trito isto Matthaei more cogitat, diversorum temporum locorumque Christi dicta una longiore oratione comprehendentis, is memor sit, tantae esse argumentum gravitatis, ut ad idem saepe recurrerint sermonum Iesu scriptores, formularum vero et notionum de Messiano adventu Iudaeis aequalibus receptarum non esse in his tribus monumentis *argumenti*, sed *formae* et *modi* ad descriptionis vel ubertatem vel contractam brevitatem discrepantiam. —

Adiungatur copiosior Christi apud *unum* Matthaeum oratio, a c. XXV. fluens. ***) V. 1. Τότε (sub tempore Messiani adventus †)) ὁμοιωθήσεται ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν δέκα παρθένοις ††) (similes erunt regni coelestis rationes at-

*) V. Schott 268 — 276.

**) Schott. 297 — 308.

***) Schott. 168 — 210. Unger. 126 — 129.

†) Artificiosius Fritzschius: „commissis geennae suppliciis hominibus, qui de Messia praeter expectationem venturo nihil solliciti vitiis se emancipaverint. (24, 51.)"

††) Praeclare confert Grotius ad v. 1. רֵעוֹת בְּתוּלוֹת Ψ. 45, 15. regiae sponsae amicas comitesque.

que res decem virginum in narratione), αἵτινες λαβοῦσαι τὰς λαμπάδας αὐτῶν, ἐξῆλθον εἰς ἀπάντησιν τοῦ νυμφίου. (Fingitur sponsus sponsae domum intraturus, cui virgines, sponsae amicae, vespertino nocturnove tempore facibus instructae, obviam eunt, ut pompae solemnitatem suo comitatu augeant, et ad nuptialem coenam una cum sponso recta via tendant. *) Decem electas fuisse de more aetatis, coniiciendo magis evincitur, quam certis testimoniis. At cum nollent longius procedere foras, moraretur que sponsus, videntur in vicino hospitio substitisse, ut sponsi adventum exspectarent. Καὶ τῆς νύμφης in nonnullis subsidiis additum videtur, et malae concinnitatis studio et ignorantia morum harum regionum, idemque faciundum esset v. 5. 6. 10. in quibus sponsus solus memoratur, et unde et quo nomine tum processerint virgines, probabiliter nequit dici.) V. 2. Πέντε δὲ ἦσαν ἐξ αὐτῶν φρόνιμοι (prudentes in res suas), καὶ αἱ πέντε (al. Cdd. delent art. quo ob praeced. πέντε iure tuo carebis) μωραί. Αἵτινες, μωραί, (Posterius v. putant ἐπεξήγησιν, quae, dico autem stultas, vel appositionem, αἱ οὖσαι μωραί, quae ut erant inconsideratiores, vel pro mixtura duarum lectionum habentes, delent et ob v. 4. αἱ δὲ φρόνιμοι adiectum a glossatore arbitrantur. Lecti varietas: αἱ δὲ, αἱ οὖν, καὶ αἱ, αἱ γὰρ, αἱ.) λαβοῦσαι τὰς λαμπάδας αὐτῶν, οὐκ ἔλαβον μεθ' ἑαυτῶν ἔλαιον· (Oleum non infusum lucernis, sed vasibus in usum futurum, quae secum ferre

---

*) Certamen simulatum hic innui, quod ex Russelii *Gesch. v. Aleppo.* I. 406. in re dubitationi exemta habuit Ven. Paulus, vix est quod post Fritzscium et Ungerum (p. 126.) repetamus, ne levissimo quidem indicio per narrationis tenorem significatum.

decebat omnes virgines, at ferebant quinque tantum providentes.) v. 4. αἱ δὲ φρόνιμοι ἔλαβον ἔλαιον ἐν τοῖς ἀγγείοις αὐτῶν, μετὰ τῶν λαμπάδων αὐτῶν. V. 5. Χρονίζοντος δὲ τοῦ νυμφίου, ἐνύσταξαν πᾶσαι, καὶ ἐκάθευδον. (Sponsus, per tenebras, quod exspectabatur, venturus, impedimento retentus, ante mediam noctem non venit. Inde somnus oppressit virgines. Quod pulcre dicitur: nutabant capite omnes et sensim obdormiverunt. *Omnes* somno obrutas fuisse, male offendit antiquiores *), imo nonnullos recentiores **); nam pertinet ad imaginis veritatem nativamque simplicitatem. Erant instructae rebus necessariis ad excipiendum sponsum quinque et inde optimo iure securae. Ideó nec in redditione similitudines urgebis, ut nec per somnum cum CHRYSOSTOMO mortem significatam recte putaveris, quod nullo vestigio indicatum.) V. 6. Μέσης δὲ νυκτὸς κραυγὴ γέγονεν· (vulgi, extra deversorium stantis, in quo morabantur virgines) Ἰδοὺ! ὁ νύμφιος ἔρχεται! (male omittitur in aliquot testibus ἔρχεται, non dicitur, *adesse* sponsum, sed *appropinquare*, si quidem, ut obviam eant, admonentur virgines) ἐξέρχεσθε εἰς ἀπάντησιν αὐτοῦ! (Non hoc pugnat, id quod obiter narrationem contemplati sibi persuaserant nonnulli, cum v. 1. ἐξῆλθον εἰς ἀπάντησιν τοῦ νυμφίου, ut ἐξῆλθον de *conatu* interpretari debeas contra vim sermonis, sed ita expediendum, ut iter ingressas substitisse in hospitio dicas virgines, nunc in viam ut prodeant, suscitatas.) V. 7. Τότε ἠγέρθησαν πᾶσαι αἱ παρθένοι ἐκεῖναι, καὶ ἐκόσμησαν τὰς λαμπάδας αὐτῶν. (Ornarunt lu-

---

*) Ut GROTIUM, excitantem Iac. 3, 2. πολλὰ γὰρ πταίομεν ἅπαντες.

**) Ut EWALDUM.

cernas, instruxerunt, aptas fecerunt.) V. 8. Αἱ δὲ μωραὶ ταῖς φρονίμοις εἶπον· Δότε ἡμῖν ἐκ τοῦ ἐλαίου ὑμῶν, ὅτι αἱ λαμπάδες ἡμῶν σβέννυνται. (Ergo aliquantum, sed parce oleo erant instructae. Si haec ad collationem transfers: desiderant improbi et socordes, ut sibi aliquam virtutis et meritorum particulam concedant bene morati; at nequit hoc fieri, neminis enim bonorum operum thesaurus tantus est, ut aliorum necessitatibus exinde subveniri possit.) V. 9. Ἀπεκρίθησαν δὲ αἱ φρόνιμοι, λέγουσαι· Μήποτε οὐκ ἀρκέσῃ ἡμῖν καὶ ὑμῖν· (Alii interrogative explanant: quid si sufficere nobis et vobis non possit? Quae et modestior recusatio videtur, et talis, quae Futurum requirit. Nec rectius transferas: *fortasse*, nisus Alexandrinorum exemplo, qui אוּלַי per μήποτε vertentes, nexum potius orationis et sensum qualemcunque sectantur et exprimunt, quam verbum verbo reddunt. Alii mente supplendum praecipientes: σκοπεῖτε, ὁρᾶτέ, βλέπετε *), v. φοβούμεθα, δεδίαμεν **) sensum assequuntur: veremur, ne nobis vobisque satis sit, qui et facillimus est et persimili ἐλλείψει in patrio idiomate iuvatur: es möchte wohl nicht zureichen für uns und euch.) πορεύεσθε μᾶλλον πρὸς τοὺς πωλοῦντας, καὶ ἀγοράσατε ἑαυταῖς. (Ea vv. ne, posito post ὑμῖν commate, in apodosi cum uno interprete ***) habeas, impedit, quod protasis foret: μήποτε etc. quasi et suae penuriae consultum voluerint circumspectae virgines, dimittendo imprudentes, et *consilium* significaretur, ut, ne sufficiat oleum utrisque, pergant ad mercatores; quale, cum absurdum sit, admitti h. ratio ne-

---

*) Wolf. *Cur.* et Elsner. ad h. l.

**) Fritzschius *Comm.*

***) Schotto. 174.

quit.) V. 10. Ἀπερχομένων δὲ αὐτῶν ἀγοράσαι, ἦλθεν ὁ νύμφιος· καὶ αἱ ἕτοιμοι εἰςῆλθον μετ' αὐτοῦ εἰς τοὺς γάμους, καὶ ἐκλείσθη ἡ θύρα. (Redde: bene parati animi bonis Messiani discipuli ad beati consortium regni admittuntur, excluduntur reliqui. Noli dicere, γάμους nunc coenaculum festivum, non nuptiales epulas innuere, εἰς, ut saepissime alias, *finem* indicante.) V. 11. Ὕστερον δὲ ἔρχονται καὶ αἱ λοιπαὶ παρθένοι, λέγουσαι· Κύριε, κύριε, ἄνοιξον ἡμῖν! (Vehementissimum desiderium potiundorum bonorum Messianorum!) V. 12. Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν· Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐκ οἶδα ὑμᾶς. (Vanae erunt preces immorigerorum.) Claudit collationem v. 13. γρηγορεῖτε οὖν, ὅτι οὐκ οἴδατε τὴν ἡμέραν [ἐν ᾗ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἔρχεται *)]. Ea vv. de consilio propositae similitudinis neminem dubitare patiuntur. *Iesus inopinato rediturus inveniet alios sectatores ita instructos animi bonis, ut non sine sui laeta fiducia coetum Messianum intrent, felicitatis datorem; alios reiiciet pigros et socordes, ad salutis solidae adminicula paranda et servanda parum attentos.* Hanc summam brevem adeptus, non est, quod cum antiquioribus **) contra veras leges interpretationis parabolicae in singulis partibus ornamentisve ultra ius fasque haereas, quare virgines inducantur, aut lucernae, aut oleum, aut *omnium* somnium et alia generis eiusdem tum quaerens inepta sedulitate, tum solvens falsa arte. — Talmudica, quae vulgo ad latus sistitur, parabola ex Schabbath. f. 153. 1.

*) Desunt haec ap. Syr. Ar. et Lat. probabiliterque fluxerunt e 24, 42. 44.

**) Inprimis Chrysostomo, Theophylacto, Euthymio. Inter recentiores similia tentant Grotius, Bengelius, Ewaldus.

152. a. *) nec ad argumentum plane gemina est, nec ad simplicitatem, venustatem et verum narrandi vigorem cum nostra recte confertur. **) — Adiungitur nova similitudo v. 14. Ὥςπερ γάρ ἄνθρωπος ἀποδημῶν ἐκάλεσε τοὺς ἰδίους δούλους, καὶ παρέδωκεν αὐτοῖς τὰ ὑπάρχοντα αὐτοῦ. (Desideras *apodosin*, quae praegresso ὥσπερ respondeat. Rerum narratarum varietas in causa fuit, ut anacoluthon prodiret per eum, qui: Messiam ad similitudinem heri peregre profecti acturum esse, in mente habuit dicere. Ἀποδημῶν: qui in eo est, ut relinquat domum. Tradidit famulitio custodiendam rem suam.) v. 15. καὶ ῷ μὲν ἔδωκε πέντε τάλαντα, ῷ δὲ δύο, ῷ δὲ ἕν, ἑκάστῳ κατὰ τὴν ἰδίαν δύναμιν, καὶ ἀπεδήμησεν· (Cuivis pro rerum usu et peritia mandavit partem rei familiaris.) V. 16. Εὐθέως ***) δὲ πορευθεὶς ὁ τὰ πέντε τάλαντα λαβὼν, εἰργάσατο ἐν αὐτοῖς, καὶ ἐποίησεν ἄλλα πέντε τάλαντα. (Strenuum et prudentem usum sine cunctatione fecit rei concreditae. Ποιεῖν, עָשָׂה, facere, *lucrandi* notione per tres vetustas linguas, nec minus per recentiores, ut per vernaculam, dicitur.) V. 17. Ὡςαύτως καὶ ὁ τὰ δύο [sc. λαβὼν], ἐκέρδησε καὶ αὐτὸς ἄλλα δύο. (Fecit et ipse, quod vires ferebant, et pro virili negotiatus lucratusque est, quod tanti esset.) V. 18. Ὁ δὲ τὸ ἓν λαβὼν, ἀπελθὼν ὤρυξεν ἐν τῇ γῇ, (Qui minimam summam acceperat, abiit et fodit in terra, er ging und grub in der Erde, quod *praecedit*

---

*) Wetsten. ad v. 2. Schoettgen. ad Luc. 12, 36. Lightfoot *hor. hebr.* ad h. l.

**) Unger. 158, 159.

***) Apte h. coniunctionem praetulit Fritzschius, cum vulgo scribatur: καὶ ἀπεδήμησεν εὐθέως. Nam nervus non in eo est, ut cito abiisse herus, sed ut servus sine mora opus aggressus dicatur.

notitiam, defossum esse talentum.) καὶ ἀπέκρυψε τὸ ἀργύριον τοῦ κυρίου αὐτοῦ. (Ne quid detrimenti caperet depositum saevi heri. Lectio ἔκρυψε visa est nonnullis per v. 25. commendabilis.) V. 19. Μετὰ δὲ χρόνον πολὺν (Hoc in *redditione* non est nimis urgendum, quasi et Messias post multum temporis reversurus sit, sed adiectum, *ut per tantum intervallum sine ulla aliorum iniuria et nimia virium contentione pecuniam traditam in lucro poni potuisse intelligatur.* Rectius *vitae spatium* intellexeris, datum mortalibus, ut in lucrum vertatur.) ἔρχεται ὁ κύριος τῶν δούλων ἐκείνων, καὶ συναίρει μετ' αὐτῶν λόγον. (Rationem poscit depositorum.) V. 20. Καὶ προςελθὼν ὁ τὰ πέντε τάλαντα λαβὼν, προςήνεγκεν ἄλλα πέντε τάλαντα, λέγων· Κύριε, πέντε τάλαντά μοι παρέδωκας· ἴδε, ἄλλα πέντε τάλαντα ἐκέρδησα ἐπ' αὐτοῖς. (*Ad ea*, supra sortem.) V. 21. Ἔφη αὐτῷ ὁ κύριος αὐτοῦ· Εὖγε, δοῦλε ἀγαθὲ καὶ πιστέ· ἐπὶ ὀλίγα ἦς πιστὸς, ἐπὶ πολλῶν σε καταστήσω· εἴςελθε εἰς τὴν χαρὰν τοῦ κυρίου σου. (Εὖγε· Macte, bonum factum! pro εὖ praefert Fritzschius, quasi Graecis in praedicatione solemne, et v. 23. et Lc. 19, 17. Certe in his variant Cdd. Lectio ἐπεὶ ἐπ' ὀλίγα et sapit glossatorem tollentem Asyndeton, et, ut acute vidit recentissimus Criticus, ex Itacismo oriri potuit. Tene sententias sibi oppositas: *Paucis* praepositus, fidum te praestitisti, *multis* te praeesse iubebo. Χαρὰν alias *convivium* interpretati, quod ea graeca voce LXX reddiderint hebr. מִשְׁתֶּה Esth. 9, 17. [ubi tamen tum adiectum est שִׂמְחָה, tum praecedit יוֹם], nunc quidem ob sq. εἴςελθε εἰς de *loco coenae festivae* cogitant, cuius sit particeps factus servus. Audax explanatio, quae a translatione sensum libere, non verba repetente,

praebendam petit. Nihil est, quod primitivae vocis potestatem, quam ad rem pertinent PP., recedere legentem cogat. Ego tecum tibi bonam laetitiam*) comparabo. Redditum est: ita Messias vero nomini suo, strenuoque laboratori locum honorificum et beatum in regno suo assignabit.) V. 22. Προσελθὼν δὲ καὶ ὁ τὰ δύο τάλαντα λαβὼν, εἶπε· Κύριε, δύο τάλαντά μοι παρέδωκας· ἴδε, ἄλλα δύο τάλαντα ἐκέρδησα ἐπ' αὐτοῖς. V. 23. Ἔφη αὐτῷ ὁ κύριος αὐτοῦ· Εὖγε, δοῦλε ἀγαθὲ καὶ πιστέ· ἐπὶ ὀλίγα ἦς πιστὸς, ἐπὶ πολλῶν σε καταστήσω· εἴσελθε εἰς τὴν χαρὰν τοῦ κυρίου σου. (Observas non in copia commissarum facultatum cerni discrimen futurae beatitatis, si eadem adest, quod datum est, in bonum lucrum vertendi promta voluntas.) V. 24. Προσελθὼν δὲ καὶ ὁ τὸ ἓν τάλαντον εἰληφὼς, εἶπε· Κύριε, ἔγνων σε, ὅτι σκληρὸς εἶ ἄνθρωπος, θερίζων ὅπου οὐκ ἔσπειρας, καὶ συνάγων ὅθεν οὐ διασκορπίσας· (Noveram te hominem asperum, iniquum. Quae eius indoles per proverbium effertur. VORST. de Hebraism. 8. n. 8. cf. Ioh. 4, 37. al.) καὶ φοβηθεὶς, (Metus erat, ne talentum in lucro collocatum, adversa fortuna perdatur, et iniqui avarique heri ira exardescat. Satis fuit, non diminuisse depositum.) ἀπελθὼν ἔκρυψα τὸ τάλαντόν σου ἐν τῇ γῇ· ἴδε ἔχεις τὸ σόν. (Quasi dicat: nihil ultra de summo iure debeo.) V. 26. Ἀποκριθεὶς δὲ ὁ κύριος αὐτοῦ εἶπεν αὐτῷ· Πονηρὲ δοῦλε καὶ ὀκνηρὲ, (Improbe et ignave; quippe quem decuisset vel in hac indole heri multa sollertia eius commodis prospicere.) ᾔδεις, ὅτι θερίζω, ὅπου οὐκ ἔσπειρα, καὶ συνάγω, ὅθεν οὐ διεσκόρπισα. (Noli ponere signum interrogatio-

*) Ita CHRYSOSTOMUS, THEOPHYLACTUS al.: τὴν ἅπασαν μακαριότητα διὰ τοῦ ὀνόματος τῆς χαρᾶς ἐδήλωσε.

nisi cum Griesbachio et Fritzschio, quod dubitavit herus, recte servum de sua indole judicasse. Nexui aptius est, ut disputet e concessis*); et datis praemissis, tamen peccavisse servum evincat.) V. 27. Ἔδει οὖν σε βαλεῖν τὸ ἀργύριόν μου τοῖς τραπεζίταις· (Argenti in foenore apud nummularios positi usus videbatur tutissimus) καὶ ἐλθὼν ἐγὼ ἐκομισάμην [recepissem exigendo a nummariis] ἂν τὸ ἐμὸν σὺν τόκῳ. **) V. 28. Ἄρατε οὖν ἀπ' αὐτοῦ τὸ τάλαντον, καὶ δότε τῷ ἔχοντι τὰ δέκα τάλαντα. (Auferte, quod ei traditum fuerat in usum fructuosum, nam cum neglectum iacuerit, debetur ei, qui solertiae specimina edidit.) V. 29. Τῷ γὰρ ἔχοντι παντὶ δοθήσεται, καὶ περισσευθήσεται· τοῦ δὲ μὴ ἔχοντος, καὶ ὃ ἔχει, ἀρθήσεται ἀπ' αὐτοῦ. (De sententiose dicto v. quae ad 13, 12. supra diximus, de vera lectione τοῦ δὲ etc. in locum ἀπὸ τοῦ cet. v. Griesbach. et Fritzschium.***)) Καὶ τὸν ἀχρεῖον δοῦλον ἐκβάλετε εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον· ἐκεῖ ἔσται καὶ ὁ κλαυθμὸς καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων. (Carcer tenebricosus extra aedes lampadum et lychnorum festo lumine collustratas iisdem insignitur formulis, quibus aliae Geennae umbrae depinguntur. Itaque in redditione eo valet: improbus socorsque discipulus a beata societate Messiana excludetur et Orci suppliciis tradetur.) — *Redditionem* parabolae teneo hanc: Messias e terris in coelum profectus, sectatoribus instructis varia facultate relinquit rem:

---

*) Intellexi posthac, iam Grotium συγχώρησιν hic invenisse.

**) Salmas. *de foenore trapezit.* 549 sq. 562 sq.

***) Videntur verba heri verba facientis, non Christi, iudicium addentis, praesertim si respicis geminam narrationem Lc. 19, 26.

muni agendam. At reditus tempore, maioribus praeficientur, qui magnarum dotium multum fecere usum, laudati et ad Messianae beatitatis fructum admittentur; mediocriter donati, et ipsi ferventi studio incensi, praemiis digni iisdem censebuntur. Nec exiguum animi bonum excludit vitae officium, et si te falso timore praepeditum sentis, alteri tradendae sunt partes, ut, qui ex re concredita usus debebat fieri tuo labore, fiat alieno. Negligentiae muneris vel minimi cum nulla idonea excusatio sit, poena castigabitur. — Ex alio genere est et ad argumenti nobilitatem et ad formae concinnitatem narrationisque pertinentem verosimilem descriptionem Talmudica parabola ex Sohar chadasch f. 47, a. saepe collata *) — Quas vero Lucas exhibet c. 12, 36 sq. et 19, 11 sq. similes collationes, eae, quum idem argumentum varia forma et in alio nexu contineant, legentium studiis relinquantur! Ad priorem de servis herum e convivio reducem exspectantibus, quibus in praemium vigilantiae herus servilem induens personam ministraverit, deque servo fideli ac prudente maiori ministerio aucto, denique de nequam servo, libidinose vivente et violenter agente cum conservis, indeque maximo supplicio tradito non repetimus, quae similitudinis de decem virginibus illustrandae causa diximus. Additur v. 47. 48. *pro modo perceptae voluntatis heri (Dei s. Messiae) moderandas esse neglecti officii poenas;* et ab eo, cui multum sit concreditum, plus iri repetitum. Posterior de minis servorum usibus traditis collatio et de rationibus redditis, quamvis aliquot aucta partibus **), in

---

*) V. Schoettgen. *Hor. hebr.* 217. Et Unger. 160.

**) Suspicatur Unger. 130. Lucae parabolam e duabus partibus male conflatam, et *adulteratam*, ob quos-

vel summa, non distat a Matthaei parabola latius explicita.

Addita est ab uno Matthaeo iudicii Messiani luculenta descriptio; pulcre claudens rerum ad Christi adventum proxime trahendarum mentionem. *) V. 31. Ὅταν δὲ ἔλθῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῇ δόξῃ αὐτοῦ, (is splendor summus, quippe a Deo datus) καὶ πάντες οἱ [ἅγιοι videtur ecclesiastico usui maleve collatis ll. parall. deberi] ἄγγελοι μετ' αὐτοῦ, τότε καθίσει ἐπὶ θρόνου δόξης αὐτοῦ, (ut in tanta re tractanda dignus sit externus apparatus) v. 32. καὶ συναχθήσεται (scriptura exquisitior) ἔμπροσθεν αὐτοῦ πάντα τὰ ἔθνη· (Neque de diversissimarum gentium et regionum Christianis **) nunc recte cogitaveris, nec de mortalibus a Christi disciplina alienis ***), imo de populis sine exceptione omnibus †), ad quos iudicandi provincia Messiana dirigebatur e Iudaeorum aequalium Palaestinensium existimatione; non habita ratione patriae, cultus, natalium. Certe non una omnium sententia fuit, Israelitas nativitatis praerogativa a iudicio fore immunes, Deoque acceptos. Nobiliores prophetae in malorum atque bonorum discretione doctrina digniore praeiverant Christo. Et adiungebantur e mortuis in vi-

---

dam narrationis colores, Iesu animo parum convenientes.

*) Schott. 189 — 210. Keil. *de arg. l.* Mtth. XXV, 31 — 46. in *Op. acad.* (ed. Goldhorn.) I. 136 — 139.

**) Cum Lactantio, Euthymio, Theophylacto, Cypriano, Hieronymo, Grotio etc. Fit repugnante linguae usu in v. ἐθνῶν. Eo comprehenduntur Christiani, at minime fas est ad *solos* Christianos trahi.

***) Keilius al.

†) Paulus, Kuinoelius, Fritzschius al. Iudicium de omnibus orbis viventibus et mortuis a Messia instituendum v. et Act. 10, 42. 17, 31. Consentiunt cum nostra explanatione, *quod summum est*, apostolicae literae et sententiae.

convocati) καὶ ἀφοριεῖ αὐτοὺς ἀπ' ἀλλήλων (instantibus angelis cl. 13, 49.), ὥσπερ ὁ ποιμὴν ἀφορίζει τὰ πρόβατα ἀπὸ τῶν ἐρίφων (E pastoritia vita imago hausta, in qua hoedis cariores oves. Ezech. 34, 17. Inde peioris indolis homines illis, bene morati his conferuntur) καὶ στήσει τὰ μὲν πρόβατα ἐκ δεξιῶν αὐτοῦ (loco bene auspicato) τὰ δὲ ἐρίφια ἐξ εὐωνύμων (infausto omine. Fecit probabiliter pastor, ut secum certo consilio institueret gregis. Similiter Messias de genere humano iudicaturus.) V. 34. Τότε ἐρεῖ ὁ βασιλεὺς (ita modo h. l. vocatur Messias, nullo additamento) τοῖς ἐκ δεξιῶν αὐτοῦ· Δεῦτε, οἱ εὐλογημένοι τοῦ πατρός μου, (Ab patre meo benedicti, faustae sorti assignati ob probitatem et humanitatis laudem. In substantivi vim coluere v. 3) κληρονομήσατε τὴν ἡτοιμασμένην ὑμῖν βασιλείαν ἀπὸ καταβολῆς κόσμου (Messianum regnum a mundi incunabulis huic hominum generi divinitus destinatum.) V. 35. Ἐπείνασα γὰρ καὶ ἐδώκατέ μοι φαγεῖν· ἐδίψησα, καὶ ἐποτίσατέ με· ξένος ἤμην, καὶ συνηγάγετέ με (Nunc excepistis me hospitio, sed adhibuistis convivio cum aliis, ne *communionis* notio in compositi potestate verbi pereat *)). V. 36. γυμνὸς (nigre vestitus) καὶ περιεβάλετέ με· ἠσθένησα, καὶ ἐπεσκέψασθέ με (invisistis me)· ἐν φυλακῇ ἤμην, καὶ ἤλθετε πρός με. V. 37. Τότε ἀποκριθήσονται αὐτῷ οἱ δίκαιοι, λέγοντες· Κύριε, πότε σε εἴδομεν πεινῶντα, καὶ ἐθρέψαμεν; ἢ διψῶντα, καὶ ἐποτίσαμεν; V. 38. πότε δέ σε εἴδομεν ξένον, καὶ συνηγάγομεν; ἢ γυμνὸν, καὶ περιεβάλομεν; V. 39. πότε δέ σε εἴδομεν ἀσθενῆ, ἢ ἐν φυλακῇ καὶ ἤλθομεν πρός σε; (Homines modesti

*) Ita post Athenaei observationem a Grotio excitatam vere Fritzschius in *Comm.*

mulcendi; quam tibi ad liberam debeat memoriae dem, laudem.) V. 40. Καὶ ἀποκριθεὶς ὁ βασιλεὺς ἐρεῖ αὐτοῖς· Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐφ' ὅσον (Iurisconsultorum: in quantum; noli supplere χρόνον, quod nec necessarium et parum probabile, quod ita cessasse aliquando in beneficiorum collatione boni videntur informari) ἐποιήσατε (τὸ ἐπὶ) τούτων τῶν ἀδελφῶν μου τῶν ἐλαχίστων, (humillimae et miserrimae sortis mortales, quorum vindex Messias; non tantum Christiani) ἐμοὶ ἐποιήσατε. (Mihi fecistis sc. bene.) V. 41. Τότε ἐρεῖ καὶ τοῖς ἐξ εὐωνύμων· Πορεύεσθε ἀπ' ἐμοῦ οἱ κατηραμένοι, (exitio a Deo devoti) εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον (Geennam) τὸ ἡτοιμασμένον τῷ διαβόλῳ καὶ τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ. V. 42. Ἐπείνασα γὰρ, καὶ οὐκ ἐδώκατέ μοι φαγεῖν· ἐδίψησα, καὶ οὐκ ἐποτίσατέ με· V. 43. ξένος ἤμην, καὶ οὐ συνηγάγετέ με· γυμνὸς, καὶ οὐ περιεβάλετέ με· ἀσθενὴς, καὶ ἐν φυλακῇ, (ἀσθενὴς καὶ φυλακῇ, docente v. 39. 44. non eiusdem temporis sunt, nunc laxius coniuncta) καὶ οὐκ ἐπεσκέψασθέ με. V. 44. Τότε ἀποκριθήσονται καὶ αὐτοὶ, λέγοντες· Κύριε, πότε σὲ εἴδομεν πεινῶντα, ἢ διψῶντα, ἢ ξένον, ἢ γυμνὸν, ἢ ἀσθενῆ, ἢ ἐν φυλακῇ, καὶ οὐ διηκονήσαμέν σοι; (Tibine ministeria denegavimus?. Fatentur improbi, se ignorare, quo tempore viderint Messiam cum miseriis luctantem, et eius inopia benignitate non sublevarint. Nulla nobis memoria est nec earum aerumnarum, nec nostrae crudelitatis.) V. 45. Τότε ἀποκριθήσεται αὐτοῖς, λέγων· Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐφ' ὅσον οὐκ ἐποιήσατε ἑνὶ τούτων τῶν ἐλαχίστων, οὐδὲ ἐμοὶ ἐποιήσατε. V. 46. Καὶ ἀπελεύσονται οὗτοι εἰς κόλασιν αἰώνιον (Geennae ignes aeternos) οἱ δὲ δίκαιοι εἰς ζωὴν αἰώνιον (beatitatem Messianam sempiternam).

Ceterum non erat, quod mirarentur multi,

humanitatis, misericordiae, solidae benignitatis laudem summam poni *), et reliquarum cohortis virtutum apparere coram tribunali Messiano. Non erat, quod in tam gravi et urgente generis humani exploratione de fide, pietate, de honestum consiliorum fonte, de reliquarum virtutum exercitio, brevi de vitae genere in utramque partem, de obsequio Messianis praeceptis praestito aut negato inquirendum fuisse summi iudicii contenderent indeque ad varia interpretandi artificia confugerent. Qui ita disputant, parum illis perspectam habere videntur regiam Christianismi legem, de amore erga proximum eodem, quo nobis favemus, teneritate fovendo, nec assequuti sunt feliciter primarium disciplinae Messianae finem, ut humane homines degant cum hominibus. Id quod nobis satis ostendisse videmur disceptatione, quae de civium divinae societatis indole atque officiis supra fuerat instituta **). Φιλανθρωπίας et Φιλαδελφίας ut nomina deinceps christiana facta sunt, ita res christianissima fuit.

Quae videntur superesse, Lucae in h. causa peculiaria capita, 12, 8. 9. (cf. Matth. 10, 32. 33.) 36 — 53. 15, 23 — 30. 17, 20 — 37. 19, 11 — 27. 21, 5 — 36. ea sicco pede transeunda censemus, nec aut agamus acta, aut legentium acumini vi-

*) Ingeniosa est antiquioris interpretis (d'Espagne v. Koecher in *Anal.* p. 452.) sententia, arbitrantis, ob opera misericordiae iuste exigi die misericordiae, et ab his, qui ipsi misericordiam implorent divinam. Iac. 2, 13.

**) Proxime ad verum accessit Grotius (ad v. 35.): „Inter virtutes omnes eminet misericordia. Idcirco „hanc pro omnibus ponens Christus exemplis de„pingit maxime notis atque conspicuis. Opera au„tem ipsa potius nominat quam animi affectum, ut „humani iudicii forma magis exprimeretur.“

dantur, difficilem, quae illa continent, de conditione Mundi morum discipulorum Domini, de adventu expectando, de perpetua vigilantia, de repentina divini legati praesentia, de funestissimis mortalium ante Messianam epocham eventis, externis internisve bellis animorumque dissidio insignita est. Servatoris praecepta, cautelae ac similitudines et vel in geminis prolationibus explanare, vel ita similia loca, quae in longissimis sermonibus Messianis a nobis proposita invenias et plus aliis quam hermeneutices leges finita sunt, ut quis hujus argumenti veritatem concedat, de altera parte dubius haerere nequeat. — Utimur potius eo, quod datum est, otio, ut quaestionem perdifficilem de authentia, interna veritate, integritate et ad reliquam Christi disciplinam convenientia actionum harum pro officio nostro agitemus et pro virium modulo expediamus.

** I. Sunt inter nostros homines, qui, cum sibi persuaserint, dicere Christum in Synopticis libris ad sensum simplicem, literalem, historicum de reditu suo e coelesti domicilio, proxime instante, superstite hac hominum progenie, superstitibus parte illis apostolis, de excidio Hierosolymorum et rerum humanarum fine temporis vinculo arctissimo connexis, de superstruendo huic tantae ruinae in hoc orbe Messiano imperio augustiore et aeterno; continuo effectum arbitrantur, talia Jesu Christo tribui non ex errore scriptorum, sed aetatis, cujus fuerit filius. Et quidem praecivisse Servatorem optimum sublimi de rebus divinis doctrina, vita divina, ingenio Numini deditissimo et unico, meritis de genere humano vel per omnius exempla nulla oblivione terendis. At eundem, cum Messianum munus severe totoque animo sustinuerit, ne ab existimatione quidem Messiana, huic aetati familiarissima,

absolutae. Satis enim habuisse, et hanc partem systematis Messiani prophetarum, et excoluisse praeclare, et in primo loco collocavisse. Condonandos esse hos tales errores temporibus Iudaicis; praesertim quum tantum abfuerint, ut vitam turbaverint *), virtutisque studium fregerint, ut adiuverint, Deo apostolicis aetatibus providente, ut assidua Christi proxime redituri exspectatione Christianorum suspensi tenerentur animi, adversus fortunae iniurias munirentur, morti et equuleo in coelestium gaudiorum et tribunalis Messiani spe intrepide obiicerentur. — Quorum quod prius asserunt de textus synoptici vera potestate, concedendum est, ob veritatis amorem, qui in *primaria virtute* ponendus est literati hominis christiani; alterum tale est, ut multis non recte satis et circumspecte conclusum videri possit visumque fuerit. Quod ut quale sit, declaratur, subtilior requiritur disceptatio *dogmatica* et *psychologica*, quam, ne alienum fundum invasisse per hanc scriptionem dicamur, aliis lubenter relinquimus. —

II. Qui Iesu ingenio hanc systematis Messiani suae aetatis partem parum dignam existimant, allegorias subesse suspicantur, **) de invisibili Messiae in diruendis Hierosolymis efficacia, de laeto evangelicae causae praeconio cet. At ut ne dicamus, Philonianam, Origenianam, Kantianam licentiam a peritis ad verae interpretandi artis monstra referri, et, an danda sit oratoribus sacris, varie disputari: repetimus, tuta reconditi sensus vestigia penitus deesse ***), lucu-

*) At Chiliastici errores ex quonam manarunt fonte?

**) Nupere repetiit Baumgarten-Crusius: *Grundzüge d. bibl. Theol.* (Jen. 828.) p. 441 sq.

***) Quae tamen alias adsunt, et in sermonibus aliquot Christi Ioanneis.

lauta propria sermonis indicia adsunt, inde illud aliter ἀλληγορίζειν (quod pervetusta Judaeorum viae saepius indicium est), omninoque aegerrime *breviora* Iesu ex h. genere dicta vim illatam ferunt. *)

III. Tertium est, ut de eorum sententia ex historicis exegeticisque argumentis iudicemus, qui in his orationibus *vaticinia post eventum* consignata (Prophéties après coup) invenisse sibi videntur. Dicunt Hierosolymas expugnatas templique cineres ansam praebuisse vitae Christi scriptoribus, evolvendi imaginem propheticam, variis rerum gestarum coloribus distinctam, Messianumque os decente in rebus futuris exponendis facundia. Ergo sumunt, Triumviros nostros literis exarasse libros post urbis reique publicae interitum. De qua re cum subtilior sit disquisitio, *interius* maxime argumentis perficienda, ab hoc loco aliena, nihil universe decernendum est. Videtur tamen huic sententiae valde obstare, quod, ut in vaticiniis ex eventu formatis habeantur, *nimis generatim* expressi sint sermones, *exaggerati*, et signorum mentione aucti, quorum in re gesta defectus testes vastatae urbis templique incensi lectores de Messiana auctoritate addubitantes reddidisset. Et adsunt *breviora* dicta, in quibus cum hoc unum insit, Christum superstite h. hominum genere, ad iudicium Messianum habendum de coeli nubibus esse reversurum, nullus respectus est ad Hierosolymas vel dirutas vel diruendas. Idem valet de *interpolationibus*, quae nec certo indicio ostendi possunt, nec satis forent rebus gestis aptatae. Et si post Titi victoriam haec li-

*) Exquisite de Wette *Bibl. Dogm.* §. 197. „Um blosse Bilder zu seyn, sind jene Aeusserungen *zu bestimmt*, und schliessen sich zu *entschieden* an die messianischen Vorstellungen der Juden an."

tenis consideravissent Evangelistae, neque ingenium potius, quidem leni discentium declarationem sequuti, reditum Messiae huic eventui non proxime adnexuissent contra experientiam, sed in remotius tempus distulissent. *)

IV. In re tantae obscuritatis et ambiguitatis et in tanta antiquitate rei quaesitae, quum temeritatis sit, non bonae audaciae, nostram pro certissima venditare sententiam, nostram peritorum hominum profundo iudicio submittimus. Duplex emergit etiam in hoc capite doctrinae παιδείας τρόπος, alter Palaestinensis Synopticorum, alter Alexandrinus Ioannis **). Uter genuinas retulerit Christi voces, quaeris? Ardua responsio est. Nam si de uno doctore apud diversos discipulos non diversa tantum, sed repugnantia inveneris tradita, quos tandem pacto tentabis in tertii, mediam tenentis viam, defectu conciliationem? Ioanneus Christus (vid. infra) de invisibili et praesentia ea partes cla-

*) Eius rei leve vestigium invenerunt (Kaiser. *bibl. Theol.* II. 247. de Wette. *hist. krit. Einl. in d. N. T.* §. ...) in Lc. 21, 9. ἀλλ' οὐκ εὐθέως τὸ τέλος, quasi Lucas, post Hierosolymas vastatas scribens, noluerit de fine rerum mortalium ponere εὐθέως. Sed error est. Nam paralleli scriptores (quod neglectum fuerat) in eadem causa idem dicunt, Mtth. 24, 6. ἀλλ' οὔπω ἐστὶ τὸ τέλος Mc. 13, 7. ἀλλ' οὔπω τὸ τέλος. Et plane diversum est in alia serie Matthaei εὐθέως 24, 29. Nec maiorem vim habet, quod Lucam 21, 12. 16. repugnare contendant Matthaeo 24, 9., quasi ille *ante*, hic *post* expugnationem referat trucidatos discipulos. Nam Matthaei formula τότε latioris ambitus est.

**) Agnovit de Wettius *Einl. in d. N. T.* 354. qui discrepantiam hanc contulit dissimilitudini Apocalypseos et evangelii Ioannei. — Aliter Baumgarten-Crusius l. c. 439. — Nostrae sententiae favet plerumque Boehme. *de spe Messiana apostolica.* (Hal. 826. 8.) 60 sq. ad quem, cum de diversa Synopticorum et Ioannis indole multus sit, infra redibimus.

redditur; ad apostolos verba facientis, imbibisse visus est: non ad vitae veritatem stricte redditus; sed ad discipuli amantissimum ingenium loquentemque pietatem liberius expressus; Christum Synopticorum non semel, sed saepius, sed brevius longiusque quae dixerit de Messiana pompa, deque celeberrimo et splendido ad sanctissimum iudicium adventu inter aequales, inserendum credimus aptis ad populares opiniones. Ad accommodationem, quae scholis est, pertinere nunc provocaverim; quamvis in Synoptico evangelio familiares et interiores quidem admissionis alloquitur Dominus. — Quid multa? Nobis visi sunt tres priores scriptores dicta Iesu hinc illuc nimis σαρκικῶς interpretati esse, ampliavisse, ornavisse ad receptas aevi sententias, sibi caras, ad quas spes et exspectationes. In rei summa palma Ioanni concedenda videtur, in adumbranda integra et authentica Christi indole. — Atqui huius principii veritatem in singula descendendo per omnes doctrinae partes clarissime evincere sustinuerit, ei cavendum erit, ne non saepe persuadeat omnibus, saepe e coniecturis loquatur. — Diximus, *salvo meliore iudicio*, ad hoc genus disputationis paucis infra redituri. —

PARS IX.

DE GENERE BONORUM ET BEATITATIS, QUO PERFRUENTUR REGNI DIVINI SODALES.

In iura ac praemia, quibus potientur civitatis divinae socii, et eorum genus penitius inquirentes non latebit diu, Iesum non esse in Synoptico evangelio fusam orationem, maluisse eum formulis et brevibus et ambiguis uti. Quae si eius generis esse reperientur, ut ad literam explanatae cum palmaria parte doctrinae conciliari nequeant: vel dicendum est, ad populi discipulorumque vulgo aequalium opiniones descendisse magistrum, ne abalienaret animos, qui interiore usu disciplinae sensim ad veriora essent traducendi, vel evincendum, vestigia sensus ut sublimioris ita secretioris non deesse, vel concedendum, satis sibi non constitisse doctorem, unum de officiis Messianorum civium locum immutantem aut in clarissima luce collocantem, felicitatis Messianae genus intactum relinquentem, in hac causa aequalibus non maiorem. — Quae amplexanda sit sententia, tutius, perlustratis Christi vocibus, cognoscetur.

Vulgarem de Messiana laetitia delicatisque voluptatibus existimationem Christi non occupavisse animum, quis tandem si non proxime, at per ambages indicatum arbitrabitur, quod ex Synoptica Messiae in deserto tentationis narratione

sprevisse dicatur τὰς βασιλείας τοῦ κόσμου καὶ τὴν δόξαν αὐτῶν? Nam utcunque tandem cum recentissimis Criticis de mythica pericopae indole et compositionis modo ac fine iudicaveris, hoc dandum est: ne ex mente quidem scriptorum politicum fingi Messiae ingenium, ambitionis plenum, sed voluptatum fugam, laborum pro divina causa amorem et patientiam ei tribui, vitam eius in cultu Deo praestando et obsequio divinae legi habendo consumendam esse. Quo eodem tendunt, quae supra contra eorum sententiam impugnandam latius monenda duximus, qui Iesum iudaici imperii flagravisse et terrestrium honorum cupiditate contra Evangelistarum literarum recte perceptam traditionem specie veri paucis persuaserant. Hunc talem Messiam, in praedicanda μετανοίᾳ totum occupatum, a regia ambitione et fastu Pharisaico alienissimum, hunc, inquam, in voluptatibus sensuum adminiculo percipiendis summum finem posuisse civitatis condendae, quis tandem ingeniorum aestimator interna veritate credibile esse asseveret?

Proximum est, ut quod diximus corroboremus eorum contemplatione dictorum, quae in orationis montanae exordio posita, illustrare videntur, quod expectandum sit theocratiae Messianae futuris civibus, genus beatitatis. Hi vero μακαρισμοὶ tam concise dictis absolvuntur, ut non possis satis tutum elicere sensum. De singulis vv. supra cum sit alio consilio expositum, paucis nunc defungi licet. Et existimamus quidem, subesse indicia reconditioris Christi mentis eo tendentis, ut non vile genus hominum rebus caris plene potiturum speret et sperare iubeat, sed confidere praecipiat candidas animas, honestissimarum rerum desiderium abunde expletum iri. Nam etiamsi formulas ap. Matth. 5, 4—12.

[illegible] [illegible] θεὸν ὄψονται [illegible] αὐτοὶ υἱοὶ θεοῦ [illegible] ὁ μισθὸς ὑμῶν, πολὺς ἐν τοῖς οὐρανοῖς geminas nobis visas esse, quippe in parallelismo synonymico positas; illic ὅτι αὐτῶν ἐστιν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν v. 3. et 10. supra (p. 179.) diximus; tamen non eo procedendum putamus, ut negemus, inde nihil, quod oratoris tritâ promiscuae plebis existimatione sublimius ingenium prodat, duci posse. Nam (v. 6.) πεινῶντες καὶ διψῶντες τὴν δικαιοσύνην, si dicuntur per Messiani imperii felicitatem expleturi honestissimam famem sitimque, num perituram cibum potumque [illegible] significatum, quam aeternum pabulum animorum? *) Nam priore potiti, ne voti quidem sui compotes essent facti. Reliqua hominum genera, quamvis generatim indicata, humiles, contristatos (*divino moerore depressos*), mites animi, misericordes, puras animas, pacis studiosos et amantes, ob probitatis et divinae legis studium publice privatimque vexatos, prophetarum sortem expertos vel experturos, vix tibi persuadebis, vitam vitalem in delicatiorum voluptatum affluentia magis, quam in rerum divinarum profundiore cognitione et fructu posuisse. Et quod v. 12. (cl. Lc. 6, 23. ἰδοὺ γὰρ ὁ μισθὸς ὑμῶν πολὺς ἐν τῷ οὐρανῷ.) *in coelestibus partibus* eorum futura merces informatur, adducto prophetarum exemplo, id miror non satis animadversum esse, obstare aequalium opinioni, Messiae regnum *in hoc orbe redintegrato* condendum Hierosolymasque augu-

*) Ita illo docente diem, restringimus sententiam, supra p. 173. propositam.

nas coelitus demittendas esse. *) Sed fateor, brevius dictum sparsam per Synopticos libros sententiam de Iesu coelestem sedem relinquente ad auspicandum imperium Messianum non ad nihilum redacturum esse, si alia nos vestigia desererent.

Pergimus ad Christi vocem, qua fiduciam admiratus centurionis Capernaumitici, qui absentem servum uno verbo a Iesu sanitati restitui posse firmissime persuasum habebat, adstantes comites compellasse fertur Mtth. 8, 11.: Λέγω δὲ ὑμῖν, ὅτι πολλοὶ ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν ἥξουσι καὶ ἀνακλιθήσονται μετὰ Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακὼβ ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν. Ex dissitis et remotissimis orbis tractibus venient sub auspiciis regni Messiani, epulis ut accumbant cum praeclaris Iudaeorum maioribus.

Mirari debuit turba, quae uni Iudaico nomini destinatam esse et divinitus decretam beatitatem Messianam a teneris imbiberat. **) At fortiora sunt, quae addidit v. 12.; οἱ δὲ υἱοὶ τῆς βασιλείας ἐκβληθήσονται εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον· ἐκεῖ ἔσται ὁ κλαυθμὸς καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων. Υἱοὶ τῆς βασιλείας (cl. 13, 38.) sunt qui rei Messianae praerogativa se instructos et in hanc sortem natos credunt, Iudaei, non excludendi, quod sint Iudaei, sed quod fidem denegent datori bonorum, Messiae (v. 10. Ἀμὴν λέγω

*) Gratzius, Fritzschiusque (in Comm.) haec verba non de dispensanda, sed de decreta in coelis mercede percipi iubent, hic conferens imaginem de *libro vitae*, in coelis servato, in quo piorum Deoque acceptorum mortalium sint consignata nomina, destinataque merces vitae aeternae. At haec explicatio linguae usum violat, quod plura sumit, quae h. valere l. non fas est sumi, sed probari.

**) Schoettgen. *Hor. H.* ad h. l. Bertholdt. *Christol.* § 39. p. 196 — 99.

ὑμῖν, οὐδὲ ἐν τῷ Ἰσραὴλ τοσαύτην πίστιν εὗρον!). Oppositum habes τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον, tenebras carceris extra triclinium, festivo lumine collustratum et bene calefactum, profundas et asperas, per quas exspectat fletus stridorque dentium meritos, cl. 24, 51. 25, 30. (Similiter in alio nexu Luc. 13, 28. 29. Ἐκεῖ ἔσται ὁ κλαυθμὸς καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων, ὅταν ὄψησθε Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακὼβ καὶ πάντας τοὺς προφήτας ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ θεοῦ, ὑμᾶς δὲ ἐκβαλλομένους ἔξω. Καὶ ἥξουσιν ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν, καὶ ἀπὸ Βοῤῥᾶ καὶ Νότου· καὶ ἀνακλιθήσονται ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ θεοῦ.) *Proprie* h. dicta et capienda fuisse ab auditoribus, concedi potest, quoniam vestigium sublimioris aut allegorici sensus non adest. At nonne magnum fuit, ab una exitiosa opinione avocasse populares, regni Messiani intra iudaicos fines continendi, satinne cautum fuisset, eodem impetu coram promiscua plebe invasisse exspectationem bonorum intra divinam societatem percipiendorum? Cui sententiae assequendae mens impar multitudinis coegit doctorem populariter cum populo agere.

Eodem referimus orationis Dominicae particulam, quae est Mtth. 6, 9. 10. (cl. Lc. 11, 2.): ἐλθέτω ἡ βασιλεία σου· γενηθήτω τὸ θέλημά σου, ὡς ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ τῆς γῆς, subtilius inspectam. Posterior enuntiationis pars diductionem s. ἐπεξήγησιν continet prioris. In piis desideriis haberi vult Christus a suis, quibus hac precandi formula praeivit, *) adventum regni Mes-

*) Et precationem synagogicam קדיש, et alias precandi formulas continere imperii Messiani adventus mentionem, quam nefas crediderint doctores prae-

siani, cuius qualis sit primarius finis dilucide exponit, addens: precandum esse, ut voluntati divinae inter terrae incolas non minus, quam inter Coelites fit (angeli sunt, [ψ. 103, 21. Lc. 15, 10.] non sidera), obsequium praestetur, ut una sit in coelo atque terris familia, agnoscendae et persequendae divinae legi intenta. (Lc. 2, 14.)

Id non fit magnificis dapibus. Ergo, si unquam alias, nunc cedat τῷ πνεύματι γράμμα. Et si his adiungere fas est primariam formulam ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σου, sanctum habeatur nomen tuum, quid curae cordique fuerit Messiae, legum latori, precationis exemplo proponendo, quid infimo loco habendum putarit, ab his, qui non amant coecitatem et norunt excelsa ingenia, celerrime diiudicabitur.

Impeditior est Christi apud Mtth. 19, 27. 28. oratio. Nam Petrus, iuvenis exemplo, qui divitiarum dulcedine tantum captus tenebatur, ut in causae christianae commodum, suasore Iesu, cedere eas pauperibus non posset, indeque virtutis fiducia fracta, moestus discesserat, audacior factus, magistro quaestionem proponit, confiden-

---

termitti, constat. Wetsten. ad h. l. Praeclare Grotius ad v. 9. „Non praecipit Christus verba recitari, quod nec legimus apostolos fecisse, quamquam id quoque fieri cum fructu potest, sed materiam precum hinc promere. Et sane nihil est dignum oratu, quod non in partes huius formulae tamquam in locos suos recte digeri possit. Oratio enim haec, ut Tertullianus loquitur, quantum substringitur verbis, tantum diffunditur sensibus. Docent autem nos ea, quae ex Hebraeorum libris ab aliis sunt citata, non tam formulam hanc a Christo suis verbis conceptam, quam in eam congestum, quidquid in Hebraeorum precibus erat laudabile: sicut et in admonitionibus passim utitur notis eo seculo proverbiis. *Tam longe abfuit ipse Dominus ecclesiae ab omni affectatione non necessariae novitatis.*“

tiorem, et spirituum plenam: *ἰδοὺ ἡμεῖς ἀφήκαμεν πάντα* (*ad literamne* vere dictum sit, dubitamus, si vitae genus apostolorum et alia Evangeliorum loca tenuerimus) *καὶ ἠκολουθήσαμέν σοι· τί ἄρα ἔσται ἡμῖν;* Responsum magistri exspectaris, non quod alat iudaicam mercedis spem et fiduciam, sed reprimat intumescentem superbiam, ad altiora ducat animos et terrestrium bonorum contemtionem doceat. At Iesus: *ἀμὴν λέγω ὑμῖν*, ait, *ὅτι ὑμεῖς οἱ ἀκολουθήσαντές μοι* (interioris aditus familiares), *ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ ὅταν καθίσῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ θρόνου δόξης αὐτοῦ, καθίσεσθε καὶ ὑμεῖς ἐπὶ δώδεκα θρόνους, κρίνοντες τὰς δώδεκα φυλὰς τοῦ Ἰσραήλ.* Ita duodecim amicis, qui latera cingebant, non tantum praerogativam concedit in proximo rerum ordine novo, sed talem, qualem nec ardentissima iudaici ingenii spes splendidius informare ausa fuerit. Et si nihil aliud, hoc offendet peritos, hanc unam esse *δωδεκαρχίας* in Palaestinenses tribus primis Messiae adseclis datae mentionem *). Adumbratio est hyperiudaica. *Is autem sermo, in quo nimii (consulto?) sumus, generi εἰρωνείας saepe proximus.* Καὶ πᾶς ὅστις ἀφῆκεν οἰκίας, ἢ ἀδελφοὺς, ἢ ἀδελφὰς, ἢ πατέρα, ἢ μητέρα, ἢ γυναῖκα, ἢ τέκνα, ἢ ἀγροὺς, ἕνεκεν τοῦ ὀνόματός μου, ἑκατονταπλασίονα λήψεται, καὶ ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσει. Dilatata promissio bonorum huius vitae, intra theocratiam Messianam uberrima compensatione recuperandorum, his facta, qui ob nomen Christi suos suasque res dereliquerunt, si esset seria, et videretur, collata cum antecedd. vv. indicare gradus

*) Aptata mentio duodecim thronorum duodenario apostolorum numero. De coniectura Kaiseri (*bibl. Theol.* I. 242.) v. supra p. 195 not.

varios percipiendae beatitatis futurae, et Chiliasticam eius indolem et diuturnitatem. Nos, sequuti interpretem recentissimum *), gravibus de

---

*) Liebium in *Comm.: Ueber Mtth. XIX. 28. oder eine v. Evangelisten u. s. Auslegern übersehene Ironie* etc. in l. Wineri: *exeg. Stud.* I. 59 sq. quocum cf. Schulthess. *N. th. Annal.* März. 1828. p. 192 sq. Loca parallela sunt Mc. 10, 17 sq. Luc. 18, 18 sq. in quibus tamen nec parabola nec ea verba exhibentur, quae apud Matthaeum offensioni sunt v. 27. 28. Nititur interpres (p. 76.) Mc. 10, 32., quo Iesus dicatur antecedens apostolos (προάγων αὐτοὺς), hi magistri vestigia pressisse narrentur timore perculsi (ἐθαμβοῦντο καὶ ἀκολουθοῦντες ἐφοβοῦντο), brevi post, quasi sedatis utrimque animis, denuo in familiare Iesu adloquium adsciti (παραλαβὼν πάλιν τοὺς δώδεκα). Huius tanti affectus idoneam causam in antecedd. non esse proditam, nisi per ironicum sermonem vanam discipulorum exspectationem fortius et acerbius repulsam esse credas: nam non sufficere (?) vv. v. 31. πολλοὶ δὲ ἔσονται πρῶτοι, ἔσχατοι καὶ ἔσχατοι, πρῶτοι. Et in illo v. 21. ἠγάπησεν αὐτὸν levius esse ironiae vestigium. *Sed ita concessit, apostolos ex Marci relatione percepisse ironiam, quod non convenit primariae enuntiationi, tectam Matthaeo ceterisque apostolis eorumque interpretibus fuisse.* Animi commotio recte derivatur (Theile. l. eod. 80. Schulthess. l. c. 202.) a praedictionibus malorum, quae antecesserant cl. Mc. 8, 34 sq. 9, 31. Si vero μετὰ τῶν διωγμῶν v. 30. *debebis* vertere: *una cum persequutionibus, medias inter calamitates* (v. Winer. *Gr.* p. 217. cl. *tamen* Raphel. *Annott.* p. 401 — 404.) credas tantum ironiam crevisse, ut iudaica aure opus sit et iudaico fastu ad eius negligentiam. — Ceterum Marcum ex Matthaeo et Luca composuisse narrationem (Theile. l. c. 78 sq.) e collatione parall. ll. ita lubrica est et incerta errat argumentatio, ut contraria ratio, Marci principatus, aequaebili in h. pericopa specie veri (Schulthess. l. c. 198 sq.) indicari possit. Sed de re altioris indaginis nostrum nunc fusius exponere iudicium, huius loci non est. — De verbis denique in alio nexu a Luca memoriae proditis 22, 29. 30.: κἀγὼ διατίθεμαι ὑμῖν, καθὼς διέθετό μοι ὁ πατήρ μου βασιλείαν, ἵνα ἐσθίητε

causis ironiam subesse persuasum habemus, quae et Matthaeum apostolosque latuit, et interpretum agmen ad nostros dies. Nam a. postulat posteriorum vv. *nexus*. Ea datam apostolis in futuro coetu primarum partium praerogativam non tantum sapienter restringunt, sed tollunt. Mtth. v. 30. πολλοὶ δὲ ἔσονται πρῶτοι ἔσχατοι· καὶ ἔσχατοι πρῶτοι. Mc. 10, 31. Concise dictum illustratur adiecta similitudine de operariis in vinea, utriusque vero consilium est, ut intelligant audientes: neminem meritis de re christiana pro annorum numero confisum suo iudicio primum fore; ex voluntate Domini coelestis regni praemiorum dispensatione suspensa, esse futurum saepius, ut norma existimationis et iudicii communis pervertatur contrariusque emergat ordo. Id denuo aperit conclusionis formula v. 16. οὕτως ἔσονται οἱ ἔσχατοι, πρῶτοι· καὶ οἱ πρῶτοι, ἔσχατοι. Πολλοὶ γάρ εἰσι κλητοὶ, ὀλίγοι δὲ ἐκλεκτοί. Quid magis repugnat manifestae voci v. 27. 28. quam h. non tam moderatio antegressae enuntiationis, quam contraria opinio? Et persequere nexum huius pericopae longioris 19, 16 — 20, 28. Christus, Hierosolymas iter ingressus, proponit discipulis, proximorum regni auspiciorum spe animos pascentibus, imaginem futurorum malorum. Idne alia de causa fecit, nisi ut ab exspectata mercede splendida mentes averteret, et ad dira omnia subeunda suo exemplo communiret? Nec tamen ei cessit, nam brevi post (id quod confirmat, antecedentia ironico, quem substravit Iesus, sensu non fuisse percepta)

καὶ πίνητε ἐπὶ τῆς τραπέζης μου ἐν τῇ βασιλείᾳ μου· καὶ καθίσεσθε ἐπὶ θρόνων, κρίνοντες τὰς δώδεκα φυλὰς τοῦ Ἰσραὴλ valent eadem, quae diximus.

accedunt Zebedaidae *) aut eorum mater, insolenter petentes proximos post Messiam in republica honores. Horum ita repellit arrogantes impetus, ut ad calamitatum acerbitatem sibi exhauriendam rursum provocet, tanquam ad rem primariam et *certissimam*, dein audacius declarantibus suam ad societatem aerumnarum promtam voluntatem, non concedat mercedem, sed importunos ad Deum alleget, in cuius sit potestate, quidquid attineat futura praemia. Proinde commendat non sui, sed aliorum amorem et ministerium. Imperium in eo quaerite, ut aliorum de salute vestris invicem officiis mereamini. — Quid igitur, credibilene est, acerbe et severe repulisse Zebedaidarum arrogantiam Christum, Petri *pariter animati* quaestionem aequo tulisse animo, imo favente, augendo spem seria promissione? — b. Iudicum munus per tribus Palaestinenses exercendum non congruit cum iudicii universalis descriptione, quae infra 25, 31 sq. est. Utrum Christo convenientius? Ut de dispari docendi formula Ioannea nunc taceam. Nisi forte cum Chiliastis, perfecto iudicio universali in orbis populos habendo, malis Christocratiam Palaestinensem, satrapis apostolis, significatam. — c. Et hi, qui ironiam negant, *diserta* vel *genuina* Iesu verba esse negant. Aut ad *allegoriam* confugiunt, quod erat probandum, non sumendum, aut quod multo est audacius, cum ex coniectura coniecturae innisa sit dictum, vv. a Matthaei redactore, homine chiliastico, interpolata dictitant. Quid enim magis arbitrarium est, quam quorum de authentia nullis externis subsidiis dubitare cogimur, vv. ob argumenti indecentiam e textu proscribere, quam

*) Tres familiarissimi Petrus, Iacobus, Ioannes ob hoc ipsum arrogantiores!

novam explanationem, interna specie veritatis commendabilem, nexu sustentatam, a grammaticis argumentis certe non reiectam, tentare, cui hoc ab homine veri amante et literato vitio verti nequit, ironiam nunquam ab apostolis, nec ad h. diem ab interpretibus animadversam esse *). — d. Dicat aliquis, dicterio Christi ironico carpi et restringi nimium desiderium et falsam fiduciam praemiorum in animis familiarium, non vero ipsam beatitatis σαρκικῆς exspectationem castigari et emendari. At utrumque cohaeret. Nam exaggerans Christus mercedem verbis, ut apostolos mercedis studii per ironiam reos faceret, proxime ab eo abfuisse videtur, ut eos in exspectatione generis mercedis erravisse contenderet. Quod eo certius praecipietur, si *alias* ad contrariam sententiam delapsum videmus doctorem. Et Zebedaidas ad rectam sanamque mentem revocans, ab ambitiosa petitione, commendat ταπεινοφροσύνην, malorum tolerantiam, et quod mutuis ministeriis bonisque officiis praestandis cernatur, dominium probitatis et virtutis amore aliorum flagrantis. Mtth. 20, 25 — 28. Mc. 10, 42 — 45. Eodem refer Christi voces, ut, qui sectatores genuini esse velint, σταυρόν suscipiant, humana voluptate et necessitudine divinae causae posthabitis. Mtth. 10, 37 sq. 12, 46 — 50. cl. Mc. 3, 31 — 34. Lc. 8, 19 — 21. Mc. 8, 34 sq. add. Mtth. 24, 9. cl. Mc. 13, 9. Lc. 21, 12. Praeterea quis credat, Iesum idcirco iussisse suos abdicari bonis huius

---

*) Itaque non putamus serio scripta esse a Censore l. c. p. 195. „Das wäre doch eine ganz erbärmliche Ironie (!), wenn sie dem Evangelisten und allen Auslegern des N. T. ihrer Länge und Breite ungeachtet bis ins 19te Jahrh. entgangen wäre.“ Talia in mentem revocant argumentum a tuto et praescriptionem veritatis, quam nostro seculo dignam!

vitae et commodis, ut luculentiores generis eiusdem voluptates post breve intervallum consequantur? *Id una prudentia commendarit discipulis.* Sed quis hoc cum eo, de quo supra tractavimus, de officiis civium Messianorum loco conciliet? — e. Id quod difficilius videbitur ei, qui non *literali* interpretationi totus coecusque adscriptus, πνευματικὴν s. *psychologicam* suo tempore advocare didicit, quam ironica verba indoli Iesu, aliunde per Evangelicam scriptionem proditae, aptare. *)

Accedunt (narrantibus Mtth. 22, 23 — 33. Mc. 12, 18 — 27. Luc. 20, 27 — 40.) Sadducaei, tentantes magistri de celebrato capite doctrinae sagacitatem. Nam quasi agmine facto contrariarum scholarum discipulos impetum in tantum prophetam, Messianam professum dignitatem, fecisse, non mirabuntur, qui magnorum doctorum vitam perpenderint nulla non aetate malignis aequalium artibus ita fuisse infestatam, ut coirent in unum diversae originis et consilii diversi sodalitia, optimae rei lege aeterna acerrimo proposito certamine. Proponunt casum fictitium **), irrisuri difficultate enodandi artificiose lepideque compositam fabellam doctorem sapientem, unâque, quam eum probare vel compertum habebant vel suspicabantur, de corporibus in vitam revocandis tritam et coetui suo invisam opinionem. Iesus scite missa, ob praemissas non concessas, sed sumtas, inepta quaestione, *in capite rei* et ὑποθέσει erravisse criminatur insidiatores, scriptaque lege (Pentateuchi!) refutat. Mtth. v.

---

*) Liebe. l. c. 90 sq.

**) Solvunt Iudaei quaestionem aliter: *Sohar.* Genes. f. 24. c. 96. Mulier illa, quae duobus nupsit in h. mundo, priori restituitur in mundo futuro. Wetst. ad h. l.

29. πλανᾶσθε, μὴ εἰδότες τὰς γραφὰς, μηδὲ τὴν δύναμιν τοῦ θεοῦ. Et scriptus Codex vitam post res humanas futuram confirmat, et divina potentia dubitare neminem patitur, fieri posse, quorum nos ratio latet. Nomen resurrectionis retinet, sed notionem traducit ad animorum immortalitatem et vitam cum ea coniunctam. Mtth. v. 30. ἐν γάρ τῇ ἀναστάσει (Nomen solemne popularibus vitae post mortem futurae, quod vix poterat deponere Iesus apud multos, nisi notionis iacturâ.) οὔτε γαμοῦσιν, οὔτε ἐκγαμίζονται, (Qui a matrimonio omnique Venerea re abstinent, et ne leve quidem desiderium sentiunt, tamenne ad festiva cum patriarchis convivia accumbent? *) *Imo erit voluptatum generis eiusdem humanarum constans fuga et repudium.* Ita loquens Iesus cum Sadducaeis, insanientis sapientiae secta, disertisque verbis tollens popularis sententiae vanitatem, auctor est legentibus, ut *ad analogiam* percipiant ea dicta, in quibus, cedens recepto generi dicendi, tamen cavit, ne latius serperet exspectatio inanis, dicens et *brevissime*, et ita; ut maioris et subtilioris consilii causa ut v. c. supra de exterorum ad coetum Messianum vocatione adnexuisse sermonem commento videatur.) ἀλλ' ὡς ἄγγελοι τοῦ θεοῦ ἐν οὐρανῷ εἰσι (Vel: instar angelorum *in coelis* sunt, cui tamen hoc repugnare videtur, quod ex Synoptici evangelii constante doctrina regnum Messianum in his terris condendum perhibetur; vel: instar angelorum Coelitum [in his terris] versantur, ut εἰσι non sine emphasi dictum sit sc. sine cupiditatibus sensuum, pascentes animum coelesti vo-

*) Grotius similiter ad Mtth. v. 30. „Sicut matrimonium ab immortali vita dissidet, ita cibus quoque et potus, quippe inducta ad supplendas particulas quotidie pereuntes."

luptate propioris cum Numine consortii, vita felice, dissimili huic nostrae, in orbe restituto.). Mc. v. 24. οὐ διὰ τοῦτο πλανᾶσθε, μὴ εἰδότες τὰς γραφὰς, μηδὲ τὴν δύναμιν τοῦ θεοῦ; v. 25. ὅταν γάρ ἐκ νεκρῶν ἀναστῶσιν, οὔτε γαμοῦσιν, οὔτε γαμίσκονται, ἀλλ' εἰσὶν ὡς ἄγγελοι ἐν τοῖς οὐρανοῖς. Lc. v. 34. Οἱ υἱοὶ τοῦ αἰῶνος τούτου γαμοῦσι καὶ ἐκγαμίσκονται· v. 35. οἱ δὲ καταξιωθέντες τοῦ αἰῶνος ἐκείνου τυχεῖν, καὶ τῆς ἀναστάσεως τῆς ἐκ νεκρῶν, οὔτε γαμοῦσιν, οὔτε ἐκγαμίσκονται. v. 36. Οὔτε γάρ ἀποθανεῖν ἔτι δύνανται· (Quî maneat coniugii usus, corporibus vel nullis, vel πνευματικοῖς, immortalibus?) ἰσάγγελοι γάρ εἰσι, καὶ υἱοί εἰσι τοῦ θεοῦ, τῆς ἀναστάσεως υἱοὶ ὄντες. Addit argumentum κατ' ἄνθρωπον, ductum a compellatione Numinis, Ex. 3, 6. cum nominibus coniuncta maiorum, ad quos si nulla pertineat *vita*, ineptum esse patrocinii et εὐεργεσίας indicium, mortuis petitum. Haec eo tendisse, ut refutaretur Sadducaeorum error, vitae perennis notio acriter defenderetur, vulgare commentum repudiaretur, non arbitror negaturos perspicaciores iudices esse. *)

Eodem denique referas vocem, a Christo mediam inter coenam paschalem, ad amicos accumbentes editam, qua suis est pollicitus, festi diei et familiaris consortii laetitiam repetiturum se esse in regno Dei patris sui. Mtth. 26, 29. λέγω

*) Rabbinici doctores, de quorum tamen aetate ambigimus, pari modo ratiocinantur. *Menasse f. Isr.* de resurr. mort. I. 10. 6. „Cum Mosi primum appareret Dominus, dixisse legitur: Ego sum Deus patrum tuorum, Deus Abrahami, Deus Isaaci, Deus Iacobi. Atqui Deus non est Deus mortuorum, qui non sunt, sed vivorum, qui existunt. Itaque Patriarchas etiamnum respectu animae vivere ex eo recte infertur.“ Et hoc et alia eiusdem generis v. ap. Wetst. ad *Mtth.* l. c.

δὲ ὑμῖν, ὅτι οὐ μὴ πίω ἀπάρτι ἐκ τούτου τοῦ γεννήματος τῆς ἀμπέλου ἕως τῆς ἡμέρας ἐκείνης, ὅταν αὐτὸ πίνω μεθ' ὑμῶν καινὸν *) ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ πατρός μου. Mc. 14, 25. ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι οὐκέτι οὐ μὴ πίω ἐκ τοῦ γεννήματος τῆς ἀμπέλου, ἕως τῆς ἡμέρας ἐκείνης, ὅταν αὐτὸ πίνω καινὸν ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ θεοῦ. Lc. 22, 16. λέγω γάρ ὑμῖν, ὅτι [οὐκέτι] οὐ μὴ φάγω ἐξ αὐτοῦ, ἕως ὅτου πληρωθῇ ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ θεοῦ. v. 18. λέγω γάρ ὑμῖν, ὅτι οὐ μὴ πίω ἀπὸ τοῦ γεννήματος τῆς ἀμπέλου, ἕως ὅτου ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ ἔλθῃ. **) Loquuntur ergo de dapibus intra coeleste regnum instruendis, imo de vino in his apponendo, fecitne cum

*) Novum, i. e. aliud, recens paratum, usu nondum tritum. Nostrates: frisch, et neu, iung de vino pari discrimine dicunt, ac Graeci καινὸς et νέος. Adiectam esse *praestantiae* notionem Lexicographi e formulis διαθήκη καινὴ, ἐντολὴ καινὴ, καινοὶ οὐρανοὶ, καινὴ γῆ, Ἱερουσαλὴμ καινὴ, καινὴ κτίσις non possunt probare. E nativa enim verbi virtute non fluit.

**) Persequere minutiorem triplicis relationis varietatem ap. Schulz. *d. chr. Lehre v. h. Abdm.* p. 246 sq. 267 sq. Nunc sufficiat excitasse V. Doctiss. iudicium ad Lc. v. 18. cui ex animo subscribimus p. 257.: „Im Wesentlichen finden wir hier ziemlich gleiche Ausdrücke in Christi Munde, wie bei Markus und Matthaeus. Nur die kleinen Varietäten, dass der Eine schreibt, λέγω γάρ ὑμῖν, der Andere, λέγω δὲ ὑμῖν· der Dritte, ἀμὴν λέγω ὑμῖν· desgleichen der Eine, ἀπὸ τοῦ γεννήματος κτλ., der Andere ἐκ τούτου τοῦ γεννήματος· der Dritte ἐκ τοῦ γεννήματος· — ferner dass Matthaeus ein ἀπάρτι und μεθ' ὑμῶν, Markus ein οὐκέτι mehr einfliessen lässt, als sich im Lukas findet, kommen hier auf gleiche Weise, wie sonst überall in den parallelen Abschnitten dieser Erzähler vor, und beweisen deutlich genug, *dass sie weder Einer den Andern, noch Alle insgesammt eine und dieselbe Urquelle ausgeschrieben haben können; sondern dass sie vielmehr aus lebendiger Ueberlieferung und — aus sich selbst geschöpft haben müssen.*"

discipulis, horum talium cupidissimis, suorumne ardentes spes de sensuum honorumque cupidine plene pascenda per proxime condendae ditionis splendorem et gaudia nutrivit auxitque? Ita equidem ut credam, litera non prohibeor, sed vetat πνεῦμα: nam et desiderium Christi ad res coelestes et animi bona tendens, et doctrina de officiis et moribus civium Messianorum itentidem nec sine sincera severitate proposita, et paucitas locorum, in quibus de beatitatis Messianae genere *verbo* disserit, divinandum relinquens citius fructum virtutis Deo Messiaque dignae, quam depingens ad auditorum lubitum et captum, brevissime dicam, *analogia doctrinae et personae Iesu* me compellunt, ut Palaestinenses Evangelistas Triumviros *inferiorum* testium loco ponendos esse dicam in oratione tradenda, Ioanne magis authentica et spiritu pleniora verba Domini referente: illos in valedictione, quae alte infixa fuerat animo, reddenda occupatos spem revisendi doctorem ea forma lubenter recepisse, et facillime tenuisse, quae populari existimationi visa fuisset convenientissima, hunc ultra progressum, et veriora per solemnes tritasque formulas dispicientem, Christum πνευματικῶς loquentem, πνευματικὰ pollicentem induxisse. Non audiendi sunt, qui, quod Christum aliquoties post resurrectionem una cum discipulis coenantem tradant libri nostri, inde hoc temporis ab eo significatum contendunt *), cui rei, ut alia taceam, tanta sermonis gravitas non conveniret. Et praepropere iudicatum est, Dei regnum per mortem et resurrectionem Iesu his verbis dici conditum **), cuius (ut vidimus) ex Syn-

*) Anceps haeret Theophylactus: ἢ μετὰ τὴν ἀνάστασιν, — τότε γάρ συνέπιε τοῖς μαθηταῖς, — ἢ ἐν τῇ μελλούσῃ καταστάσει, μεταφορικῶς.

**) Eckermann. *th. Beitr.* II. 1. 105.

opticorum doctrina fundamenta iacta sunt Messiae in terris praesentia, amplificatio et confirmatio Messianae rei perficietur reditu de coelis splendido. — Qui vero, ut effugiant difficultatem, *allegorice* vv. explananda esse praecipiunt, teneant, in h. causa discernendam esse relationem Evangelistarum, in quorum verbis allegorici sensus nulla detegas certa vestigia, ex quo fit, ut non satis firma, quibus de sublimiore sensu iudicium dirigas, momenta habeas, et genuinam Christi mentem, quam dilucidius expressisse Ioannem, ab externa et populari orationis forma minus suspensum, non tantum suspicari licet per naturam scriptorum, sed firmiter persuasum habere.

Plura verba requirunt, quae ap. Lc. v. 16. habes: ἕως ὅτου πληρωθῇ ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ θεοῦ, ubi ancipitem videre est sententiam interpretum, qui haud raro Quidproquo non repudiant. Equidem cum plurimis e v. 15. τὸ πάσχα v. αὐτὸ supplendum arbitror: nam qui ὁ καιρὸς, quasi Deum ex machina, advocant BRETSCHNEIDER. (*Lex.* h. v.) et ECKERMANN. (*th. Beitr.* II. 1. 104.), a nexu orationis destituti, non linguae leges, sed arbitrium sequuntur. Et hic quidem, hac principii petitione fretus, ingeniose addit, elucere inde Christi consilium, regnum *intra anni spatium*, redeuntibus Paschatos festis diebus, condendi. — Non est, nisi duplex enodandi h. dicendi genus ratio. Aut statues: πληρωθῆναι ea potestate positum esse, ex qua V. T. historiis et vaticiniis Messianis eventus e vita reque Messiana respondens significatur, in h. m.: *donec id, de quo scriptum est in Codice, pascha coeleste ratum fuerit factum in regno meo*, brevi condendo. *)

*) De h. vi v. πληροῦν supra ad Mtth. 5, 17. diximus.

(Nostrum: *erfüllen, wahr machen.*) At etiamsi opinionem de magnifico et sublimi Paschate Messiano Iesu aequalibus amatam fuisse negare non ausim, tamen, quot et qualia V. T. oracula in h. usum advocata fuerint, in defectu testimoniorum non poterit declarari. — Inde magis pronos nos sentimus ad ample patentis v. πληροῦν notionis vim specialem quae SCHLEUSNERO, WAHLIO al. placuit, *supplendo perficiendi* v. *perfectius reddendi*, ut sensus sit: *donec perfectius, suis absolutum numeris instituatur in coelorum regno.* Huius usus exempla v. Io. 3, 29. αὕτη οὖν ἡ χαρὰ ἡ ἐμὴ πεπλήρωται. 15, 11. 16, 24. 17, 13. 1 Io. 1, 4. Rom. 8, 4. ἵνα τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου πληρωθῇ ἐν ἡμῖν. 2 Cor. 10, 6. ὅταν πληρωθῇ ὑμῶν ἡ ὑπακοή. Phil. 2, 2. πληρώσατέ μου τὴν χαρὰν, ἵνα τὸ αὐτὸ φρονῆτε. Eph. 3, 19. ἵνα πληρωθῆτε εἰς πᾶν τὸ πλήρωμα τοῦ θεοῦ. Col. 4, 12. ἵνα στῆτε τέλειοι καὶ πεπληρωμένοι ἐν πάντι θελήματι τοῦ θεοῦ. 1 Thess. 1, 11. ἵνα — πληρώσῃ (ὁ θεὸς) πᾶσαν εὐδοκίαν ἀγαθωσύνης καὶ ἔργον πίστεως ἐν δυνάμει. Apc. 3, 2. οὐ γάρ εὕρηκά σου τὰ ἔργα πεπληρωμένα ἐνώπιον τοῦ θεοῦ μου. *) — Sed vel sic populariter ad discipulos verba esse facta credimus, et in his, quae supra ad componendam litem tentavimus, acquiescimus.

Frequentissima denique est ζωῆς αἰωνίου **) mentio, quae a Messiae suspensa iudiciis, praemium nuncupatur laborum pro divina causa sus-

*) Ambigue disputat SCHULZ. l. c. 254—56.

**) Luc. 10, 25. 18, 18. 30. Mth. 18, 8. 9. (ubi opponitur: πῦρ αἰώνιον, γέεννα τοῦ πυρός.) 25, 46. (Oppositum: κόλασις αἰώνιος.) cet. — Praelusit tamen in vaticiniis prophetarum formula: עַד־עוֹלָם.

ceptorum et animi Deo Christoque sincere dediti. Eam formulam h. sensu in V. T. libris frustra requiras. At non desiderabis analogiam Mosaicum inter atque Messianum opus. Nam vitae, quae per Mosen longa in his terris agenda promittitur Israelitis frugi, respondet vita aeterna in novis terris, Messia auspice, a veri nominis sectatoribus colenda. Est autem, quod credas, hanc et formulam et formulae notionem, una cum opinionibus Messianis, per tempora canoni V. T. recepto succedentia, ita usu frequentatam fuisse, ut ab aequalibus Iesu ad loquendi et sentiendi genus Messianum constantissime referretur. Quam sapienter retinuit Christus, sed cavit ne vulgarem exspectationem colendo et per partes depingendo, a re principe, quae μετανοίας praeconio contineretur, animos averteret, et futurarum spe deliciarum citius, quam virtutis praemiorum impleret. Est haec accommodatio, sed *silentii*. Nam animum emendatum et rerum divinarum appetentem ad percipiendam felicitatem requirens, ingenii candorem et virtutis constantiam amplissimis vitae fortunis anteponens, sensum voluit et quasi gustum eius generis bonorum movere, quorum, utpote ex interno fonte profluentium, inter miserias Messianis discipulis fructus esset. Iuvabatne popularem oratorem una cum spe delicatularum voluptatum a Messia obtinendarum spem rerum post mortem futurarum in vulgi animis exstinxisse? Imo tueri eum oportuit rem tanti momenti et meliora adnectere, paulatim sic progrediendo, ut ad officia et vitae bonitatem revocaret suos, felicitatem nullo pacto excluderet, imo a recta vita suspenderet, si de eius genere subtilius et ad vulgi morem cupidius quaerebatur, nihil decerneret, sed ad Dei decreta importuniores ablegaret et ad patientiam hortaretur. Et si

non videntur deesse vestigia doctrinae de resurrectione carnis ad animorum immortalitatem ita traductae, ut hanc summi factam fuisse convincamur, si rebus coelestibus humanas certo iudicio posthabitas esse intelligitur, quid malumus, paucis vocibus nixi, per quas Christus prandia laeta, fortunarum possessionem, uxorum consanguineorumque commercium pollicitus esse dicitur, ad aequalium errores delapsum, a se ipso descivisse arbitrari, quam concedere, tres nostros scriptores, Iudaizante vel sua vel fontium indole ductos, referre ex h. genere dicta aut male intellecta, aut ita ambigua, ut ad interiorem Iesu ingenii disciplinaeque notitiam genuina potestas debeat redigi; praesertim Ioanne alio peritos ducente? —

PARS X.

E NOTIS PARTIBUSQUE DETECTIS REGNI DIVINI NOTIO UNIVERSA PROPONITUR. SIGNIFICATIONUM VARIETATIS BREVIS CENSURA.

Ex his, quae hactenus diximus, quasi ex particulis singulis, repetita Commentariorum Synopticorum lectione inventis, per praecedentis cursum disputationis exploratis, et ad certae sententiae perspicuitatem illustratis, iure optimo hanc nobis regni coelestis *notionem universam* aut *descriptionem* proponere videmur. Significatur ea formula e mente Iesu Christi, constantissime regnum Messianum, cuius pervetusta inter Iudaeos exspectatio, ardens desiderium fuit. Eius instituti principem se, verum Messiam, divina auctoritate et habuit, et, pro temporum atque auditorum rationibus, non sapienter magis prudenterque, quam ingenue dictis factisque declaravit. Quae de indole regni, divinis auspiciis stabiliendi, edixit, ea ab exspectatione et vulgi et doctorum recessisse videntur. Ampla fuit institutio per parabolas, ad plebem, ad doctores insidiatores, ad interiores discipulos, quo et praestantiam Messianae disciplinae prae bonis vitae carissimis adumbravit, et de officiis Messianorum civium dixit, et ambitum

Messiani operis aperuit. Cives, quibus constat regnum, decet oportetque esse animi integri, candidi, Dei virtutisque sincere amantis, non fastus iudaici pleni, non natalium splendore freti, non inhumani. Nam animum emendatum afferre oportet in sacram societatem, μετανοίας praeconium primarium est Messiae, eiusque antecessoris, divini viri, officium. Eo tendunt plurima; caritate germana et officiorum, quae ex amore Dei et proximi ducuntur, perpetuo exercitio vincant se coetui praeclaro adscripti, quae est veri nominis humanitas. Inde manifestum est, nullam nec populi, nec temporis, nec sacrorum diversitatem ab hac hominum inter homines communione excludere, quae divinae originis est Deoque gratos facit mortales. Regno Messiano tam latus ambitus est, quantus est virtuti humanae. Valeat unius nationis praerogativa, boni bonitate sua habiles habentor cives, exteri cum Iudaeis, illi potiore loco ponendi, si sunt melius morati. Nam Mosis opus et disciplina profuere temporibus suis Dei decreto, sed Messiae voce ad animum revocanda sunt ab externo obsequio, legi et additamentis doctorum perversis praestito omnia; regium de amore Numinis et proximorum praeceptum, lege conditum, a prophetis non neglectum, per Messiam in clarissima luce ponitur, ut inde cultus sacrificiorum (pars Mosaismi ceremonialis) inutilis reddatur, imo pestiferam exerceat vim, quando sine animo ad divinum erecto peragitur. De tempore condendi regni ita habeto. Initia facta sunt priore Iesu Messiae inter populares praesentia, collectione discipulorum, praeconio de resipiscentia, miraculorum multitudine, numero sectatorum sensim amplificato. Sed, morte in commune bonum tolerata, splendida pompa Messias revertetur de coelis in terram, ad conse-

crandam, stabiliendam, ampliandam societatem suam. Fiet superstite, quae Christo aequalis est, hominum progenie, Messiana doctrina ante per praecones discipulos in dissitis orbis partibus patefacta. Redux divinus legatus Messias (mortuis suscitatis?) iudicium, Dei vice et auspiciis, de orbis terrarum gentibus habebit. Suum cuique pro vita vel probe et ad Dei voluntatem, vel inhumaniter acta tribuetur. Nam nunc advenit tempus secernendi probos, quos ad suum reditum vivere improbis mixtos voluit Messias, ne tempus ad resipiscendum deesset, neve una exstirparentur malo pruritu, qui melioris indolis essent. Ita iudiciali Sospitatoris voce boni et misericordes in vitam perennem, percipiendam intra regni divini fines, recipientur, improbi et inhumani Gehennae infernalibus ignibus, paratis Satanae eiusque satellitibus, aeterno supplicio tradentur. (Matthaeus.) Redintegrata rerum humanarum facie in novis terris sub novis coelis ad legem Messianam vivetur. Nam certum praemium animi inter dolores vexationesque Deo et Christo dediti vita aeterna est, quo iure et beneficio non defraudabuntur fortes et strenui Messianae disciplinae cultores. Quae vita quotiescunque promittitur, eius fructus, quo laetitiae constet genere, non facunde exponitur, sed sapienter reticetur; nec tamen desunt indicia ex analogia disciplinae ducta, mentis animique bonorum incrementa esse exspectanda et honestissimi virtutis desiderii compotes futuros Dei amicos. Quocum pugnat, quod alibi a Christo ad suos promissum refertur, de regni Messiani voluptatibus sensus suaviter afficientibus, et ad populare ingenium formatis deque honorum cupiditate abunde explenda. Inde vel statuendum: haec sapientiae Christi doctoris deberi, ut revi-

sendi suos et immortalitatis spem per familiares imagines, nec crebro adhibitas nec studiose exornatas proponeret, vel dicendum: male intellectas breviores Christi voces ab Evangelistis Palaestinensibus et ad morem aetatis amplificatas, quibus tectam tribuerit vim Dominus, nobis proponi.

Haec habui, de regno Messiano ad sermones Iesu Christi secundum Synopticos scriptores, quae dicerem. Superest, ut de propositarum significationum multitudine, brevem censuram addam, posteaquam de *fonte* opinionum diversitatis paucis verbis dixero. *)

Ea inde repetenda est, quod Christus more non tantum Orientis doctorum, sed omnium, qui in populo instituendo versantur, de amplissima et ditissima re propterea ambigue egisse videtur, quod non per colloquia cum suis, cum plebe, cum Pharisaeis scholastica subtilitate et verbositate ambitum eius descripsit. Sed aliter agendum fuisse, nemo sine iniuria, sine inscitia temporum et auditorum contenderit. Variis, ut utar imagine, membris, quorum materiem supra congestam illustravimus, cum distinctum reperiatur corpus notionis universae: factum est, ut ab his, qui fugaci oculo intuiti essent in nexum et adiectae orationis colorem, *pars notionis cum maxime emergens* absque cohaerentia cum reliquo notionis ambitu consideraretur, et, significationis varietas ingenti lubitu fingeretur. At nativa formulae virtus et una veri nominis significatio ne

---

*) Recensum v. ap. Bauer. l. c. 108. 109. Keil. l. c. *(Op. acad.)* addit. p. XIV. sq. Kuinoel. *ad Matth.* 3, 2. Fritzsche. *ad Matth.* 111 — 113. et *Lexicographos* N. T.

uno quidem loco interiit: prouti ex uno fonte varii manantes rivuli necessaria cum primo aquae flumine coniunctione tenentur. Quod quale sit, appositis exemplis, (nam et hic breve iter per exempla est) perspicietur dilucidius.

I. Sunt, qui *doctrinae s. religionis Christi* notionem formula comprehensam arbitrantur. Sed, exploratis dictis ad probationem congestis, perspicies, aut prorsus non aptam esse aut ex parte tantum convenire, et primitivae significationi ius suum manere. — Mtth. 13, 52. *μαθητευθεὶς εἰς τὴν β.* (al. *τῇ β.*) *τ. ο.* qui positum existimant pro *εἰς τὸν λόγον τῆς β. τ. ο.* institutus ad *doctrinam* de r. c. errant, quod *institutionis* potestatem, quae a v. *μαθ.* suspensa est, ad formulam *β. τ. ο.* transferunt. Verte: *instructus*, *edoctus*, quod attinet r. c. (unterrichtet, qualificirt zum Lehrer, in Bezug, mit Hinsicht auf das Gottesreich). — Lc. 18, 17. Mc. 10, 15. *ὃς ἐὰν μὴ δέξηται τὴν β. τ. θ. ὡς παιδίον, οὐ μὴ εἰςέλθῃ εἰς αὐτὴν* praepropere explicant: qui non susceperit institutionem de r. d. instar infantis cet. Sensus est: qui non receperit (sc. invitatus, compellatus) r. d. (ut eius membrum fiat) ad modum infantis = candido simplicique animo, non intraverit, sc. eo ipso, quod primam conditionem neglexit. — Non magis probat Mtth. 21, 43. *διὰ τοῦτο λέγω ὑμῖν, ὅτι ἀρθήσεται ἀφ' ὑμῶν ἡ β. τ. θ. καὶ δοθήσεται ἔθνει ποιοῦντι τοὺς καρποὺς αὐτῆς.* Nam nec praegressae similitudinis tenor adnuit, et minae Iesu de *doctrinae* suae beneficiis, Pharisaeis Sacerdotibusque subtrahendis, huic hominum generi, qui ne agnoverant quidem doctorem, ridiculae videri potuissent, nec Christus eo tendit, ut novam *religionem*, quam schola vocat, conderet, sed ut *Mes-*

sianam disciplinam h. nomine induceret, et aequales non aliud quidquam quam r. M. sub h. formula, de cuius vi nunquam interrogarunt tanquam de re nova magistrum, latere putarunt. Confidenter transfer: tolletur a vobis (eripietur vobis) r. c. (cuius instituti emolumenta atque iura percipiendi prima Iudaeis [τοῖς υἱοῖς τῆς β. sua existimatione et Messiae inter eos praesentia] concessa est opportunitas) et dabitur ἔθνει (exterae cuicunque genti, h. conditione:) ποιοῦντι τοὺς καρποὺς αὐτῆς (quam vos sicco pede transitis). — Εὐαγγ. τῆς β. Mtth. 4, 23. non: laetus nuntius de *doctrina* chr. sed hilare praeconium de *regno* M. mox condendo, praesente legato Dei. — Λόγος τῆς β. Mtth. 13, 19. ὁ λόγος v. 20 — 23. sermo de *civitate* divina, die Lehre, Rede vom [sc. nahen] Reiche, eximie: die Rede. — Mtth. 13, 11. μυστήρια τῆς β. τ. ο. reconditae res attingentes r. d., ex quo genere videtur fuisse sententia de varia indole civium, de μετανοίας necessitate, de ambitu cet. — Mtth. 4, 26 sq. intelligenda est per imaginem, cui annuntiandae inservit οὕτως ἐστὶν ἡ β. τ. θ., sors *operis Messiani*, laete e contemtis initiis efflorescentis, purgandi tempore suo, late propagandi. —

Non magis valet, quod addunt: *leges dici, ad quarum observantiam aut neglectum hominum christianorum vita olim exigenda sit.* Etenim Mtth. 22, 2. vv. ὡμοιώθη ἡ β. τ. ο. declarant: geminas esse rationes r. d. atque rei traditae per similitudinem de epulo regio, quod vel spreverant invitati, vel, quod decorum erat, omiserant. cl. 11 — 14. Populariter: es wird zugehen im R. G., wie in cet. Mtth. 13, 47. r. d. reti piscatorio collatum eam adumbrat *instituti* nostri partem, qua sub tempore redeuntis Christi iusta erit remuneratio. —

II. Alibi *coetum Christianorum*, *societatem discipulorum Messiae*, *universam fidem christianam in terris profitentium catervam* indicari contenditur. Quod a vero propius abest propterea, *quod gravissima pars civitatis continetur civibus.* At ne sic quidem plenae notioni fit satis. — Mtth. 11, 11. Lc. 7, 28. *ὁ δὲ μικρότερος ἐν τῇ β. τ. ο.* nobis nihil probat, quod post *μικρ.* interpungimus. (V. sup.) Verum nec e recepta structura vertes: minor *in coetu Christianorum* in his terris, sed *magis universe:* minor (qui habetur sodalis) *in regno Messiano.* Latior item ambitus est v. 12. *ἡ β. τ. ο. βιάζεται* cet. V. sup. — Matth. 13, 41. *συλλέξουσιν ἐκ τῆς β. αὐτοῦ πάντα τὰ σκάνδαλα καὶ τοὺς ποιοῦντας τὴν ἀνομίαν* rei natura docet, *regnum* Sospitatoris dici, *in h. terris* collectum, bonis et nequam constans hominibus, quorum hi excludentur per angelos in *reditu.* — Mtth. 21, 31. *οἱ τελῶναι καὶ αἱ πόρναι προάγουσιν ὑμᾶς εἰς τὴν β. τ. θ.* non in *coetum* christianum, sed in Dei *regnum*, cuius sunt *initia* in *terris.* — Mtth. 23, 13. vv. Pharisaeis dicta: *κλείετε τὴν β. τ. ο. ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων* eodem tendunt. — Mc. 12, 34. *οὐ μακρὰν εἶ ἀπὸ τῆς β. τ. θ.* hanc vim habet: ita moratus es, ut aditus tibi ad *rempublicam* Dei auspiciis erigendam sit expeditus. — Lc. 18, 24. 25. et ll. par. de divitibus r. d. difficulter intrantibus manifestum est, non *coetum* Christianorum simpliciter, sed *institutum*, legibus, officiis, praemiis distinctum significari. — Iniquius restringunt potestatem, qui *de piorum grege electo* cogitant, ut Lc. 12, 32. ubi *τὸ μικρὸν ποίμνιον* non dicitur *β.*, sed: *εὐδόκησεν ὁ πατὴρ ὑμῶν δοῦναι ὑμῖν τὴν β.* — Denique *bonos et pios cultorum Dei sensus* qui in l. Lc. 17, 20. 21. invenerunt,

cum errore nitantur, alias refutato, nihil addimus. —

III. Pari ambiguitate addiderunt notionem *vitae post mortem beatae, proborum Christi sectatorum, in coelo, quae cum reditu Christi e coelo coniuncta est.* Errant, quod *totum* (r. d.) pro *parte* (futura per id felicitate) adhibitum credunt. — Mtth. 25, 34. κληρονομήσατε τὴν ἡτοιμασμένην ὑμῖν β. recipite paratum vobis r. d., cives sc. renuntiati. Quo iure continetur *felicitas* et futura et perennis, sed vim verbi ea *minime exhaurit.* — Lc. 22, 30. vv. ἵνα ἐσθίητε καὶ πίνητε ἐπὶ τῆς τραπέζης μου ἐν τῇ β. μου, ut habent, h. volunt: *in regno meo*, quod instituam redux factus. Similiter 23, 42. ὅταν ἔλθῃς ἐν τῇ β. σου. — Mtth. 5, 10. ὅτι αὐτῶν ἐστιν. ἡ β. τ. ο. non: eorum est *vita post obitum felix*, sed: adscribentur *cives r. d. ad beatitatem percipiendam.* — v. 19. ἐλάχιστος κληθήσεται ἐν τῇ β. τ. ο. est: infimo in r. d. civis loco tractabitur, nec *accurate* alii: exigua praemia *in futura vita* sperare poterit. v. 20. οὐ μὴ εἰςέλθητε εἰς τὴν β. τ. ο. male: non consequemini *vitam perennem*, imo: non intrabitis *rempublicam*, cui peculiare praemium est *vita sine fine beata.* — Similiter 7, 21. οὐ πᾶς ὁ λέγων μοι, κύριε, κύριε, εἰςελεύσεται εἰς τὴν β. τ. ο. — 8, 11. 12. οἱ υἱοὶ τῆς β. — 18, 3. 4. 20, 1. ὁμοία γάρ ἐστιν ἡ β. τ. ο. similis est *ratio, causa r. d.* cet. — Mc. 9, 47. Luc. 13, 28. 29. ἐν τῇ β. τ. θ. *receptos*, gaudium percipientes aut percepturos. 14, 15. 22, 16. 18. 30. 23, 42. μνήσθητί μου, κύριε, ὅταν ἔλθῃς ἐν τῇ β. σου, medius *in r. tuo*, solemni pompa, *sub altero adventu.* —

IV. Falluntur, *) qui Mc. 11, 10. εὐλογη-

*) Bretschneider. *Lex.* s. v. βασ.

μένη. ἡ ἐρχομένη β. τοῦ πατρὸς ἡμῶν Δαυΐδ Messiam, *caput regni*, denotatum vident. Quod enim cum adventante rege dicitur regnum venisse, quem tandem movebit, ut linguae lege utramque vocem per significationem misceri credat? —

V. Commode ad *primitivam vim* revocantur ea ll. quae obiter intuiti interpretes, notionem *propagationis fidei christianae in terris, fata religionis per secula* admiserunt. — Lc. 9, 27. ἕως ἂν ἴδωσι τὴν β. τ. θ. sc. stabilitum *per redeuntem e coelo Christum.* — 21, 31. ἐγγύς ἐστιν ἡ β. τ. θ. idem tempus indicatur. — Mtth. 13, 31. ὁμ. ἐστ. ἡ β. τ. θ. ad *Messiani instituti* crescentem ambitum refer. al.

VI. *Tempus, quo inaugurabitur r. d.* (Eintritt d. M. R.) perperam intellectum est: Mtth. 3, 2. ἤγγικε ἡ β. τ. ο. ubi *temporis* notio a v. ἤγγ. *unice* suspensa formulae notionem nihil mutat. cl. 4, 17. 10, 7. Mc. 1, 15. Lc. 10, 9. 11. Et Lc. 9, 2. κηρύσσειν τὴν β. τ. θ. est: annuntiare, praeconis in morem, *ante portas esse r. d.* —

Reliqua suo quisque iudicio expediens stragem ineptarum significationum perficiet! —

Nam lectorum otio fusa disceptatione *critica* tanto abutimur minus, quo magis persuasum est, incredibilem sententiarum farraginem, interpretum et Lexicographorum ἀκρισίᾳ debitae, corruere sponte, *uno, genuino et aequabili significatu* per repetitam Evangeliorum lectionem sine Commentatorum ope *ad rei naturam* invento et *sine arte* retento. Miserrima notionum confusio, quae h. locum theologiae christianae communem et gravissimum occupavit, illustri exemplo est detrimenti, quod antiquorum libris scri-

ptorum affertur eorum levi opera, qui *sensus* et *significationis* discrimen parvi facientes, *popularis sermonis* ingenium ignorantes, *adiectae orationis partes* subtiliter aestimare, et *suum cuique* tribuere non satis docti, pro diversitate locorum raptim et temeraria manu diversos procudunt significatus. —

PARS XI.

CHRISTI IOANNEI DE REGNO COELORUM SENTENTIA *).

Quarti evangelii per tempora christiana a Clemente Alexandrino ad Tholuckium ita perspecta a Synopticis diversitas et praedicata indoles est, ut unius vocis in laudando amabili et divino opere accessionem ad tantum consensum nemo unus desideret. Ioannes, quem *pectus Christi* aperuisse vidit Ernestius, quem φιλοιησοῦν ingeniosa et verissima compellatione ornavit Grotius, cuius commentarios πνευματικὸν εὐαγγέλιον interiore iudicio Alexandrina antiquitas, *perenne evangelium* Ioannea inter Germanos anima Herderus nuncupavit, Ioannes, ὁ ἐπιστήθιος, totus ad Iesu indolem formatus, intimorum doctoris sensorum et sententiarum facundus et amans interpres, coelitus coelestem Christum prosequitur, regiae symbolo aquilae inter ge-

*) V. praeter Comm. Io. interpretes: Heydenreich. *üb. d. Behauptung, dass Iesus in den drei synoptischen Evangelien ganz anders erscheine, als in dem ioh. Evg. in l.: Zeitschr: f. Predigerwssschftn.* I. 1 — 78. II. 1 — 69. (Marb. 827. 8.) et adversarios Bretschneideriani libri, quorum scripta accurate recenset Reinecke. *comm. de evg. Io. c. Mtth. Mc. et Lc. evgg. conciliato.* Hannov. 827. 8.

nuínos Domini amicos clarus, ut est in vetustis versibus:

Volat avis sine meta, Quo nec vates nec propheta
Evolavit altius:
Tam implenda, quam impleta, Nunquam vidit tot secreta
Purus homo purius.

Citius exspectaris, ut de *αὐθεντίᾳ* libri, convenienter ad id, quod promisimus supra, dicatur. At non requirent, qui reputarint, aberraturam ita disputationem a fine suo, et argumentum, *isagogicis* scholis debitum, occupaturam. Nec decet nos Iliada post Homerum scribere. Nam, quibus his nostris diebus speciose impugnata est armis apostolica indoles et canonica libri auctoritas, etiamsi nolueris dicere a lusu ingenii ministrata esse, tamen ita videre est repulsos impetus strenuis peritorum vindiciis, ut, auctore retractante sententiam, servierint *externis internis*que argumentis aequabiliter pro tanta rei antiquitate temperatae auctoritati aperiendae, *utrimque dicendo* veritate, quae antiquitus valuit, restituta et in clara luce posita. Nam ut *externis* testimoniis in exemplum perversae *σκέψεως* historicae, quae cum probet *nimium*, non est vere nominis sui, sunt abusi, ita quae generis *interni* addiderant, *psychologicae* artis criticae et subtilioris iudicii in diiudicanda Christi persona defectum aperiunt. Propius nunc ad indicanda de Messia et Messiano regno in h. volumine capita accedimus.

Formula *βασιλείας τοῦ θεοῦ* in h. volumine rara. 3, 3. 5. cl. 18, 36. Causam nos in eo positam credimus, quod liber, a patria superstitione aversus ad *liberalem* divinarum rerum contemplationem traducens bene animatos, non totus pendet a notione iudaicarum originum, praestan-

tissima eius parte per sublimius genus institutionis servata. De *partibus notisve* notionis magis, quam de *nomine* videndum est.

Ac de praeconio Ioannis B., praefamen Ioannis E. de antemundana aeternaque λόγου in Christo homine natura revocante in memoriam, supra (inpr. p. 76.) disseruimus. Nec tamen historica interiit antecessoribus convenientior adumbratio, Christi spiritu divino tincti et, inspectante praecursore, ad Messianum munus consecrati. 1, 32 — 34. Quod quidem si ad Prologi Ioannei summam contuleris, vix requires ad nexus aequabilitatem; nam divina natura, coelis demissa ad praedicandam communicandamque cum mortalibus sempiternam lucem, veritatem, vitam cui tandem spiritus unctione quasi *singulari* adiumento egere videbitur? (Pari ratione Matthaeus et Lucas spiritus interventu natum Iesum per baptismum Messiano muneri initiatum narrant *iterato* Dei *actu*, spiritum de sua sede mittentis.)

Magni ponderis est (de quo supra exposuimus), praeconium μετανοίας, primarium Baptistae, maximi ante Messiam prophetae, officium in Ioanneo libro taceri. Iudaicam formam et sentiendi consuetudinem exuit Evangelista. Verba μετανοεῖν et μετανοίας frustra quaeres. (Quorum *illud* itentidem legis in Apocalypsi, substant. non adest: fortuito.)

Messianam dignitatem et Ioanneus Christus tuetur. — De introitu in capitalem urbem solemni, ovante populo, diximus (p. 129 sq.), respectu ad quartum Evangelistam (12, 12 sq.), qui in h. causa paululum discedit a vicinis scriptoribus, deque indole narrationis ad declarandam Messianam provinciam. — Nathanaelis vocem 1,

50.: Ῥαββὶ, σὺ εἶ ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ, σὺ εἶ ὁ βασιλεὺς τοῦ Ἰσραήλ, adeo non repudiat Dominus, ut regerat (v. 52.): ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἀπάρτι ὄψεσθε τὸν οὐρανὸν ἀνεῳγότα, καὶ τοὺς ἀγγέλους τοῦ θεοῦ ἀναβαίνοντας καὶ καταβαίνοντας ἐπὶ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου. Quo venusto symbolo a suo adventu ad offerendum mortalibus evangelium coeli atque terrae commercium, per tempora ante Christum diu interclusum, restitutum plene declarat, non uno aut altero angelorum interventu, qui per opportunitatem historiarum de extrema passo et in vitam revocato Christo narratur, sed coelesti doctrina, sed opere divinitus demandato et adiuto, sed persona, Numini cara. (Geminum est Iacobi visum, quo ille solatium invenerat persequendi consilii Gen. 28, 12.) Amabili imagine divinum digitum ad se, legatum de coelis missum, tendi fassus, etiamsi non persuasisset auscultantibus, se esse Messiam, tamen: Messianam auctoritatem vindicatam esse a Iesu, non dubitabis dicere, praesertim quum notus Messiae titulus τοῦ υ. τ. ἀ. ad alium, quam ad dicentem trahi non possit. — Et eadem pollere vi eandem compellationem, quotiescunque eam (cf. 3, 13. 14. 5, 27. 6, 27. 53. 62. 8, 28. 12, 23. 34. 13, 31.) sibi Iesus coram legis peritis, familiaribus, auditorum varia corona tribuerit, post ea, quae p. 105 — 122. dicenda putabamus, fas sit in concessis ponere! — Non est manifestior vox ea, quam per privatum alloquium Samaritanae feminae edidit Iesus. (Iter in infestam popularibus provinciam a magistro factum quod taceat Matthaeus, scribens Christianis, iudaica fide relicta, in partes Iesu transgressis, *primus inter Iudaizantes scriptores*, vix miraberis, sed una silent Lucas, rerum Samaritanarum alias non osor, et Marcus.) In his Palaestinae partibus nec sa-

cerdotale odium ei obstitit, et libertatem oris, ne citius consilio suo morti daretur, coercuit, nec imbecillitas comitum, qui in oppidulum cibi emendi causa missi a latere discesserant, ne alio traherentur verba, sollicitum reddebat animum. Cognita mulieris simplici indole et ad animi emendationem recta voluntate, detècta cupiditate rerum divinarum institutionis, (nam agnoscens in viro sibi incognito prophetae gravitatem perspicue sermonem ad res sacras et litem utriusque gentis famosam traduxerat) praemissae v. 25. orationi: *οἶδα, ὅτι Μεσσίας ἔρχεται· (ὁ λεγόμενος Χριστός·) ὅταν ἔλθῃ ἐκεῖνος, ἀναγγελεῖ ἡμῖν πάντα* adnectit responsum v. 26.: *ἐγώ εἰμι, ὁ λαλῶν σοι.* Superveniunt familiares (v. 27. *ἐπὶ τούτῳ* cet.) mirantes, quid sermocinetur cum muliere, ergo in his terminabatur oratio. At illa, re tanta communicata cum incolis, effecit, ut confluerent ad eum Samaritani, visendi audiendique Messiam cupidi, et deversorium offerrent. Commoratus per duos dies persuasit omnibus: *ὅτι ἐστὶν ἀληθῶς ὁ σωτὴρ τοῦ κόσμου, ὁ Χριστός.* (v. 42.) Quorum colloquiorum si ad nos pervenisset memoria, candidos inter auditores a divino doctore sertorum, „admirabiles (ut cum Tullio loquar) excitarent amores sui.“ Periere temporum naufragio, ita ut per commercium a doctis hominibus magnisque viris cum Samaritanae gentis reliquiis restitutum nulla ad nos manaverit notitia, si discedas a populari opinione de Messia venturo, morum censore et emendatore. Quantum haec talia adiuvissent Christianos in pervidendo interiore Christi consilio, cuius imaginem, sed non ab omni parte consummatam, delineat Ioanneus liber! —

Adde crebram Iesu per orationes provocationem ad *τὸ ἔργον* v. *τὰ ἔργα*, a Numine man-

data, quae se loquantur Dei legatum et testium πίστει tam excitandae quam nutriendae sint paria. Cuius voc. non exhauserunt nec vim nec ambitum, qui ad partem vitae munerisve Christi, ad miracula, doctoris officium, exemplum, facta insignia cet. restrinxerunt, unius loci nexum saepius inique intuiti, unde factum est, ut *aequabilitatem significatus* per locorum varietatem fusam negligerent. Complectitur *opus vitae Messianum*, quo et miracula, et docendi provincia, et factorum sanctitas, et divina vita continentur. Sed per rei naturam accidit, ut variarum notionis notarum non una esset applicatio, nunc hac nunc alia e connexae orationis legibus emergente. V. 5, 20. 36. 7, 21. 9, 3. 4. 10, 25. 32. 37. 38. 14, 10 — 12. 15, 24. 17. 4. Tamen *nunquam* nativa verbi virtus interiit, probans, Ioanneum Christum, operi divinitus tradito intentum, non reveritum esse Messiani nominis professionem.

Tendit eodem υἱοῦ Θεοῦ, quod toties sibi vindicat Iesus, nomen. Inde criminantur Iudaeorum primores, Deo eum se aequare. 5, 18. 10, 33. 19, 7. Et quamvis infitias nemo iverit, in *sublimiorem* sensum esse mutatam iudaicam vocabuli potestatem, interiorem, quam qualis ceteris mortalibus concessa est, indicantem cum Patre communionem, voluntatis unitatem, sensuum concordiam (ut Dei quasi *alter ego* nuncupetur Christus: de se professus: ὅτι ὁ πατήρ μου μείζων μου ἐστί. 14, 28.): tamen minime exclusa est popularis notio Messiani honoris. — Et quem in Synopticis libris novimus, sapientem Iesu agendi modum, ut tempora personasque discernendo, mox celet, metu seditionis et insidiarum, Messiana miracula et dignitatem mox, ubi venisse visa esset hora, intrepido animo aperiret, ea in quarto evangelio eatenus recurrit, quod, etsi plures sint

sermones de se et sua dignitate ad varium genus auditorum habiti, tamen cavit, ne in perversam partem interpretaretur *facta* insolita plebs novarum rerum amans, uti legitur 6, 15.

Frustra in his commentariis requires *initia* doctrinae de regno coelorum per *parabolas*, vulgo discipulisque propositas. Desideras nomen παραβ, In cuius locum successit παροιμία *) Io. 10, 6. 16, 25. 29. Sed genus diversum est; nam allegoriae de vite, de lumine, de pane vitae, de pastore fido, cet. perspicuo vinculo cum Christi persona et interiore doctrina, non item cum arce causae, cum regni coelorum et nomine et instituto continentur. Causa sita videtur in *lectorum* indole et patria. Hi enim, quum Palaestinensem docendi modum figuratum nec diuturno usu amare didicissent, et ad sublimius Christianismi ingenium percipiendum a natura viderentur instructiores, a cultu regionis, a philosophante Iudaismo et iudaizante in proconsulari Asia philosophia faciles, his prospexit scriptor, ut per allegoriarum involucra subtiles notiones, Christo adamatas, ex pectore Christi manantes, verbo christianissimas enuclearet et ornatu orationis amanter cingeret. Rarius inducit divinum magistrum coram turba verba facientem; saepius adversariorum impetus repellentem, saepissime coram familiaribus explicantem sensus animi amantissimi, rerumque divinarum contemplationem augustam humanae imbecillitatis respectu et cura sollicita eximie temperantem.

---

*) De discrimine utriusq. voc. etymologico, et rhetorico, deque finitimo genere dicendi ἀλληγορ. cet. subtiliter disserit Unger. l. c. 12 sq. 82 sq. Antiquiorum sententiam v. et ap. Lampium ad Io. 10, 6.

Inde non mirabere, in Ioanneis commentariis non esse commendata nec per similitudines, nec per translatam aut planam dictionem *singula* futurorum coelestis regni civium *officia*, ut placabilitatem, ut pacis amorem, ut constantiam, ut mansuetudinem, ut beneficentiam erga pauperes et misericordiam cet. quibus *factis* se exserit vera humanitas, in Synopticis libris per sermones exemplumque Christi depicta. Virtutes singulae, ad acquirendam civitatem in sacra societate aptae et necessariae, nec enarrantur nec populariter explicantur; radix et fons virtutis, perennis fons perennis vitae aperitur, πίστις in divinum legatum. Nam πίστις Ioannea distat ab ea, quam in antecessoribus Evangelistis requirit Christus adiumentum sanationum, in aegrotantibus et imbecillibus secunda fortuna perficiendarum. Eius et latior ambitus, et subtilior vis atque origo, et amplissima efficacia est. Christo qui fidem habet, divino legato, coelum qui reliquit, ut coelestem doctrinam et aeterna animi bona cum mortalibus communicaret, verbo salutem plenam, Christum qui totum et mente pura et animo intimo imbibit, is genuinus sectator, non morietur unquam, is non experietur iudicium, is transitum reperit res inter humanas periturasque ad vitam aeternam, beatam, vitalem *). Superavit mortem, et corporis, et animi, nam aperuit veram vitam, quae non a discessu primum animae ex hoc corpore vivitur, sed ex quo intimam christianam fidem arripuit animus et suam fecit. Haec tam digna homine, tam πνευματικὰ, tam divina non universe delineata proponi, sed pulcerrimo operi debita, docet oratio ad Nicode-

*) Hoc sensu LUTHERUS: Fides est pertinacissimus Christi intuitus.

mum Iudaeosque, quae sunt duo monumenta praecipua.

Nicodemo, exorso sermonem a professione (minime illa, uti credibile est, mala aut astuta), non sine Deo a Iesu tanta miracula edita esse, statim Christus traducit mentem ad id, quod futuro regni coelestis civi tentandum perficiendumque sit, ut sancti coetus consortio potiatur. Denuo nascendum est animo (formula Rabbinis aequalibus non ignota), ex qua vitae in melius sanctiusque conformatione singulae virtutes, ut e foecundo stipite rami, ducuntur: ἄνωθεν γεννηθῆναι 3, 3. (Ea est μετάνοια Synopticorum.) Repetitque, pervertente in ineptum sensum sublimem vocem Nicodemo, per aquam baptismalem, externum signum internae puritatis, et per spiritum, sanctiorem vim, quae regat vitam, nisi quis alius fiat, neminem intraturum regnum Dei. v. 5. Sed hoc, quo pacto fiat, reconditum est, quod ex intima animi efficacia manat. v. 6. 7. Res arcana est, invisibilis, cuius nec originem nec modum his corporis sensibus adsequaris, vim persentisces. v. 8. — Et quem in modum Moses serpentem in deserto exaltavit, similiter Messiam sublimem (de cruce) pendere in fatis est, ut quicunque in eum fide fertur, ne intereat, sed vitam perennem consectetur. — Per mortem Messiae salutarem vitalis vita per fidem vivitur. — Nam eo usque dilexit Numen mundum (τὸν κόσμον, mortalium genus perversum et peccatis immersum), ut filium unigenam daret (morti traderet), quo qui fide in eum constantes sunt, non occidant, sed vita aeternum beata perfruantur. v. 14 — 16. — Non ut *iudicet* (reum inveniat et supplicio plectat *)) mundum, sed ut *servet*, mi-

*) V. κρίνειν virtutem nativam non amittit, sed *iudi-*

mit Deus filium. v. 17. Qui fide in eum se tradit, non subit iudicium; qui negat fidem, is eo iudicatus est, quod non fidem habuit nomini unigenae Dei filii. v. 18. In eo cernitur (internum) *iudicium* *), quod cum lux venisset in mundum, dilexerunt mortales prae luce tenebras, perversa quum essent eorum opera. (Luculentum iudicium *Messianum* est, quod instituitur Sospitatoris in orbem adventu, et inter mortales sorte, qua animorum sensa declarantur. Iudaicum, splendidum, solemne tribunal quis desideret, quum nec Ioanneus Christus requirat?) v. 19. Claudit generali voce de homine nequam, fugiente lucem, de veritatis cultore, lucis amico. v. 20. 21. (Similiter in hoc Evangelista Ioannes B. 3, 36. ὁ πιστεύων εἰς τὸν υἱὸν, ἔχει ζωὴν αἰώνιον· ὁ δὲ ἀπειθῶν τῷ υἱῷ, οὐκ ὄψεται ζωὴν, ἀλλ' ἡ ὀργὴ τοῦ θεοῦ μένει ἐπ' αὐτόν.)

In alia opportunitate, post sanationem miseri, ad lacum Bethesdae a multis annis sine fructu et spe recuperandae sanitatis coniecti, ad adversarios Iudaeos Christus de mortuorum resurrectione ita fecit verba, ut *mixtam* doctrinae *formam*, sensui πνευματικῷ proximam proposuisse videatur. 5, 21. Quemadmodum pater mortuos suscitat et vita frui iubet, similiter filius, quibus vult, largitur vitam (ζωοποεῖ). [Incertum, quo sensu dicat.] V. 22. 23. Et provinciam iudicandi omnem tradidit pater filio, honore et cultu pari. V. 24. Qui auscultatur sermonem meum et fidem

---

candi provincia, in hac mortalium perversitate a Dei legato exercenda, continebitur *condemnatrice* sententia.

*) Die Menschen *sind* schon gerichtet — *werden* nicht gerichtet, durch die Art ihrer Aufnahme des Messias.

habet ei, qui me misit, *habet* (non *impetrabit* solemni voce iudicis) vitam perennem, nec *venit in iudicium*, sed transgressus est e morte (animi, nam ducit spiritus huius vitae) in vitam — *μεταβέβηκεν ἐκ τοῦ θανάτου εἰς τὴν ζωήν*. Magis eo ducit adnexa oratio v. 25. *ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὅτι ἔρχεται ὥρα, καὶ νῦν ἐστιν* (iam in hac inter mortales praesentia fungitur Messias *iudicis orbis* officio cf. 4, 23. *ἔρχεται ὥρα — καὶ νῦν ἐστιν*: *futuri* ergo *temporis* notio non una adest), *ὅτε οἱ νεκροὶ* (spiritaliter mortui) *ἀκούσονται τῆς φωνῆς τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ· οἱ δὲ ἀκούσαντες* (facili aure, promto animo arripientes verba Christi) *ζήσονται*. V. 26. Et vitam in se continet, a patre datam filius. V. 27. Imo et potestas concessa est *iudicii* instituendi, Messiano nomine. Sed v. 28. 29. vv.: *μὴ θαυμάζετε τοῦτο· ὅτι ἔρχεται ὥρα, ἐν ᾗ πάντες οἱ ἐν τοῖς μνημείοις* (*veri* mortui) *ἀκούσονται τῆς φωνῆς αὐτοῦ, καὶ ἐκπορεύσονται, οἱ τὰ ἀγαθὰ ποιήσαντες, εἰς ἀνάστασιν ζωῆς* (cuius consequens est vita vitalis), *οἱ δὲ τὰ φαῦλα πράξαντες, εἰς ἀνάστασιν κρίσεως* (iudicium, afferens supplicium) incidit in popularem de iudicio Messiano *iudaica forma* habendo sententiam. (cl. v. 40. — *οὐ θέλετε ἐλθεῖν πρός με, ἵνα ζωὴν ἔχητε.*) *Typus duplex* est.

Nam *tropica* atque *mystica* ita coaluit cum *propria* et *historica* oratione, ut, alterutram unice amplexus, labaris et ad mala artificia aberres. Interpretis vero quum non sit, ultra scriptorem sapere, fatemur: partem officii Messiani mortuorum in vitam resuscitationem ita a Ioanneo Christo tractari, ut et altioris indolis auditoribus satisfaciat, ad animorum emendationem et novum habitum suam referens efficaciam, et a iudaica opinione non ita discedat, ut offenderit parum

firmatos. Evangelistae vero qui partes quasdam in h. delineatione fuisse sustineat, fines Christianum inter atque Ioanneum sermonem nisi sollicita manu et probabili arte scripserit, *generatim* disseruisse peritis censebitur.

Eadem vi in sermone ad plebem in synagoga Capernaumitica habito, antegressa auditorum quaestione 6, 28. τί ποιῶμεν, ἵνα ἐργαζώμεθα τὰ ἔργα τοῦ θεοῦ (Deo grata) regerit v. 29. τοῦτό ἐστι τὸ ἔργον τοῦ θεοῦ, ἵνα πιστεύσητε εἰς ὃν ἀπέστειλεν ἐκεῖνος. cl. v. 33. ὁ ἄρτος τοῦ θεοῦ ἐστιν ὁ καταβαίνων ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, καὶ ζωὴν διδοὺς τῷ κόσμῳ. v. 35. -- ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ (synonym. ὁ ἐρχόμενος πρός με) οὐ μὴ διψήσῃ πώποτε. — At recidis in vestigia receptae opinionis — vel dicendi formae v. 39. 40. τοῦτο δὲ ἐστι τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντος με, ἵνα πᾶν ὃ δέδωκέ μοι, μὴ ἀπολέσω ἐξ αὐτοῦ, ἀλλὰ ἀναστήσω αὐτὸ ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ. Τοῦτο γάρ ἐστι τὸ θέλημα τοῦ πατρός μου, ἵνα πᾶς ὁ θεωρῶν τὸν υἱὸν, καὶ πιστεύων εἰς αὐτὸν, ἔχῃ ζωὴν αἰώνιον· καὶ ἀναστήσω αὐτὸν ἐγὼ ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ. v. 44. οὐδεὶς δύναται ἐλθεῖν πρός με, ἐὰν μὴ ὁ πατὴρ ὁ πέμψας με ἑλκύσῃ αὐτὸν, καὶ ἐγὼ ἀναστήσω αὐτὸν ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ. (cl. tamen v. 47. ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, ἔχει ζωὴν αἰώνιον.) — Ea perennis vita paratur *morte cruenta*, tolerata ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς. V. allegoriam v. 49 — 59. A patre manavit ad filium, qui largitur mortalibus.— 7, 38. ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, καθὼς εἶπεν ἡ γραφή, ποταμοὶ ἐκ τῆς κοιλίας αὐτοῦ ῥεύσουσιν ὕδατος ζῶντος. (Abundat animi pabulo.) — 8, 12. ἐγώ εἰμι τὸ φῶς τοῦ κόσμου· ὁ ἀκολουθῶν ἐμοὶ, οὐ μὴ περιπατήσει ἐν τῇ σκοτίᾳ· ἀλλ' ἕξει τὸ φῶς τῆς ζωῆς. (V. de h. l. p. 57

sq.) Instructus erit luce, vitae vitalis causa et effectrice. — v. 15. 16. ὑμεῖς κατὰ τὴν σάρκα (ad speciem fraudulentam) κρίνετε, ἐγὼ οὐ κρίνω οὐδένα. (Satis iudicati sunt sua conscientia, Dei iudicio, qui fidem non addicunt legato coelorum.) Καὶ ἐὰν κρίνω δὲ ἐγὼ (si tamen volo hoc iudicandi officio fungi), ἡ κρίσις ἡ ἐμὴ ἀληθής ἐστιν· ὅτι μόνος οὐκ εἰμὶ· ἀλλ' ἐγὼ καὶ ὁ πέμψας με πατήρ. — v. 24. ἐὰν γὰρ μὴ πιστεύσητε, ὅτι ἐγώ εἰμι, ἀποθανεῖσθε ἐν ταῖς ἁμαρτίαις ὑμῶν. 26. πολλὰ ἔχω περὶ ὑμῶν λαλεῖν, καὶ κρίνειν (materies iudicandi larga)· ἀλλ' ὁ πέμψας με ἀληθής ἐστι· κἀγὼ ἃ ἤκουσα παρ' αὐτοῦ, ταῦτα λέγω εἰς τὸν κόσμον. 31. ἐὰν ὑμεῖς μείνητε ἐν τῷ λόγῳ τῷ ἐμῷ, ἀληθῶς μαθηταί μου ἐστέ· καὶ γνώσεσθε τὴν ἀλήθειαν. Καὶ ἡ ἀλήθεια ἐλευθερώσει ὑμᾶς. v. 51. ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ἐάν τις τὸν λόγον τὸν ἐμὸν τηρήσῃ, θάνατον οὐ μὴ θεωρήσῃ εἰς τὸν αἰῶνα. cl. v. 52. 55. — 9, 38. κρίμα discretio bonorum ab improbis est, quae per Iesu Messiae praesentiam efficitur. — 10, 10. ἐγὼ ἦλθον, ἵνα ζωὴν ἔχωσιν, καὶ περισσὸν ἔχωσιν. v. 28. κἀγὼ ζωὴν αἰώνιον δίδωμι αὐτοῖς. — 11, 25. 26. ad Lazari sororem ambigentem de auxilio fratri praestando: ἐγώ εἰμι ἡ ἀνάστασις καὶ ἡ ζωή· ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, κἂν ἀποθάνῃ, ζήσεται· καὶ πᾶς ὁ ζῶν καὶ πιστεύων εἰς ἐμὲ, οὐ μὴ ἀποθάνῃ εἰς τὸν αἰῶνα. — 12, 31. 32. νῦν κρίσις (tempus, quo manifestatur animi habitus mortalium, Messiae Numinis filio, aut addicentium fidem, aut negantium) ἐστὶ τοῦ κόσμου τούτου· νῦν ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου ἐκβληθήσεται ἔξω· κἀγὼ ἐὰν ὑψωθῶ ἐκ τῆς γῆς, πάντας ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτὸν. — 12, 44 — 50. ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, οὐ πιστεύει εἰς ἐμὲ, ἀλλ' εἰς τὸν πεμψαντά με· καὶ ὁ θεωρῶν ἐμὲ, θεωρεῖ

τὸν πέμψαντά με! Ἐγὼ φῶς εἰς τὸν κόσμον ἐλήλυθα, ἵνα πᾶς ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, ἐν τῇ σκοτίᾳ μὴ μείνῃ. (Vita beata ab animi luce pendens.) Καὶ ἐάν τίς μου ἀκούσῃ τῶν ῥημάτων, καὶ μὴ πιστεύσῃ, ἐγὼ οὐ κρίνω αὐτὸν· οὐ γάρ ἦλθον, ἵνα κρίνω τὸν κόσμον, ἀλλ᾽ ἵνα σώσω τὸν κόσμον. Ὁ ἀθετῶν ἐμὲ, καὶ μὴ λαμβάνων τὰ ῥήματά μου, ἔχει τὸν κρίνοντα αὐτὸν· ὁ λόγος ὃν ἐλάλησα, ἐκεῖνος κρινεῖ αὐτὸν ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ. Ὅτι ἐγὼ ἐξ ἐμαυτοῦ οὐκ ἐλάλησα· ἀλλ᾽ ὁ πέμψας με πατὴρ, αὐτός μοι ἐντολὴν ἔδωκε, τί εἴπω καὶ τί λαλήσω. Καὶ οἶδα, ὅτι ἡ ἐντολὴ αὐτοῦ ζωὴ αἰώνιός ἐστιν. (Praedicari vult vitam perennem per fidem in legatum suum.) Ἃ οὖν λαλῶ ἐγὼ, καθὼς εἴρηκέ μοι ὁ πατὴρ, οὕτω λαλῶ.

In tanta et simplicitate et sublimitate Ioannei typi de fide in Dei legatum, beatae vitae fonte, cui perficiendae in mortalium animis mors Christi salutaris servit, nihil desiderabunt cordati lectores *singularum virtutum* recensum et commendationem. — Intimam enim cum Deo per Christum unitatem et communionem animo sentientes, vitam colunt novam, spiritu rectam divino. Radicem virtutis in se ferentes, foecundam fructibus, quî egeant praeceptionibus, imbecillitatem iuvantibus et *singularum actionum* cursum moderantibus?

Huic iunge legem ἀγάπης regiam, familiaribus et re et verbis patefactam. Mutuae enim signum caritatis et vitae in aliorum ministerio consumtae symbolum fecit pedum lotionem apostolorum, in extrema coena institutam. 13, 1 sq. Quae admonitio per *rem gestam* coenae sacrae et ad temporum locique rationes et ad significationis summam finitima est.

Praecipit is idem discedens a suis Iesus, ut se invicem ament genuini sectatores eadem tenerita-

tis vi, qua praesens dilexerit suos. Vocat praeceptum *novum*, quod amor tantus, tam ardens, tam purus sincerusque non ante in animos mortalium venerat. Is erat signum certissimum amicorum Iesu. 13, 35. *ἐν τούτῳ γνώσονται πάντες, ὅτι ἐμοὶ μαθηταί ἐστε, ἐὰν ἀγάπην ἔχητε ἐν ἀλλήλοις.* Sed haec praecipiens, intra angustos fines continuisse videtur amoris fructum et exercitium? Concederem, nisi familiarium, futurorum doctorum conatus ad socios humanae naturae pertinuissent.

Ea *ἀγάπη* cernitur servandis praeceptis Iesu Messiae, quae Dei sunt. 14, 15. Quibus qui candide dediti vivunt, adiutore spiritu divino, veritatem ministrante vivent. v. 16. — Et qui fide et vita Iesum amplexatur, totus in eo habitans, is vere amans eius, amabitur a patre, et a Christo, qui totum se manifestabit amanti. v. 21. Deus Christusque replebunt animum eius, qui Iesu amore incensus perfususque est. v. 23. (*μονὴν* [perpetuum domicilium] *παρ' αὐτῷ ποιήσομεν*). — Prouti dilexit Christum pater, eodem ille suos amore est amplexus; qui amor ut sit perennis, perseverandum est familiaribus in praeceptis magistri animo imbibendis, vita exprimendis, uti patris decreta servavit (servatque) filius, et eius perpetuo fruitur amore. 15, 9. 10. Deus, Christus, Christi cultores si unanima voluntate continentur, consummatio amoris est. — Vis amoris inter Iesu amicos tanta esto, quanta fuit in Christo erga suos. Non enim maiorem caritatem ea cernas, quae ad vitam pro amicis profundendam impellit. Cui praecepto qui facit satis, Christo facit satis et in eius manet amicitia. v. 12 — 14. — Repetit v. 17. *ταῦτα ἐντέλλομαι ὑμῖν, ἵνα ἀγαπᾶτε ἀλλήλους*, quae vox ita firme infixa haesit Ioannis Apostoli animo, ut, si credi fas est an-

tiquitati, tanto magistri praeconio amoris, titubante lingua, lubens immortuus sit. *)

Coniunctissimum est, quod Iesus, consolaturus moerentes, vaticinatus est *de suo reditu*, *et praesentia*, certo speranda. Παρουσίας voc. frustra quaeris. De Messia, coelesti super nube redituro, tacent h. literae. *Externam* Christocratiam tu noli exspectare. Sed praesens aderit suis spiritu, manifestatione sublimi, interna animorum communione. Nam nec de brevi post resurrectionem cum amicis commercio apte cogitabis, quod tale fuit, ut ambigue indicatum fuerit. 14, 3. Πορεύομαι ἑτοιμάσαι τόπον ὑμῖν· καὶ ἐὰν πορευθῶ, καὶ ἑτοιμάσω ὑμῖν τόπον, πάλιν ἔρχομαι, καὶ παραλήψομαι ὑμᾶς πρὸς ἐμαυτὸν· ἵνα ὅπου εἰμὶ ἐγὼ, καὶ ὑμεῖς ἦτε. Et nexum et consilium sermonis intuitus, tute sentiendum censebis de praesente coetu, coelestibus partibus recipiendo post rerum finem humanarum. Reditus spiritalis est, efficacia interna. Tenera imagine amici antecedentis, habitacula parantis, obviam euntis, ducentis adventantes in paratas aedes et transitum in gloriam beatitatemque coelestem, certo exspectandum discipulis, et tempus mortis magistro proximum delineata habes. Fatur cum imbecillibus adflictisque, et peramanter. V. 16. 17. Item venit per spiritum adiutorem, veritatis

---

*) Ihren Geist (der Christen) malt der Tod des von Iesu geliebten Iohannes: Nach einem Leben, so verehrt bei den Heiden durch Reinheit und Güte: wie bei der Gemeinde durch das Wort seiner Lehre, sah er den Tod nahen: noch einmal liess er sich in die Versammlung der Brüder tragen; sah sie, hob seine Hände auf, sprach: „Kinder, gleichwie der Herr uns geliebet hat, also liebet euch unter einander immerdar!" legte sein Haupt zurück und starb. Jo. Mueller. *allg. Gesch.* I. 469. 470. Fundus est in HieR. *Comm. in Gal.* III. 314. Mart.

genium, perfundentem animos familiarium, totosque imbuentem. V. 18. *οὐκ ἀφήσω ὑμᾶς ὀρφανούς· ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς.* Id ad tempus, excipiens resurrectionem, ut referas, non impetrabis, nam per *paucos dies* orbi relicti forent discipuli, et, quod sq. v. respuit, *aliis* testibus, etsi paucioribus, in conspectum venit Christus. V. 19. *ἔτι μικρὸν, καὶ ὁ κόσμος με οὐκέτι θεωρεῖ, ὑμεῖς δὲ θεωρεῖτέ με· ὅτι ἐγὼ ζῶ, καὶ ὑμεῖς ζήσεσθε.* Posteriora vv. alio ducunt mentem. Vita aeterna est vel ea, quae vivitur duce et auspice Christo. V. 20. *ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ γνώσεσθε ὑμεῖς, ὅτι ἐγὼ ἐν τῷ πατρί μου, καὶ ὑμεῖς ἐν ἐμοὶ, κἀγὼ ἐν ὑμῖν.* Is dies est, quo suam plene manifestat sanctam personam per genium veritatis Christus. In spiritalibus haec versari, et obscuritas sermonis et ambiguitas prodet peritis. V. 21. *ὁ ἔχων τὰς ἐντολάς μου, καὶ τηρῶν αὐτὰς, ἐκεῖνός ἐστιν ὁ ἀγαπῶν με· ὁ δὲ ἀγαπῶν με, ἀγαπηθήσεται ὑπὸ τοῦ πατρός μου· καὶ ἐγὼ ἀγαπήσω αὐτὸν, καὶ ἐμφανίσω αὐτῷ ἐμαυτόν.* Per amorem et fidem mihi iunctus, me videbit, ubi nihil videt mundus, post reditum in coelos, animi oculis. V. 23. *ἐάν τις ἀγαπᾷ με, τὸν λόγον μου τηρήσει· καὶ ὁ πατήρ μου ἀγαπήσει αὐτὸν, καὶ πρὸς αὐτὸν ἐλευσόμεθα, καὶ μονὴν παρ' αὐτῷ ποιήσομεν.* Bene de his recens interpres „praesentius aderat absens, quam adfuerat praesens." Qui subduxerat se ingrato mundo, non reliquit discipulos; aperuit vitae, gloriae, amoris vim in eorum animis, quibus certamen cum *κόσμῳ* ingruebat. — Similiter expedi v. 28. *ὑπάγω καὶ ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς.* 16, 16. *μικρὸν, καὶ οὐ θεωρεῖτέ με· καὶ πάλιν μικρὸν, καὶ ὄψεσθέ με, ὅτι ὑπάγω πρὸς τὸν πατέρα.* cl. v. 17 — 19. et v. 22. 23. *καὶ ὑμεῖς οὖν λύπην μὲν νῦν ἔχετε· πάλιν δὲ ὄψομαι ὑμᾶς, καὶ χαρήσεται ὑμῶν ἡ καρδία,*

καὶ τὴν χαρὰν ὑμῶν οὐδεὶς αἴρει ἀφ' ὑμῶν· καὶ ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ ἐμὲ οὐκ ἐρωτήσετε οὐδέν. *)

Amor erga familiares tenerrimus, qui in valedicentis Christi sermonibus spirat, vereor ne particularisticos (barbare dicam) colores traxisse non nemini videatur. Amici Iesu opponuntur τῷ κόσμῳ, instar μικροῦ κόσμου, intra quem caritas, spiritus divinus, vera et beata vita servantur, Domino praesente suis, etiamsi corporis oculi numen eius non adsequantur. Itane *Separatismo christiano* proxima est h. necessitudo? — Obiter contemplatus et ex parte Ioanneam descriptionem, specie veri dices. Pugnat sententia cum munere officioque apostolorum. Mittuntur in κόσμον, ut per fidem Christo addictam Christi discipulos augeant. Quo augetur Christi amor in hos, qui et se noverunt et per se Deum. Fides amorque, ad similitudinem fermenti farinae massam imbuentis, funduntur per κόσμον et Christo amicum reddere tentant.

In precatione sacerdotali c. XVII., qua non sublimiorem perceperunt mortales, quae de animo erga suos mundumque prodidit, manifestam repugnantiam condere videntur. v. 9. 10. ἐγὼ περὶ αὐτῶν ἐρωτῶ· οὐ περὶ τοῦ κόσμου ἐρωτῶ· ἀλλὰ περὶ ὧν δέδωκάς μοι, ὅτι σοί εἰσι· καὶ τὰ ἐμὰ πάντα σά ἐστι, καὶ τὰ σὰ ἐμά· καὶ δεδόξασμαι ἐν αὐτοῖς, quibuscum cf. v. 20. 21. οὐ περὶ τούτων δὲ ἐρωτῶ μόνον, ἀλλὰ καὶ περὶ τῶν πιστευόντων διὰ τοῦ λόγου αὐτῶν εἰς ἐμὲ, ἵνα πάντες ἓν ὦσι· καθὼς

*) Affine est Mtth. 28, 20.: ἰδοὺ, ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμι, πάσας τὰς ἡμέρας, ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος, de *invisibili necessitudine cum Christi spiritu.*

σὺ, πάτερ, ἐν ἐμοὶ, κἀγὼ ἐν σοὶ, ἵνα καὶ αὐτοὶ ἐν ἡμῖν ἓν ὦσιν· ἵνα ὁ κόσμος πιστεύσῃ, ὅτι σύ με ἀπέστειλας.

Ea altiore indagine concinunt:

Christus non precatur pro mundo a re sua alieno, qui Dei legatum non receperat. Intercedit pro familiaribus, quibus post discessum suum commissa erat mundi salus. Hi, peculium Christi, ob intimam patris cum filio necessitudinem Deo cari. Per eos perque operis progressum Christus illustratur. Animo ad Numen erecto, prophetae sumens spiritus, meminit eorum, qui discipulorum discipuli adducentur ad fidem in Dei filium repositam. Optat, sperat, rogat, ut mundus, fide orbus, Christi fiat.

Eodem tendit usus v. *κόσμου*, in h. scriptore frequens. Orbis est non Christianus, infensus Christo et operi Christi; humanum genus a Deo rebusque divinis alienatum. Nusquam vestigia sunt, intellectum esse *orbem iudaicum*. Refellitur formula: *ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου*. 12, 31. 16, 11., quam nemo unus ad Iudaeos subditos restringet. Nam principis imperii Satanici, aeterni et capitalis hostis Messiae reique Messianae, ditio late patet e sententia aetatis, complectens exteros exterorumque idololatriam. Firmat h. *Universalismum* cetera libri indoles, firmat opus Christi. Venit in *mundum*, vita et lux mundi, quam cessit amor Patris mortalibus in genuinam felicitatem. Init certamen cum principe mundi, vicit mundum. 1, 9. 3, 16. 12, 31. 16, 11. 33. al. Ovibus, ex alio stabulo congregandis, ut sit unus pastor, grex unus, Iudaeos ἐν τῇ διασπορᾷ quî credas indicatos, ad unum Messiam cultumque e dissitis orbis partibus vocandos? Ea disiecta membra coetus Israelitici per sacra communia et itinera in sanctam urbem iun-

cta tenebantur patriae. Eiusdem erant cratis oves. Alterius cratis est genus humanum, extra Palaestinensem agrum, sub signis Iesu Messiae conciliandum. Tantae spei imperfecte praeiverant prophetae oraculis de exterorum turba ad Zionis sacra confluente; et si Synopticorum Christum (v. supra) ex analogia vitae et disciplinae disertisque testimoniis negari nequit ad exterorum se convertisse animos, quid de Ioanneo Christo ambigis, qui et fidem et beatitatem inde nexam nusquam uni adstringit nationi? 10, 16. cl. 4, 42. ὁ σωτὴρ τοῦ κόσμου.

Christi Ioannei de Mose sententia citius ex actionibus vitaeque tenore, quam ex orationibus perspicitur. Eo tendit vita, ut *Messianismum propheticum* superiorem *Mosaismo* habendum esse probet. Servat legem ritusque patrios, sed ita servat, ut sublimiorem sensum praesenti ceremoniae lubens adnectat. Sabbaticas leges cum Pharisaeorum ineptiis frequens violat, adiuturus humanitatem et misericordiam. 5, 9. 10. 16 sq. 7, 21 sq. 9, 14 sq. Paschalis coenae cum suis habitae non meminit quartus Evangelista (nam de c. XIII. iure dubitant), sed festorum dierum, quibus ut cum popularibus interesset, pluries adiit urbem.

At Iudaicis humana ubique anteponuntur. Nobilissima voce ad Samaritanam feminam, qua intimum aperuit animum, praevidit interitum cultus Hierosolymitani et Samaritani. Is finis est missi divinitus Messiae. Cultus verus et Deo spiritu dignus internus animorum esse debet. 4, 23. 24. Ἀλήθεια non iudaici orbis peculium est. Adde ingenuam coram Pilato, homine Romano et Iudaicae fidei parum curioso professionem, qua sedat animum iudicis, de seditione et iudaicae coronae ambitu sollicitum, verbis, quae perspicue testan-

tur vitae consilium, *iudaici* Messiae consilio et conatu superius 18, 36. 37. *ἡ βασιλεία ἡ ἐμὴ οὐκ ἔστιν ἐκ τοῦ κόσμου τούτου. Εἰ ἐκ τοῦ κόσμου τούτου ἦν ἡ βασιλεία ἡ ἐμὴ, οἱ ὑπηρέται ἂν οἱ ἐμοὶ ἠγωνίζοντο* *), *ἵνα μὴ παραδοθῶ τοῖς Ἰουδαίοις· νῦν δὲ ἡ βασιλεία ἡ ἐμὴ οὐκ ἔστιν ἐντεῦθεν. Εἶπεν οὖν αὐτῷ ὁ Πιλάτος· οὐκοῦν βασιλεὺς εἶ σύ; Ἀπεκρίθη ὁ Ἰησοῦς· Σὺ λέγεις· ὅτι βασιλεύς εἰμι ἐγώ. Ἐγὼ εἰς τοῦτο γεγέννημαι, καὶ εἰς τοῦτο ἐλήλυθα εἰς τὸν κόσμον, ἵνα μαρτυρήσω τῇ ἀληθείᾳ. Πᾶς ὁ ὢν ἐκ τῆς ἀληθείας, ἀκούει μου τῆς φωνῆς.* V. 38. *Λέγει αὐτῷ ὁ Πιλάτος. Τί ἐστιν ἀλήθεια;* **) — — — Amplus auditorum ambitus! Evanescit nomen iudaici Messiae et potestas in Iesu doctore *veritatis*. — Duas de ambitu officii voces et mirabere et aestimare disces editas coram homine Romano et Samaritana muliere, coram utrisque praeconceptarum Iudaeis opinionum nulla erat vis et dominium. —

De *tempore* condendi illustri pompa coelorum regni conticescit Ioanneus Christus, quod quî aliter exspectes, si quidem interno vinculo se cum suis coniunctum iri, interna via ad suos venturum fatetur? Diximus de beatitate vitalique vita cultorum Christi, quae a fide in magistrum suspensa est. Internam animorum felicitatem brevi summa comprehendit 17, 3.: *αὕτη δέ ἐστιν ἡ αἰώνιος ζωὴ, ἵνα γινώσκωσι σὲ τὸν μόνον ἀλη-*

---

*) Ex his discis, satis spectatam fuisse turbam sectatorum Iesu.

**) Non opus est, ut procuratori in mentem venisse dicas illud Stoicorum: omnem sapientem esse regem, solum sapientem regnare. Iudaeum de rebus arduis certo dicere velle, ridiculum ei videbatur. Christum ut innocentem ita fanaticum hominem habuit.

θινὸν θεὸν, καὶ ὃν ἀπέστειλας Ἰησοῦν Χριστόν. Bona huius vitae, lautas magnificasque dapes, matrimonia, alias reconditas Iudaici ingenii delicias non verbo attingit.

Et si qui provocare tentant ad 21, 22. ἕως ἔρχομαι, quod in h. nexu de visibili splendidoque Christi reditu recte explanatur, ut augustiore doctrinae forma delineanda erravisse nos criminentur, regerimus, *externorum internorum*que pondus argumentorum, cum criticis plerisque tantum nobis videri, ut pericopam extremam in appendice habeamus Ioanneo volumine non digna.

Ubique ex h. opere apostoli amoris prodit imago coelestis amici, filii Dei, erecti super adversa temporum fortuna, triumphantis de malis humanis. Coram eius intrepida potentique voce falsae iustitiae satellites contremiscunt. 7, 44. 46. Morte uti omni vitae opere *illustrantur* (δοξάζεσθαι) utrique, pater et filius. Mors eius aequiparatur oblato sponte sacrificio in commodum suorum et in orbis salutem *). 10, 17. 18. 12, 24 al.

Inde *mystica* Evangelii *forma*, continentis disceptationem de regno divino, absque nexu cum formula. Notio iudaicae originis et patrii argumenti exstincta est. Tamen Christus a familiarissimo et amantissimo discipulo ad intimum ingenium delineatus, maximorum virorum expertus est deplorandam sortem, *solus*, fortis inter infirmos, vel male perceptus vel non satis, uti est in his 16, 12. ἔτι πολλὰ ἔχω λαλεῖν ὑμῖν, ἀλλ' οὐ δύνασθε βαστάζειν ἄρτι. In qua oratione quantum, quaeso, ponderis inesse licet ad informandum Christi supra cives suos sociosque operis elatum ingenium? —

*) Cf. ad haec Scholz. *d. chr. Lehre v. h. Abdm. p.* 137 — 148.

PARS XII.

EPILOGUS.

Evangelicae de regno Christi doctrinae *brevem summam*, *e duplici fonte* hauriendae haustaeque, in lectorum commodum hanc adiiciendam putavimus.

I. Christus et *Synopticus* et *Ioanneus* nomen dignitatemque Messiae, theocratici regis, non simulat, sed sincere tuetur, et re et sermone ad temporum personarumque rationes modo ambigue et obscure, modo dilucide: coram amicis, coram plebis corona, coram adversariis, coram femina Samaritide, coram iudice et Iudaico et extero.

II. Institutionem de coelorum regno auspicatur *Synopticus* Christus (praesertim *Matthaei*) proponendis similitudinibus, quae e rerum natura v. hominum vita *generatim* adumbrant amabilem indolem, ambitum, et efficaciam regni divini. *Ioanneus* Christus non utitur hac forma docendi populum iudaica s. orientali. Eius loco multus est dicens de fine legationis suae, et de necessitudine cum familiaribus per allegorias, quas ex opportunitate rei gestae v. dictae petitas, carere non dixeris ambiguitate et obscuritate.

III. De indole et officiis futurorum reipublicae Messianae civium late agit *Synopticus* Chri-

stus et per longiores parabolas, et per concisa sententiose dicta, exempla planosque sermones. Ut particeps fias communionis, requiritur severe animus purus, modestus, virtutis amans, ad Numen erectus. Erit enim sancta societas. Excluditur perpetua lege turba inhumanorum, natalium splendore ut gentis praerogativa gloriantium, defectum caritatis aliorum vani cultus fallaciis celantium. Μετανοίας uti princeps praeconium, ita summa conditio est. — Item *Ioanneus* Christus flagitat a sodalibus regni Dei, ut denuo nascantur per spiritum (regenerationem spiritalem); sed abstinet a *singulorum* vitae praeceptorum commendatione. *Fides* Dei filio, misso in salutem vitamque τοῦ κόσμου, habita cernitur personae, vitae, disciplinae in animi sacrario cultu, a quo non discedere fas est eum, qui ad consortium cum Deo Christoque *perpetuum* adspirat.

IV. Is coetus ex *Synoptici* Christi sententia non nisi intra humanum genus finibus circumscribitur, quamvis eius fundamenta iacta sint, non sine sapiente temporum et locorum respectu, in agro populoque Iudaico. Prima discipulorum Messianorum legatio tendit in Palaestinenses provincias ad perditas oves domus Israelis: altera et nobilissima, a valedicente Messia iniuncta, ad orbis incolas. Is finis operis Messiani in terris fuit. — *Ioanneus* Christus filium Dei in salutem vitamque *mundi* missum itentidem affirmans, coire vult orbis gentes (utriusque cratis oves) sub dominio spiritali suo.

V. Mosaicam legem veneratur Christus *Synopticus* praeparantem multis modis per auctorem, conservatores amplificatoresque prophetas Messianum institutum. A glossis scholasticis, legi adiectis, quas fortiter impugnat, ad animum ani-

mique sensa refert res divinas. Iustitia, amor aliorum, misericordia sacrificiorum abrogant cultum. Novo foederi Messiano cedit antiquata Mosis oeconomia. — Christus *Ioanneus* nec diserta oratione nec illustri facto tollit Mosaismum, non vim salubrem negat; at sacrorum patriorum interitui obnoxiam testatus formam, et prospectum aperiens universalis Dei cultus ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ, ritibus Iudaicis sublimiorem sensum subdens, Mosaici operis cum novo instituto convenientiam divinandam relinquit. —

VI. De tempore condendi regni Messiae ita Christus *Synopticus* disputat, ut initia eius facta contendat prima sua in terris praesentia, collectione sectatorum, praeconio μετανοίας, edendis miraculis. Ea prima legio amicorum Iesu, et hoc primum specimen propagatae disciplinae crescent ambitu, nuntius enim de adventu Messiae per praecones apostolos ad populos omnes perfertur. Brevi post (e perspicuis et non ulla ambiguitate laborantibus Iesu vocibus) redux comparet Messias de nubibus coelorum, divina maiestate indutus, Coelitum choro cinctus, ad condendum augusta pompa in terris regnum suum. Testes sunt, qui in vivis sunt Iesu aequales. Tantum spectaculum antecedit excidium sanctae urbis, templi per manus exterorum sacrilegas, cultus patrii ruina. Interna animorum discordia externas auget clades, ut sit bellum omnium contra omnes. Haec tanta mala tandem excipit mortuorum in vitam revocatio *), hanc magnum Messiae iudicium de orbis incolis, in quo instituendo dirigitur sententia iudicis ad humanitatis et

*) Ea ex serie notionum Messianarum popularium animo addenda est, licet in longiore Iesu oratione huius generis praetermissa.

germanae virtutis vel neglectionem vel exercitium. (Mtth.) Ruinae prisci aevi superstruitur nova et melior rerum humanarum facies auspice Deo et Messia. — Christus *Ioanneus* silet de condenda *externis* subsidiis civitate Dei, silet de tempore tantae rei, nomen παρουσίας solemne reticet. *) Praesens adest numine suo familiaribus, Messiano operi intentos et vitam impendentes invisibilis sustentat cum adiutore divino spiritu. Ad se attrahit in coeleste domicilium suos, et omnes, qui apostolorum praeconio fidem eandem amplexantur. Doctrina de corporum resurrectione *mixta forma* adumbratur, partim enim de spiritaliter defunctis loqui videtur, qui vita nova per Messiam animantur, partim de vere sepultis, qui Iesu iudicis voce sepulcra relinquunt. Non venit Messias in mundum, ut iudicio subigeret, sed vita perfunderet et beatitate; qui fidem ei negat, satis per defectum fidei iudicatus est, qui addicit fidem, non experitur iudicium.

VII. Christo *Synoptico* interprete praemium vitae Deo, virtuti et Messianae rei dicatae vita aeterna est in Messiae regno. Indoles felicitatis non cupide exponitur. Analogia doctrinae, operis personaeque Iesu *animi* nos *bona* suspicari iubet, quorum perpetuus fructus fidis Messiae cultoribus, praemium industriae et probi animi af-

---

*) Nos in conformatione *Ioannea*, cui palmam in re ancipiti concedimus, toto animo acquiescimus. — Sed si quis ἀξιοπιστίαν Synopticorum ita cupiat defendere, ut nec Iudaicis scriptoribus aliquid et popularibus sententiis tribuendum putet, nec errorem admissum concedat, facile is meminerit *Lycurgi*, qui firmata salutari legumlatione abiit, revisurum se pollicitus cives, interposita fide, ad hoc convenienter instituto vitam remque publicam recturos. Non rediit, praeclarum salutis publicae consilium consequutus. — Sed salva res est, puris omnia pura. —

fertur, vel cognitionem rerum divinarum. Ex h. lege iudica iudaici coloris voces de voluptate intra coetum Messianum sensibus percipienda. Locum non exornat dicendo, et in concisis enuntiatiatis acquiescit. — Christus *Ioanneus* dilucidis verbis notitiae Dei et Christi vitam aeternam inesse dicit. Qui fidem habet divinae in Christo naturae, et legationi coelesti, haurit ex fonte beatitudinis et a morte transiit in vitam sine fine vitalem. Qui fidem negat, hoc animi impetu et moderatione voluntatis infelix vivit. Non visibile iudicium, non tribunal Messianum exspecta, animus unicuique iudex est. *) —

Haec habui, quae *interpres* dicerem. — Ἑνότητα ἐν πνεύματι tentabunt, nec frustra, periti et candidi lectores! —

*) „Die Welt*geschichte* ist das Welt*gericht*."

INDEX

LOCORUM SACRAE SCRIPTURAE

QUAE VEL EX INSTITUTO VEL OBITER ILLUSTRANTUR. †)

†) Quibus signum asterisci (*) appictum est, loca, ea pro fundamento disputationis explicata sunt.

Iud.

Apoc.

Apoc.

